








600036196V


PRESS
SHELF
Nº 34



ARANEAE SVECICAE

DESCRIPTAE

A

NICOLAO WESTRING.



ARANEAE SVECICAE

DESCRIPTAE

A

NICOLAO WESTRING.



GOTHOBURGI
SUMTER ET LITTERIS D. F. BONNIER
1862.



Araneæ Svecicæ antea a *Clerck*, *Linnæo*, *De Géer* et *Sundevall* descriptæ sunt. *Clerck* in opus, quod *Aranei Svecici* inscribitur, species 70 introduxit. Cum vero ex his tolluntur 12, quæ neutiquam species diversas, sed varietates tantum specierum aliarum, quas ipse descripsit, efficiunt, restant solummodo species 58.

Linnæus in *Fauna Svecica* species 33 descripsit, quæ autem propter descriptiones nimis breves ægre determinari possunt. Sunt tamen earum 7, quæ *Clerckio* ignotæ fuisse videntur.

De Géer in Tomo VII sui operis, *Memoires pour servir à l'histoire des Insectes*, species 34 descripsit, quarum 8 *Clerckio* et *Linnæo* haud cognitæ fuerunt.

Sundevall in opere *Svenska Spindlarnes Beskrifning*, in *Kongl. Vetenskaps-Academiens Handlingar* Annis 1829, 1831 et 1832 typis exscripto, species 106 definivit. Harum ex numero 6 tollendæ sunt, quæ varietates tantum et sexus alter aliarum sunt specierum. In eodem vero opere araneæ 11 ut varietates et sexus alter aliarum specierum describuntur, quæ re vera ut species peculiares sunt segregandæ. Numerus igitur specierum, quæ ab illo descriptæ sunt, revera est 111; quarum 51 scriptoribus superioribus cognitæ non fuerunt.

Computatis omnibus speciebus, quæ a scriptoribus, quorum supra meminimus, deinceps descriptæ sunt, exstant ad summum species 124.

Excursionibus, præsertim in regione Gothoburgi factis, per sedecim annorum spatium (1836—1851) a me perquisita, ut et collectione multarum specierum aliis locis, ab Entomologis nonnullis aliis visitatis, Fauna aranearum svecicarum tunc temporis ad species 253 elata est, quarum enumeratio edita est in *Götheborgs Kongl. Vetenskaps och Vitterhets Samhälles Handlingar* Anno 1851.

Thorell in suo opere, *Recensio critica aranearum*, in *Actis Reg. Soc. Scientiarum Upsaliensis* Anno 1856, species 18 novas, in Uplandia ab eo inventas, affert.

Has species omnes, ulterius 37 novis auctas, ideoque in summa 308 species, pertractare nostrum jam erit propositum.

Quum munus ad Curiam Portorii Gothoburgensem per totum diem me occupans, facultatem ad excursiones entomologicas deligentiores faciendas non nisi exiguam mihi præbuerit, et quum regiones patriæ complures minus probe pervestigatæ fuerint, non dubito, quin etiam plures species novæ ad detegendum restent, proinde ut futurum sit, ut totus numerus specierum ad 350 et forsan ad plures efferatur.

Aliquis fortasse mihi id in culpam vertet, quod tam synopsis Familiarum quam diagnoses complurium specierum solito ampliores evaserint, ita ut species, quæ in systemate investigantur — ut ei videretur — minus cito et facile inveniantur. Sed quisquis dedit operam diligentiorem studio aranearum, certe sibi persvasum habet, partim multas species cujusque Generis tam structura corporis quam diversis aliis notis externis inter se plus minus discrepare et simul transsitum ad unum vel alterum Genus aliarum Familiarum præbere, partim vero species complures notas diversas a se invicem mutuari, ideoque aliam in aliam vario modo sensim transire. Eam ob causam necesse est, tum ut plerique characteres permultarum specierum in diagnosibus enumerari debeant, tum ut in descriptionibus Familiarum et Generum una vel altera exceptio talis adhibenda sit, qua dubitatio de speciei loco naturali in Systemate amoveatur — id, quod a scriptoribus plerisque factum non est, in quorum scriptis, tam in diagnosibus quam in descriptionibus, notæ perpaucæ et tales afferuntur, quæ ad species diversas (immo in uno genere ad plus semi-viginti species) referri possunt. In descriptionibus specierum, ut nota majoris momenti, scriptores sæpissime adhibuerunt solam picturam corporis, quæ nota autem, ut valde variabilis et inter multas species quorundam Generum fere communis, per se multo minus constans est quam plures aliæ notæ, quam maxime idoneæ ad species

dignoscendas. Eam ob causam etiam factum est, ut synonyma multarum specierum vix extricari possint, — id sæpe etiam, ubi speciei descriptio figuris illustrata est, his vero una cum ipsa descriptione notis maximi momenti carentibus. Fatendum tamen est, plures species nonnullorum generum inter se tam similes esse, ut earum differentia exigua satis ægre figuris exprimi possit. Hanc ob causam maxime interest, ut ipsa descriptio omnes eas contineat notas, quæ ope graphidis minus evidenter exprimi possunt. — Quæ quum ita sint, mihi nihil optabilius erit quam ut aranearum descriptiones tales, quales elaborare potuerim, satis sufficere possint, ad species inter se distinguendas; eoque magis id optandum est, quum plures earum, mihi communicatas, neque vivas neque aliter quam in spiritu vini asservatas lustraverim. — Inter notas majoris momenti, quibus species permultæ inter se distingui possunt, bene observanda sunt: indumentum corporis, ex. gr.: pedum aculei horumque numerus et situs, pedum pili, partim adpressi, partim erecti et sæpe ad perpendiculum tibiis et reliquis articulis impositi: dispositio oculorum: proportio pedum horumque articulorum, inter se comparatorum: structura organorum genitalium utriusque sexus, partis cephalicæ et oris, cet. — in summa: omnes notæ, præter picturam, quibus species inter se distingui possunt. — Ad eas notas conservandas, quæ ab indumento et armatura corporis desumi possunt, necesse est, ut araneæ numquam digitis sed ea methodo capiantur atque conserventur, quam in Götheborgs Kongl. Vetenskaps och Vitterhets Samhälles Handlingar A:o 1858 explanavi.

Tironibus studii aranearum haud inutile videatur, quod in initio operis terminos quosdam technicos explicaverim, qui, plerique ab auctoribus aliis usitati, a me adhibiti sunt.

In determinatione corporis partium mensura parisina millimetrica (litteris mm. designata) adhibita fuit.

Nomina abbreviata provinciarum et urbium hæc sunt: Bahusia (Bah.), Blekingia (Blek.), Dalekarlia (Dalek.), Gothoburgum (Gothob. l. Gbg.), Gottlandia (Gottl.), Hallandia (Hall.), Jemtlandia (Jemtl.), Lapponia (Lapp.), Norrlandia

(Norrl.), Œlandia (Oel.), Ostrogothia (Ostrog.), Smolandia (Smol.), Scania (Scan. l. Sc.), Trondhiem (Trondh.), Uplandia (Upl.), Westrogothia (Westrog.) et Wermlandia (Werml.).

Accidit forsitan, cum species in Sectiones distribui, ut erratum quoddam minoris momenti commissum fuerit; quod autem excusationis aliquid habebit, propterea quod una vel altera species, mihi allata, ut supra dicitur, male conservata erat, quarum pars in spiritu vini asservata, ubi animalcula per quassationem liquoris notis pluribus, quarum supra meminimus, orbantur, et quæ fere unice adjuvant ad multas species inter se distinguendas. Quod attinet ad feminas nonnullorum generum, satis difficile est has sub unam eandemque Sectionem ac mares redigere. Mihi tamen sperare licet, ut fundamentum, in quo eædem Sectiones exstructæ sunt, et ut methodus, quam in aliis partibus Systematis secutus sum, aliquid adjumenti melioris afferre possint ad araneas nostræ patriæ cognoscendas. Interim tamen, si quis aliquid melius in una vel altera parte systematis invenerit, et sua experientia id, ubi erravi, emendaturus erit, id mihi sane gratissimum erit.

Iis viris, qui aut communicatione aranearum, et siccarum et in spiritu vini asservatarum, aut donationibus specierum novarum me adjuverunt, gratias maximas hic agere debeo, liceatque mihi inter illos nominare: DD. Professores et Equites *C. J. Sundevall* et *C. H. Boheman*. Professorem *N. J. Andersson*, Medicinæ Doctorem *J. A. Carlsson* et Zoologiæ Adjunctum *T. Thorell*, Arachnologiæ cultorem studiosissimum, cui multas species novas et observationes magni momenti debeo.

Gothoburgi die 13 Nov. 1859.

N. Westring.

INDEX LIBRORUM,

secundum ordinem alphabeticum auctorum, quorum in hoc opere meminimus.

Clerck	C. Clerck, Svenska Spindlar. Aranei Svecici. Stockholmiæ 1757.
Fabr.	J. C. Fabricius, Entomologia Systematica, emendata et aucta, Tom. II, Hafniæ 1793.
De Géer	Charles de Géer, Memoires pour servir à l'histoire des Insectes. Tom. VII., Stockh. 1778.
Hahn Mon. Ar.	C. W. Hahn, Monographie der Spinnen. Monographia Aranearum. Heft. 1—8. Nürnberg, 1829—1836.
Hahn Die Ar.	Id. , Die Arachniden, getreu nach der Natur abgebildet und beschrieben, Band I et II. Nürnberg 1831—1834.
Koch	C. L. Koch, Die Arachniden, getreu nach der Natur abgebildet und beschrieben (Vortsetzung des Hahnschen Werkes) Band. III—XVI. Nürnberg 1836—1847.
Koch Übers. des Ar. Syst.	Id. , Übersicht des Arachniden system. Heft I—V. Nürnberg 1837—1850.

Linn. Faun. Sv. . . . . C. Linnæus, Fauna Svecica, Ed. II. Stockholmiæ 1761.

Linn. Syst. nat. . . . . Id. , Systema Naturæ Ed. XII, Tom. I. Pars II. Stockholmiæ 1767.

Latr. Gen. Cr. et Ins. . . . . P. A. Latreille, Genera Crustaceorum et Insectorum etc. Tom. I. Parisiis et Argentorati 1806.

Schranck Enum. Insect. . . . Fr. a Paula Schranck, Enumeratio Insectorum Austriæ indigenorum. Augustæ Vindelicorum 1781.

Schranck Fauna Boica. . . . Id. , Fauna Boica, Tom. III. Ingolstadt 1803.

Scopoli Ent. Carn. . . . . . . J. A. Scopoli, Entomologia Carniolica etc. Vindobonæ 1763.

Sund. . . . . C. J. Sundevall, Svenska Spindlarnes Beskrifning, in Kongl. Vetenskaps-Academiens Handlingar. Stockholm 1829, 1831 et 1832.

Sund. Consp. Arachn. . . . . Id. , Conspectus Arachnidum. Londini Gothorum 1833.

Thorell Rec. crit. . . . . T. Thorell, Recensio critica Aranearum Svecicarum, quas descripserunt *Clerckius, Linnæus, De Géerus*, in Actis Regiæ Societatis Upsaliensis. Upsaliæ 1856.

Thorell Om Clercks Original-Spindelsamling . . . . Id. , Om Clercks Original Spindelsamling, in Öfversigt af Kongl. Veten-

	skaps-Academiens Förhandlingar den 17 Mars 1858, p. 143, cet.
Thorell Till kännedomen om slägtena Mithras och Uloborus	Id. , Till kännedomen om slägtena Mithras och Uloborus, in Öfversigt af K. Vetenskaps-Academiens Förhandlingar den 14 April 1858, p. 191, cet.
Walck. Faun. Par.	C. A. Walckenaer, Faune Parisienne. Insectes. Tom. II. Paris 1802.
Walck. Tabl.	Id. , Tableau des Araneides etc. Paris 1805.
Walck. Hist. nat. d. Ar. . .	Id. , Histoire naturelle des Araneides. Paris et Strasbourg 1806.
Walck. Apt.	Id. , Histoire naturelle des Insectes Apteres. Tom. I—IV, in Suites a Buffon. Paris 1837—1847.
Westr. Enum. Aran.	N. Westring, Förteckning öfver de till närvarande tid kända, i Sverige förekommande Spindelarter, in Göteborgs Kongl. Vetenskaps och Vitterhets Samhälles Handlingar. Götheborg 1851.
Wider Mus. Senck.	A. Reus (et Wider), Zoologische Miscellen. in Museum Senckenbergianum. Band I. Frankfurt am Mayn 1834.

TERMINI TECHNICI,

cum eorum explicatione.

In corporis parte anteriore observantur:

Cephalo-thorax l. thorax, corporis pars anterior, cui oculi, pedes, partes oris (mandibulæ, maxillæ et labium) et palpi affixa sunt. Ejus basi abdomen per nervum angustum adnexum est.

Pars cephalica l. caput, cephalo-thoracis pars antica, in cujus parte superiore oculi locati sunt; secundum normam per impressiones laterales, obliquas, utrinque singulam, postice in angulum convergentes, a parte thoracica plus minus profunde distincta.

Pars thoracica, cephalo-thoracis pars postica (pone impressiones), cujus dorsum mox pone medium fovea, aut subcentrali aut postcentrali, rarius deficiente, præditum est; hæc fovea sæpe cum declivitate postica dorsi sensim confluit, interdum libera est; loco foveæ in nonnullis araneis canalicula angusta adest.

Frons, a me appellatum est spatium, quod ab oculis intermediis anticis et posticis occupatur. In nonnullis araneis, quæ frontem non sursum sed perpendiculariter antrorsum versam habent, oculi antici *inferiores*, postici *superiores* sunt dicendi. In nonnullis generibus, quæ oculis in series tres aut quatuor dispositos habent, (h. e. ubi oculi non in series duas subparallelas dispositi sunt, sed laterales, aut secundæ seriei, aut rarius ambarum serierum ad latera aut ad superficiem superiorem partis cephalicæ valde retracti sunt) series secunda (binoculata) oculis, qui vocantur intermedii postici sive superiores, respondent; hi oculi rarius (in *Fam. Attidarum*) longe pone angulum frontalem, magis ad latera,

in plerisque reliquis aut in ipso illo angulo, aut paullo infra illum, in spatio faciali subperpendiculari locati.

Clypeus Walck. et plures, spatium inter oculos intermedios anticos et thoracis marginem supremum, basi mandibularum adquiescentem. (Frons una cum clypeo a Dom. Sundevall Frons appellantur).

Spatium faciale l. facies a me apellatum est spatium antrorsum versum partis cephalicæ, inter marginem clypei supra os et summam elevationem capitis, adnumerandis illis gibbis, in quos caput nonnullorum masculorum (præsertim generis *Erigones*) elevatum est.

Mandibulæ, organa duo cibaria, obconia vel subovata, sub margine clypei locata, perpendicularia vel interdum subporrecta, apicibus ungue mobili armata.

Maxillæ, organa duo ejusmodi, vario modo constructa, sub basi mandibularum affixa, in latere externo palpos gerentia.

Labium, organum ejusmodi, subtriangulare vel semiovatum, inter basin maxillarum affixum.

Palpus, organum maxillis versus harum basin affixum, ad structuram non dissimile pedibus, at multo brevius et gracilius est, articuloque, qui pedum tarsorum articulo ultimo respondet, carens.

Palporum pars basalis (*articulus axillaris* Walck.), articulus primus post maxillam, omnium plerumque brevissimus. Hæc pars pedum articulo secundo, qui *trochanter* appellatur, respondet; quum autem pars, quæ pedum coxæ respondet, vicibus maxillarum fungitur, ea non *coxa* sed *maxilla* est appellanda.

— — — pars femoralis Sund. (*art. humeralis* Walck.), art. secundus, qui multo longior est quam pars prima.

— — — pars patellaris Sund. (*art. cubitalis* Walck.), art. tertius, qui multo brevior est quam pars femoralis.

— — — pars tibialis Sund. (*art. radialis* Walck.), art. quartus, qui parte patellari dimidio vel duplo longior est, saltem semper in feminis.

Palporum pars tarsalis SUND. (*art. digitalis* WALCK.), art. quintus, qui parte tibiali plerumque paullo longior et in femina unguiculo apicali armatus est. In sexu masculino pars tarsalis organa genitalia continet, hæc vario modo constructa, semper superne lamina plus minus obtecta; lamina ab aliis partibus facile dignosci potest pubescentia plus minus densa, in superficie superiore et interdum sub apice adspersa. Lamina illa parti tarsali in femina respondet, sed unguiculus apicalis aut propter pubescentiam absconditus, aut vix ullus. Sub basi laminæ adhæret ipsum membrum genitale, quod interdum instrumenta vel organa genitalia, interdum bulbus genitalis appellatur; interdum est bulbus una cum lamina, eum obvolvente, clava appellata.

Coxa, pedum articulus primus, qui parvus est.

Trochanter SUND. et pl. (*art. exinguinalis* WALCK.), art. secundus, minutissimus, plerumque parum evidens.

Femur SUND. et pl. (*art. femoralis* WALCK.), art. tertius, multoties longior quam trochanter.

Patella SUND. et pl. (*art. genualis* WALCK.), art. quartus, multo brevior quam femur.

Tibia SUND. et pl. (*art. tibialis* WALCK.), art. quintus, femur satis adæquans, interdum quam hoc paullo brevior.

Metatarsus, art. sextus vel penultimus, longior aut subæque longus ac tibia.

Tarsus, art. septimus vel ultimus, brevior quam metatarsus, rarius hunc adæquans; ejus apex biunguiculatus est.

Tarsi, articulus metatarsalis et tarsalis, simul sumti.

Scopula, hirsuties brevis, densa rigida, quasi æque detonsa, quæ in quibusdam araneis tarsos et sæpe apicem metatarsorum subtus tegit.

In corporis parte posteriore, s. abdomine, observantur:

Mamillæ, appendices 6, circa anum callocatæ, instrumenta textoria efficientes.

Epigyne (*oviductus?*), appendix vaginæformis, quæ in pluribus feminis ex apertura genitali jam longius, jam brevius eminet. Apertura genitalis (*vulva* Walck.) ante medium ventris, basin versus, sita est, in adultis conspicua, in junioribus occlusa.

Sacci pulmonales Sund. (*opercula branchialia* Walck.), scutula duo ovata, singulum utrinque in anteriore parte ventris situm, jam glabra, jam ad partem pubescentia aut pube circumstante ad partem tecta, colore fusca, pallida, albida, flava, lutea vel fulva; inter illa in feminis apertura genitalis locata est.

Cor, instar venæ sensim angustatæ, sub epidermide sæpe translucens, a basi versus medium abdominis dorsi, et sæpe ultra hunc locum, extensum. Corde palpitante hujus amplificatio et contractio in pluribus araneis, pubescentia carentibus, sat evidenter sub lente perspici possunt. Locus idem, obiter inspectus, sæpe lineam fuscam assimilat, quæ tunc quasi partem picturæ ordinariæ figurare videtur.

SYNOPSIS FAMILIARUM
ARANEARUM.

SECTIO I.

Oculi plerumque 8 (rarissime 6), in series duas subparallelas, transversas dispositi; area, quam occupant, latior quam longior, in masculis nonnullis, capite conico- aut gibboso-elevato munitis, valde deorsum curvata. In Zora *spinimana* (tibiis anticis utrinque serie ex aculeis 7 longis, fronte valde angustata clypeoque humili) area illa, ab antice inspecta, æque longa ac lata videtur, similiter atque in nonnullis Sectionis II, quod ex magna oculorum lateralium posticorum distantia ab oculis lateralibus anticis pendet. Retiarii, qui, in vel juxta rete quiescentes, insecta et larvas, illuc incidentia vel fortuito in illud irruentia, corripiunt.

A. Series oculorum 4 posticorum recta aut leviter procurva, tantum in generibus Mithra, Textrice, Zora, et Pythonissa, similiter atque in araneis divisionis B. recurva, at simul non sunt femora in illis ut in his subhorizontaliter extensa, neque est motus quoquoversus dirigendus, nec sunt pedes secundi longiores quam postici, sed contra postici longiores quam illi, quod sine mensione in tibiis vel metatarsis, inter se comparatis, sub lente facile videbitur.

a) Abdomen, excepto genere Mithra (oculis lateralibus posticis versus medium thoracis lateris tuberculo magno impositis), neque in lateribus nec superne dense sed parce pilosum, cute evidenter inter pilos conspicua, plerumque nitida; pictura, ubi adest, solum e pigmento, sub epidermide translucente, constat, neque ex ipsa pube, sit unicolore

aut varia, sit opaca, sericea vel metallico-micante, pendet. Oculorum numerus 8. Pedes proportione rarius 4, 1, 2, 3 (Linyphia *clathrata*, *bucculenta*, *rufa* et *comata*, atque totum genus Erigone), plerumque 1, 2, 4, 3, vel 1, 4, 2, 3. Abdomen longius supra thoracis basin porrectum, vel sub tertia, interdum dimidia sua parte thoraci affixum; cum thorace comparatum præsertim in femina magnum est, in mare plerumque magnitudinem thoracis æquat. Fac, abdomen in medio transverse persectum esse, tunc antica pars ambitum potius hemisphæricum quam semiellipticum describet.

§. Oculi intermedii antici, excepta Singa *prominente* ♂ (an etiam vivis *S. Herii*) evidenter brevius a margine supra os quam ab oculis intermediis posticis siti, simulque est series antica non evidenter recurva; oculi intermedii antici inter se rarissime magis approximati (genera Tetragnatha et Mithras), plerumque aut æque longe aut longius separati quam oculi intermedii postici. Clypeus infra oculos intermedios anticos non impressus; ad os recte simulque introrsum descendens. Pedes in plerisque evidenter aculeati; tibiæ anticæ sæpissime aculeis ultra 20 armatæ; femora 6 posteriora in plerisque speciebus aculeis pluribus quam 1 (submedio), quorum plerumque supra ipsum apicem aut unus utrinque aut simul unus superne adest. Retia semper in locis apertis nec absconditis suspensa, investigatori facilia ad reperiendum; orbicularia, e filis circularibus et aliis rectis, his e centro communi radiantibus, composita. Ova plerumque inter se non libera, sed adglutinata et ægrius numeranda. (Retia generis Singæ ignota).

FAM. I. EPEÏRIDAE Sund. (*Orbitelae* Latr.).

§§. Oculi intermedii antici a margine supra os aut longius aut æque longe atque ab oculis posticis siti;

tantum in TAPINOPA *longidente* est series antica evidenter recurva, et oculi antici medii propius ab ore siti sunt. Clypeus infra oculos intermedios anticos plerumque impressus, tum ad os decliviter procurrens, saltem perpendicularis, non introrsum directus. Oculi intermedii antici in speciebus, quæ pedes aculeatos habent, inter se plerumque magis approximati quam intermedii postici, non nisi rarissime ut in FAM. I aut magis distantes, aut cum his oculis aream exacte quadratam occupantes. Pedes tantum in toto genere LINYPHIA, ERONE *variegata* et ERIGONE *Sundevallii* aculeati (in THERIDIO *serratipede* ♂ subtus denticulati). Ubi in femoribus 6 posterioribus superne aculei plures quam 1 adsunt (LINYPHIA *montana*, *clathrata* et *triangularis*), nullus aculeus in apice utrinque vel supra hunc adest; interdum non adest in his articulis aculeus ullus. In reliquis speciebus sunt pedes pilis tantum ordinariis, decumbentibus, et tibiæ præterea superne sæpe pilis verticalibus paucis vestita. Pedes antici in plerisque longiores quam postici; postici tantum in genere ERIGONE, LINYPHIA *clathrata*, *bucculenta*, *rufa* et *comata* æque longi, aut paullo longiores quam antici (quod sine mensione in tibiis et metatarsis, sub lente inter se comparatis, facile videbitur). Retia aut in locis apertis aut absconditis suspensa, irregularia, e filis, in omnes partes se decussantibus, rarioribus contexta, non ut in subdivisione insequente, *b*), telam densiorem, linteam formantia. Ova inter se non adglutinata, sed libera et facile numeranda.

FAM. II. THERIDIDAE SUND. (*Inaequitelae* LATR.)

b) Abdomen plerumque ubique, saltem in lateribus pube densa adpressa tectum, ita ut cutis inter pubem non evidenter sit perspicienda, et hanc ob causam magis opaca videtur (cave ne huc referas

Mygalae, v. Sect. I — A—a). Abdomen in nonnullis quidem nitidum, at nitor ex integumento sericeo aut metallico-nitente, cuticulam dense occupante, pendet; in feminis quoque nonnullis, ovis distentis, abdomen interdum subnitidum videtur, quod e nimia cutis solito expansioris et interdum paene denudatae pendet, in quo statu paucae species picturam quandam in cute etiam repraesentant. Oculorum numerus 8, exceptis generibus Segestria et Dysdera, quae oculos tantum 6 habent. Pedes proportione 4. 1. 2, 3; postici igitur in plerisque longiores quam antici; in nonnullis sunt antici paullo longiores; rarius proportione 4, 2. 1, 3. vel 2, 4. 1. 3. Pedes tantum in genere Dictyna carent aculeis; in reliquis saltem semper tibiae et metatarsi 4 posteriores evidenter aculeati sunt; rarissime pedes tantum anteriores aculeati sunt (genus Prosthesima); aculei rarius erecti, plerumque decumbentes vel adpressi. Abdomen et thorax, etiam in feminis, ad magnitudinem inter se minus discrepant; illud quam hic minus abrupte longius et latius, tantum sub anteriore sua parte ei affixum, vel cum sua basi parum supra thoracis basin prominens. Fac, abdomen in medio transverse esse persectum, tunc antica pars ambitum potius semiellipticum quam hemisphaericum describet. Thoracis dorsum potius canaliculo angusta quam fovea ovata impressum. Retia vel (rarius) amplissima, vel (plerumque) ambitu mediocria et minora, plerumque densa, lintea; illa tubo subcentrali, ubi aranea latitat, haec cubiculo varie formato instructa; rete rarius in gramine et in angulo quodam domuum suspensum, plerumque absconditum, ex. gr. in rimis, sub muscis, cortice arborum, lapidibus et aliis, inter folia contorta cet. extensum. Argyroneta sola est, quae in aqua versatur. Ova libera, facile numeranda, non inter se adglutinata.

FAM. III. DRASSIDAE Sund. (*Tubitelae* Latr.).

B. Utraque series oculorum evidenter recurva, antica tantum in THOMISO *depresso* recta. Femora, et quum currit aranea et quum quiescit, solo adpressa, vel subhorizontaliter extensa; motus instar cancrorum jam protenus, jam retrorsum, jam, et quidem libentius, in latus directus. Pedes proportione 2, 1, 4, 3; rarius 2, 1, 3, 4, quatuor anteriores plerumque abrupte longiores quam quatuor posteriores; in PHILODROMO *formicino* proportione fere 2, 4, 1, 3, inter se longitudine minus discrepantes, ut fere in PH. *oblongo*. Abdomen jam obovatum, antice paullo truncatum, mamillis infra-apicalibus, jam breviter vel elongato-ovatum, mamillis apicalibus. Retia exigua, tantum e filis pancis sparsis contexta, inter folia contorta, aut simpliciter in loco quodam extensis, ubi aranea, prædæ insidians, sedet, pedibus plerumque late extensis.

FAM. IV. THOMISIDAE SUND. (*Laterigradae* LATR.).

SECTIO II.

Oculi 8, aut in series tres, ordine 4, 2, 2, aut rarius in series quatuor, ordine 2, 2, 2, 2, dispositi; area, ab iis occupata, plerumque transverse quam longitudinaliter minus extensa, interdum spatium subquadratum occupans; h. e. area numquam evidenter latior quam longior est. Frons latiuscula, plerumque quasi truncata. Retia nulla. Araneæ ad prædas corripiendas circumvagantur. Cave ne huc referas ZORAM *spinimanam*, v. SECT. I.

I. Thoracis dorsum aut totum carinatum, lateribus magis abrupte declivibus, ideoque totus thorax subprismaticus est dicendus, aut est dorsum transverse subæqualiter arcuatum, lateribus minus abrupte declivibus: in utraque conditione est dorsum nullo in loco late deplanatum. Oculorum series aut tres, ordine 4, 2, 2, intermediis seriei primæ non insig-

niter majoribus quam laterales, aut rarissime quatuor, ordine 2, 2, 2, 2. Motus cursorius tantum, haud una saltatorius. Araneæ cursu prædam persequuntur; fere semper in terra versantur, rarius plantas adscendunt; interdum sub lapidibus cet., vel in foveis terræ latitant, ibidemque sæpe saccum ovorum custodientes; nonnullæ saccum ovorum, sub mamillis affixum, secum trahunt. Retia nulla.

FAM. V. LYCOSIDAE Sund. (*Citigradae* Latr.).

II. Thoracis dorsum in plerisque anterius depresso-planum, lateribus perpendicularibus, ideoque thorax anterius subparallelepipedus est dicendus; postice est dorsum plus minus longe declive, ibidemque transverse convexum, nec declivitate plana. Oculi in series tres pispositi, ordine 4, 2, 2, intermedii antici insigniter majores quam laterales; oculi seriei 2:dæ et 3:tiæ lateribus dorsi appropinquati, sive omnes 8 in formam ferri equini dispositi. Motus alternatim gressorius et saltatorius. Araneæ cursu prædam persequuntur, quam primum caute adgrediuntur, dein saltu in eam irruunt. In gramine, arbustis et in parietibus externis domuum, e rimis provenientes, ut et sæpe in infimis montibus versantur, loca solibus exposita amantes. Retia nulla, nisi tela globosa, in qua matres ova asservant.

FAM. VI. ATTIDAE Sund. (*Saltigradae* Latr.).

FAM. I. EPEÏRIDAE SUND. (*Orbitelae* LATR.)

I. EPEÏRA WALCK.

Thorax ovatus, leviter convexus, sæpe pube albida adpressa vestitus; parte cephalica per impressiones obliquas laterales plus minus distincta, superne sat plana, vel transversim minus fornicata; fronte latitudine $1/2$—$2/3$ partis thoracicæ, in masculis paucis angustiore; dorso pone medium fovea majuscula. Oculi duo intermedii postici inter se non in ulla specie evidenter latius quam duo interm. antici distant, inter se aut brevius (ut in *Singa melanocephala* Generis II:di) aut subæque longe atque antici separati; duo oculi laterales inter se semper evidenter approximati, et, similiter atque intermedii antici, plerumque eminentiæ communi impositi; oculi laterales postici ab intermediis posticis plus minus longius quam hi ab intermediis anticis distant; oculi intermedii antici propius ab ore quam ab oculis intermediis posticis locati, et fere in omnibus speciebus a lateralibus anticis longius quam inter se separati. Clypeus propter situm horum oculorum brevior quam in FAM. II, fere semper introrsum ad os descendens, infra oculos vix impressus. Cum *Epeïris* haud confundenda est *Tapinopa longidens*, ad FAM. II pertinens, in qua oculi iidem etiam evidenter propius ab ore siti sunt, at simul est series oculorum 4 anticorum non recta, sed evidenter recurva. Mandibulæ robustæ, paralleliter porectæ, apice introrsum oblique attenuatæ, crassitie femora antica æquantes, plerumque non longiores quam efficit latitudo clypei seu frontis. Maxillæ breviter ovatæ, vix longiores quam latiores, extus circulares. Palpi in masculis breves; bulbus, qui ex instrumentis genitalibus compositus est, arcte ad os inflexus, proinde ægrius

ad suas partes multiformes perlustrandus; pars femoralis ejusdem sexus brevior quam patellæ pedum anticorum; pars patellaris in plerisque superne setis 2 majoribus, transverse positis, instructa; bulbus genitalis magnus, latus. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, vel antici evidenter longissimi, quod sine mensione pedum in tibiis et metatarsis anticis, cum posticis comparatis, sub lente facile videbis; plerumque rude et uberius adpresso-pilosi, in plerisque distincte aculeati; in femoribus 6 posterioribus plerumque aculei plures quam 1 adsunt, non solum in latere antico et supero, sed etiam in latere postico sparsi; plerumque supra ipsum apicem aculeus aut unus utrinque, aut simul unus superne adest. *E. bicornis*, femina, ibi aculeis nullis (?), at tibiæ et metatarsi aculeis evidentibus: in *E. conica* et *ceropegia*, saltem femina, aut femora omnia aut metatarsi antici non evidenter aculeata sunt. Femora præsertim anteriora in nonnullis masculis subtus serie ex aculeis robustioribus, vel his saltem radicibus crassioribus, munitis. Pedes tertii ordinis respectu anticorum plerumque aprupte breves, sæpe tantum $^1/_2$, plerumque non ultra $^2/_3$ longitudinis anticorum. Tibiæ anticæ plerumque in masculis 3:plo, in feminis 2:plo longiores quam patellæ, rarius longiores; metatarsi antici sæpe in feminis paullo arcuati; tibiæ secundæ in pluribus masculis incrassatæ et paullo arcuatæ; coxæ secundæ in hoc sexu sæpe subtus, basin versus, dente erecto, et coxæ primæ sub apice, postice, denticulo minore, plerumque apice curvato, armatæ; interdum deest dens in coxis secundis, sed adest in primis; rarius sunt ambo articuli inermes. Abdomen respectu magnitudinis thoracis præsertim in feminis majusculum, ut in Fam. II, fere in omnibus ovatum, rarius obtuse ellipticum dicendum, qua re, si abdomen in medio transverse persectum esset, tunc antica pars ambitum hemisphæricum subexactum, nec ut in Fam. III, V & VI semiellepticum repræsentabit; superficies ut in Fam. II et plerisque Fam. IV:tæ parce pilosum, ita ut cutis inter pilos evidenter perspici possit. Pictura abdominis in plerisque consistit: in ventre ex arcubus duobus (utrinque uno), colore flavis, luteis vel albidis:

in dorso ex area magna ovata, utrinque sinuata vel angulata, angulis 6, vel totidem ac puncta illa impressa, quæ, in series duas longitudinales digesta, in permultis araneis adesse solent; areæ angulus primus sæpe ab insequentibus divulsus; secundus juxta foveas secundarias, inter omnes distantissimas, iterum incipit et una cum angulis succedentibus instar lineæ flexuosæ continuate ad anum decurrit; inter angulum primum et secundum abdominis color lateralis plerumque intrat et aream quasi in partes duas dividit; in areæ antica parte sæpe observatur aut macula subtriangularis fusca, pallido-marginata, aut macula oblonga seu lineola pallida, interdum fusco-marginata; in areæ postica parte, anterius, sæpe adest macula media oblonga fusca, pallido-marginata, seu vitta gemina pallida; interdum ibi adest tantum puncta nonnulla seriata, prætereaque lineolæ transversæ pallidæ seu fuscæ adsunt; abdominis latera ornantur sæpe vitta pallida, quæ cum margine suo interno sinus areæ implet, ideoque heic sinuata evadit, ad formam non dissimilis figuræ *cornu copiæ* (Clerck); pictura, saltem in cognitis speciebus, numquam ut in genere *Singa* e vittis longitudinalibus linearibus constat. Paucæ sunt, quarum abdomen, excepta macula supraanali rubra, haud evidenter pictum est; loca pro angulis areæ per seriem punctorum nigrorum designata. Apertura sexualis in plerisque feminis lobum longum seu vaginam flexuosam emittit (= *Epigyne* Savigny), similiter atque in nonnullis speciebus Fam. II:dæ; hæc vagina sæpe transverse rugolosa; apertura in nonnullis stilum vel lobum brevem repræsentat. Retia orbicularia, e filis circularibus et aliis rectis, e centro communi radiantibus composita. Præda filis inglomeratur et dein exsugitur. Plures species cubiculum campanulatum seorsum in angulo quodam juxta rete construunt. Ova inter se arcte adglutinata, in massam compactam, indusio lanato molliore, extus indusio alio rigidiore convolutam, deponuntur. Quum *Epeïræ* semper in angulo quodam retis vel in ipso reti capiantur, ita structura retis etiam mox indicat earum locum in systemate, similiter ac reliquarum *Epeïridarum*.

SECTIO I.

Oculi duo intermedii antici inter se evidenter magis distantes quam duo intermedii postici, intervallo plerumque duplo majore quam inter hos; omnes quatuor igitur aream trapezoideam (ut in Singa melanocephala) nec quadratam occupant, et simul sunt oculi intermedii antici a lateralibus anticis plus minus longius separati quam inter se. E. sollers, (abdomine globoso thoraceque, longit. 2 mm., piceo), oculis intermediis posticis inter se perparum magis approximatis, huc pertinet.

§. **Maris** tibiis secundis evidenter crassioribus quam primæ et in latere antico paullo arcuatis, crebrius aculeatis, aculeorum pluribus plerumque brevioribus et rubustioribus quam reliqui, ibi locati.

Feminæ thoracis longitudine non infra $2^1/_2$ mm., simulque est ejus color rarius (in variantibus) unicolor, plerumque pallidus vel pallido-testaceus, vitta marginali et dorsali nigris seu piceis; nonne umquam in vivis totus piceo-nigricans vel latericio-rufescens?

1. **E. angulata** (Clerck): *Femina* fusca seu nigricans, thorace, longit $5^1/_2$—6 mm., nigra trivittato; abdomine ovato, dorso anterius gibbo magno utrinquæ instructo; ejus lateribus vitta normali, introrsum acute sinuata, fusca aut luteo-albida; dorso antice signatura instar furcæ præposteræ, lineolisque succedentibus duabus obliquis, antice convergentibus, albidis, interdum in maculam triangulam vel hastatam ejusdem coloris, rarius luteo-fulvam confluentibus notatis; area dorsali pone gibborum intervallum (plerumque nigrum) vitta maculari albida; femoribus annullis trinis fuscis aut nigricantibus, intermedio etiam subtus continuo, interdum in femoribus anterioribus superne cum fuscedine apicali conflato, tibiis metatarsisque in annullorum intervallis testaceis pube griseo-albida adspersis: (mandibulis totis nigris, non apicibus flavescentibus, an semper?).

Mas thoracis marginibus circulariter arcuatis, fronte non latiore quam $^1/_3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ;

illo fusco-nigricante; parte cephalica sæpe macula cuneata pallida; abdominis gibbis non distinctis; signatura furcata incompleta, ramanente tantum quasi ipso manubrio furcæ, instar lineolæ longitudinalis; signaturis angularibus interdum in speciem trianguli sive hastæ confluentibus; area dorsali pone hanc picturam per arcum sive fasciam transversam, simplicem aut geminatam, et ad latera per vittam normalem flexuosam, colore albidas vel luteo-albidas clausa; arcu eodem vittaque laterali præsertim in junioribus subunicoloriter albidescentibus vel interdum luteo-tinctis, e colore fusco parcius maculatis; coxis secundis sub basi spina rudimentaria (an umquam evidentius procurrente?); coxis primis sub apice posterius spina minore, apice subadunca; mandibulis nigris, plerumque extus pallide flavescentibus.

Ar. angulatus CLERCK, p. 22, Pl. 1, T. 1, et *Ar. virgatus* ibidem, p. 41, Pl. 2, T. 2 = mas junior. — *Ar. angulata* LINNÉ, Faun. Sv. E. 2, p. 487, 1999. — DE GÉER, p. 221, Pl. 12, f. 1. — FABR. Ent. S. II, p. 414, 29. — *Epeïra angulata* SUNDEV. A:o 1832, p. 234, (exceptis pullulis, qui ad *E. bicornem* pertinent). — WALCK. Apt. II, p. 121, ad partem? — KOCH XI, p. 77, T. 379, f. 892—895. — THORELL Rec. crit. p. 7.

Individua quæ vidi, quoad picturam inter se plus minus discrepantia, sub tres varietates comprehendi possunt, scilicet: *var. a.* abdominis dorso antice angulis duobus, postico antice aperto, jam antico, jam postico irregulari, maculæformi, jam alterutro eorum obsoleto; spatio inter gibbos fasciam nigram assimilante; area dorsali dein aperta, nec per arcum vel fasciam transversam albidam ibi clausa; *var. b.* angulis memoratis in maculam communem subtriangulam luteo-rubicundam seu fulvam transmutatis, de cetero ut *var. a*: *var. c.* iisdem angulis in maculam communem subtriangulam aut hastatam albidam vel flavo-albidam sive fulvam confluentibus, vitta laterali utrinque sinuata (*cornu copiæ Clerck*) lætius albida vel flavo-albida, parcissime nigro variegata, anterius cum fascia vel arcu transverso ejusdem coloris, pone intervallum gibborum posito, connexa; plerumque juniores et mas adultus.

Femina ab *E. bicorni* facile distinguitur oculis intermediis posticis inter se evidenter magis quam intermedii antici approximatis; planum, quo oculi iidem 4 insistunt, declive nec perpendiculare. Pedes ut in *E. diademata* fusco-annulati, et annulus medius in metatarsis posterioribus ut in illa et præsertim in masculis sæpe cum annulo apicali confluit; in metatarsis posticis annulus ille rarius in adultis quam in junioribus circumcirca a fuscedine apicali separatus, unde color fuscus ab apice ultra medium continuate extensus videtur; annulus femorum medius in pullis sæpe deficit, interdum subtus rudimentarius. Patellæ anticæ una cum tibiis conjunctim longit. 8 millim.; iidem articuli pedum posticorum 7 millim. Mandibulæ totæ nigræ, an semper apicibus concoloribus?

Mas, specimen in Lapponia captum, cum figura 894, a Dom. Koch delineata, fere omnino congruit, annulus autem medius in tibiis et metatarsis ut et in femoribus non a Dom. Koch observatus, an ejus aranea non perfecte explicata?; cephalo-thoracis macula capitalis pallida punctis duobus fuscis, transverse positis, notata; arcus magnus transversus albidus, pone intervallum abdominis gibborum, qui vittam lateralem cum opposita anterius connectit, ex arcubus duobus tenuibus vel ex arcu geminato constat; e vitta laterali fere unice restat margo internus sinuatus; loco angulorum versus basin dorsi observatur tantum macula vel lineola; omni hac pictura pure albida; thoracis longitudo tantum 3 mm., patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $4^3/_4$, iidem articuli pedum posticorum $3^3/_4$ mm. — Specimen alterum, ad Holmiam inventum, vitta laterali et arcu sive fascia, pone gibbos sita, abundanter colore albido vel flavo-albido colorata, parce fusco contaminata; ejusdem vittæ margo internus sinatus vix albidior quam ipsa vitta; thoracis longitudo $4^1/_2$, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim usque 7, iidem articuli pedum posticorum 6 mm.; ambo exempla abdomine æquali nec gibbis ullis distinctis instructa erant. Annulus medius fuscus in femoribus superne cum fuscedine apicali confluit, unde femora ad maximam partem exteriorem infuscata evadunt; subtus autem, præsertim in femoribus po-

sterioribus, annulus idem liber est. Tibiæ secundæ incrassatæ, in latere antico arcuatæ, heic, similiter atque in *E. diademata*, seriebus duabus ex aculeis 5—7, crassioribus quam reliqui, totis nigris, longitudine tantum $^1/_2$—$^3/_4$ diametri articuli attingentibus armatæ; reliquis aculeis, ibi dispersis, tenuibus, diametrum articuli superantibus. Latitudo frontis non major est quam efficit $^1/_3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ, quod bene est observandum, et qua in nota per se a mare *E. bicornis* (13) facile distinguitur. Oculi 4 intermedii non ut in hoc in quadratum sed in trapezium dispositi. De structura membri genitalis vide *Obs.* ad *E. pyramidatam* (3).

In Scania, Ostrog., Uplandia et Gotlandia a *Sundevall* capta; mas ad Qvickjock Lapponiæ a *N. J. Andersson*, et uterque sexus omnis ætatis in Uplandia a *T. Thorell* inventus; ibidem *Clerck*.

2. **E. diademata** (Clerck): abdomine ovato, juxta basin utrinque in angulum humiliorem eminente, area dorsali serie media longitudinali e lineolis et punctis alternantibus albidis, harum anterioribus una cum macula, utrinque mox ante foveam ordinariam primam sita, crucem formantibus; macula ejusdem coloris, juxta foveam secundam utrinque sita, plerumque nulla, saltem punctiformi, rarius lineolam obliquam repræsentante; femoribus, exceptis annulo basali angusto et apicali latiore, semper annulo tertio in medio cinctis, hoc continuate articulum ubique cingente; tibiis metatarsisque, præsertim anterioribus, etiam annulo ejusmodi, hoc plerumque in metatarsis posticis cum fuscedine apicali confluente, et tunc articulo ad $^1/_2$—$^2/_3$ unicoloriter fuscescente.

Variat abdominis colore in fundo fusco, brunneo-castaneo, griseo et nigricante, thoracis linea media et marginali fuscis evidentibus; variat etiam colore abdominis ochraceo seu luteo-albido, thoracis lineis fuscis plerumque deletis; hæc varietas sæpe pedum annulis plus minus læte

rufescentibus, annuloque medio in tibiis et metatarsis obsoleto (= *Ar. Peleg* CLERCK).

Ar. diadematus CLERCK), p. 25, pl. 1, T. 4 et *Ar. Peleg* ib. T. 5 (varietas lutea). — *Ar. diadema* LINN. Faun. Sv. Ed. 2, 1993. — FABR. Ent. S. II, p. 415, 30. — *Ar. myagria* WALCK. Fn. par. II, p. 192, 8, et *Epeira id.* IDEM Tabl. p. 59. — *Ar. diadema* IDEM Faun. par. p. 192, 9. — *Ar. cruciger* DE GÉER VII, p. 218, pl. 11, f. 3—8. — *Ep. diadema* HAHN Die Ar. II, p. 22, T. 45, f. 110. — SUNDEV. A:o 1832, pag. 235. — WALCK. Apt. 2, p. 29, 1, (excl. Syn. *Kochii (E. lutea)*). — KOCH. XI, p. 103, T. 384, f. 910. — *E. stellata* IDEM p. 106, T. 384, f. 911.

Thorax variat longitudine 4—6 mm. Patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 7—9, pedes antici toti 15—20 mm. — Species ut præcedens facile ab aliis destinguitur annulo medio continuo in femoribus, et abdominis angulo antico, qui, etsi leviter, tamen satis evidenter eminet, præsertim in femina. *Mas*, ut plerique alii mares, abdomen non multo majus quam thorax habet; ille, similiter ac mas *E. pyramidatæ* et *marmoreæ*, subtus in coxis secundis dente erecto, juxta basin sito, et in apice coxarum anticarum spinula obtusa, apice adunca, armatus. Ab his speciebus constanter differt metatarsis posterioribus annulo medio fusco, hoc aut libero, aut cum fuscedine apicali confluente, et tunc articuli usque ultra medium fusci evadunt; tibiæ etiam annulo medio ornatæ. Tibiæ secundæ ut in mare *E. angulatæ* et nonnullis insequentium constructæ. De structura maris membri genitalis vide *Obs.* ad *Ed. pyramidatam* (3).

Habitat in hortis, arbustis, rimis montium cet.; versus finem æstatis vulgatisima, et tunc plene adulta. Varietas ochracea vel luteo-albida (= *Ar. Peleg* CLERCK) semper in arbustis a me capta, plerumque corpore minore. Varietas nigra, pictura albida, læta, pedibus brevioribus, vel patellis cum tibiis anticis conjunctim longit. 7—7 ½ mm. (= *E. stellata* KOCH), sæpe in rimis montium a me lecta. — Ad Åreskutan Jemtlandiæ, ad Dovrefjell et Valders Norvegiæ, in Scania, Blek. et Upl. a *Boheman* capta. — In Gottl. *Högberg;* in Upl. *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog. *v. Post.* Totius Sveciæ incola, teste *Dom. Sundevall.* Inter spicies copiosis-

simas, a DD. *Boheman* et *N. J. Andersson* in *Lapponia* collectas et a me lustratas, hanc araneam non vidi; an re vera *Lapponiæ* incola?

3. **E. pyramidata** (Clerck): *Femina* thorace pallido, linea media marginalique fuscis; abdomine superne albido, vitta media fusca seu nigra, utrinque sinuata, ad anum sensim angustata, mox ante medium dorsi inchoata, latitudine maxima haud frontis latitudinem superante; dorso anterius primum par fovearum normalium propter colorem albidum dorsi evidenter repræsentante, his foveis puncta duo fusca assimilantibus; tibiis metatarisque annulo medio fusco nullo, tantum infra medium ad apicem fuscis.

Ar. pyramidatus Clerck, p. 34, pl. 1, t. 8. — *Ar. scalaris* Fabr. II, p. 419, 45. — Panz Faun. 4, 24. — Walck. Fn. Par. II, p. 194. *Epeïra scalaris* Walck. Tabl. d. Ar. p. 60, N:o 30. — *E. pyramidata* Sund. A:o 1832, p. 242. — *E. scalaris* Hahn die Ar. II, p. 27, T. 47, f. 114. — Walck. Apt. II, p. 46. — *E. pyramidata* Koch die Ar. XI, p. 107, T. 384 f. 912.

Mas tibiis secundis incrassatis, coxis ejusdem ordinis subtus ad basin dente acuminato, et coxis primis in apice postice spinula obtusa, adunca instructis. Uterque sexus propter picturam dorsalem abdominis insignes. Totum dorsum albidum nulla alia pictura notatum quam vitta media fusca, utrinque sinuata, quæ antice sat longe infra par primum foveolarum normalium finita est; vitta normalis lateralis pallida (*cornu copiæ* Clerck) scilicet cum colore basali unicoloriter confluit et una cum hoc velut limbus magnus vittam mediam fuscam cingit; limbus pure albidus vel lutescenti-albidus, nonne interdum viredine tinctus? — Thorax long. 4—5, patellæ una cum tibiis anticis 5 $^1/_2$ — 7 mm.

In Scania, Blek., ad Åreskutan Jemtlandiæ, in Lapponia, Dovrefjell, Trondhiem et Valders Norvegiæ a *Boheman;* in Uplandia a *Clerck*, *Boheman & Thorell*; in Wermlandia a *J. A. Carlsson*; ad Lilla Edet & Jonsered Westrogothiæ a me ipse capta. Præsertim silvas acerosas inhabitare videtur.

Obs. Thorell suspicatur, hanc speciem non nisi varietatem esse *E. marmoreæ* (v. *Kongl. Vetenskaps-Academiens Förhandlingar* 1859, p.

237); at *Thorell*, qui sexum masculinum non viderat, suspicionem suam non pro certo affirmare potuit. Unicum specimen masculinum, quod possideo (primum in spiritu vini asservatum et dein acu affixum) differentiam aliquam in membro genitali repræsentat. Hoc membrum, ut in *E. marmorea* et pluribus, sub apice in calcar sive laminam falcatam, acuminatam, at, certo situ inspectam, subtruncatam, magnam productus, sub ea jacente procursu altero; illud calcar, ut reliquæ appendices, nigrum, nec ut in *E. marmorea* rufescens. Lamina ordinaria et scutum sive lamina orbiculata, supra basin ipsius membri genitalis sita, fere in omnibus *Epeïris* communis, ut in illa specie rufo-testacea; scutum basi rugula elevata nigra, nitida, quasi polita, ima basi autem rubicunda, nec ut in illa albida (an etiam in vivis?). Scutum sive lamina orbiculata ad partem obvolvit laminam alteram, cujus margo exterior tantum in lucem prominet, extus paullo angulatim productus; juxta hanc laminam, interius, (vide ex. gr. palpum dextrum) adjacet, ut in *E. marmorea* et aliis hujus divisionis, nec non *E. lutea* (10), gibbus, in diversis speciebus structura dissimilis, ambabus partibus in illis nitidis, in specimine lustrato ad partem subruguloesis (an post exsiccationem?). — Hic gibbus in *E. diadimata* sat magnus, subobconicus vel cylindricus, dependens, ad formam non dissimilis mandibulis, at multo minor; in *E. quadrata*, cujus mas alias facile dignoscitur defectu spinularum in coxis duabus anterioribus, etiam magnus, in apice antico profunde bifidus; in *E. marmorea* et *angulata* reniformis, inflatus, apice interiore ut in *E. quadrata* et aliis in cuspidem, plus minus evidentem, nigram finitus, quam cuspidem, forsan præsentem in *E. pyramidata*, ubi gibbus non inflatus et nitidus, sed impressione subtriangulari munitus et opacus est, non bene videre possum; hic gibbus etiam niger, nec ut in aliis, quibus quoad membrum genitale confundi potest, pallidus. An color partium omnium allatarum niger, atque impressio gibbi reniformis in exemplis vivis constantes sint nec ne, experientia ulterior docebit. Gibbus in apice antico nigricans, aut quasi nigro-marginatus, aut in tuberculum sive denticulum nigrum paullulum productus, denticulo in *E. marmorea* sat evidente, in *E. pyramidata* non perspicuo, an etiam in vivis.

4. **E. marmorea** (Clerck): thorace pallido, linea media marginalique fuscis; abdomine ovato, præsertim in ♀ crebre pallido seu sanguineo-punctato et fusco-reticulato, pone basin macula oblonga, in ♀ latitudinem apicis femorum anticorum æquante, dein maculis 4 rotundis majusculis, aut interdum minoribus, fere in quadratum exactum, vix in trapezium evidens dispositis, flavo-albidis seu in variantibus sanguineis; tibiis metatarsisque annulo me-

dio fusco nullo, tantum infra medium ad apicem fuscia. Thorax longit. 4½—5 millim.

Ar. marmoreus Clerck, p. 29, pl. 1, T. 2 et *Ar. Babel* T. 6. — *Ar. aurantio-maculata* De Géer VII, p. 222, pl. 12, f. 10 & 17. — *Ar. marmorea* Fabr. Ent. S. II, p. 415, 31. — *Ar. melittagria* Walck. fn. Par. II, p. 191. — *Ep. marmorea* Walck. Tabl. p. 61. — Sund. A:o 1832, p. 241. — Koch V, p. 63, T. 162, f. 379 & 380. — Walck. Apt. II, p. 58.

Mas distinguitur a mare *E. quadratæ* coxarum armatura, quæ similis est atque in *E. diademata* et *pyramidata*. Latus arcuatum in tibiis secundis aculeis pluribus brevibus armatum; hi aculei, numero 10—12 (fere in series 2 depositi), multo breviores quam reliqui, ibi locati. In *mare E. quadratæ* aculei breviores parum crassiores quam reliqui, etiamque non insigniter beviores quam hi. *Femina* a ♀ *E. quadratæ* differt macula basali in dorso abdominis plerumque latiore quam tibiæ anticæ, rarius angustiore, sæpissime latitudinem femorum attingente; maculæ vel puncta 4 insequentia potius in quadratum quam in trapezium disposita. Vitta lateralis normalis sinuata (*cornu copiæ* Clerck), aream dorsalem includens, anterius plerumque in maculam magnam aucutam, immaculatam finita. Abdomen evidenter fusco-reticulatum, quasi guttulis pallidis numerosis, nigro-cinctis adspersum. Multo minus vulgata quam *E. quadrata*. De structura membri genitalis maris vide *obs.* ad *E. pyramidatam* (3).

Habitat in plantis altioribus et arbustis circa Gothoburgum minus frequens; in Uplandia a *Clerck, De Géer, Sund.* et *Thorell*, in Norvegia, Lapponia et Blekingia a *Boheman* capta; in Ostrog., *v. Post.*

5. **E. quadrata** (Clerck): *Femina* abdomine præsertim in gravidis globosiusculo, ano brevius prominente, colore rufobrunneo aut pallide virente (in fundo non evidenter fuscoreticulato), area dorsali albido-sinuato-marginata, margine sæpe posterius plus minus deleto, interdum fere toto evanescente; dorso anterius maculis 4 albidis, in trapezium obtusum dispositis, aut majoribus aut in variantibus puncti-

formibus, fere semper remanentibus, antejacente lineola longitudinali albida, plerumque latitudinem metatarsorum anticorum vix superante, tibiarum, saltem femorum latitudinem vix umquam attingente? — Thorax longit. 5 1/2 mm. *Mas* in basi coxæ secundæ et in apice coxæ primæ subtus spina nulla.

Ar. quadratus CLERCK, p. 27, pl. 1, t. 3. — *Ar. 4-maculata* DE GÉER VII, p. 223, pl. 12, f. 18. — *Ar. quadrata* FABR. Ent S. II, p. 415, 32. — *Ar. idem* WALCK. fn. Par. 2, p. 193. — *Epeïra quadrata* WALCK. Tabl. p. 61. — SUNDEV. A:o 1832, p. 239. — WALCK. Apt. II, p. 56. — KOCH V, p. 66, T. 162, f. 381, 382.

Patellæ et tibiæ posticæ simul sumtæ, ut in *E. marmorea* variant longitudine 4 1/2—6 mm. in ♂, 5 1/2—6 mm. in ♀. Vix ullus aculeorum in tibiis secundis incrassatis in mare tam brevis est atque in speciebus præcedentibus, apud quas plures aculei 1/2 diametri articuli haud superant; in mare *E. quadratæ* autem aculei, qui ad breviores sunt numerandi saltem 1/2 illius diametri attingunt, et pauci sunt; plerique totam diametrum attingunt. Abdomen, ovis repletum, usque 12 mm. latum, 15 mm. longum, ad formam magis globosum nec a medio anum versus evidenter angustatum. Pedes ut in *E. pyramidata* et *marmorea* annulati, et thorax vitta media et marginali fusca notatus, hac pictura in femina evidentiore. Cubiculum magnum campanulatum. Fine æstatis ova deponuntur, lana straminea vel vitellina involuta; diameter globi contexti usque 17 mm. attingit. Ova usque ad 800 a me numerata.

Circa Gothoburgum in plantis et arbustis frequens. In Scania, Blek., Gottl. et Upl. a *Sundev.*; ad Dovrefjell et Valders Norvegiæ et in Lapponia a *Boheman* capta. In Uplandia, *Clerck*, *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

§§. *Mares* tibiis secundis non evidenter crassioribus quam primæ, linearibus, aculeis omnibus gracilibus, evidenter longioribus, saltem æque longis ac diameter ipsius articuli. Coxæ secundæ sub basi non ut in plerisque præcedentibus speciebus dente armatæ, at coxæ primæ plerumque ut in iis denticulo apicali postico, uncato, instructæ (excepta *E. lutea* et forsitan *E. sollerti*). *Mas E. umbraticæ* et *conicæ*, ut in præcedentibus, fe-

moribus anticis subtus serie longitudinali ex aculeis pluribus, radicibus incrassatis armatis (an in pluribus?).

Feminæ thoracis colore latericio seu castaneo, aut piceo-nigricante, unicolore, (nisi in *E. lutea* vitta marginalis et dorsalis paullo saturatius rufo-piceæ quam thorax rufescens).

6. **E. umbratica** (Clerck): thorace piceo-nigricante, sæpe anterius rubedine tincto; abdomine subcordato, in basi medio retuso; dorso depresso area magna lata, utrinque per totam extensionem continuate albido-sinuato-marginata, foveis normalibus, per paria dispositis, evidentissimis, secundariis æque latis ac tibiæ posticæ; femoribus anticis maxima parte fusco-nigricantibus, basi anguste rufo-testaceis; tibiis metatarsisque annulo medio et apicali fusco, semper in pedibus 4 posterioribus remanente.

Ar. umbraticus Clerck, p. 31, pl. 1, T. 7. — *Ar. cicatricosa* De Géer VII, p. 226, pl. 12, f. 19. — *Ar. umbratica* Walck. fn. Par. II, p. 196. — *Epeïra umbratica* Walck. Tabl. p. 61. — Sundev. A:o 1832, p. 238. — Hahn die Ar. II, p. 24, T. 46, f. 112. — Koch ib. XI, p. 128, T. 389, f. 930. — Walck. Apt. II, p. 66. — *Ar. sexpunctata* Lin. Faun. Sv. Ed. 2, p. 490, 2013? — Fabr. Ent. Syst. II, p. 420, 49?

Magnitudo *E. sclopetariæ*. Pedes antici in ♀ longit. 16, in ♂ usque 21—22 mm.; femora antica in ♂, ut in præcedentibus, non solum in latere antico aculeis promiscuis, sed etiam subtus serie longitudinali ex aculeis 6—8, radicibus incrassatis, instructa. Retusio vel emarginatio basalis abdominis valde characteristica; illa in ♂ minus profunda est. Propter directionem pedum, qui sub ingressu solo satis apprimuntur, et propter depressionem abdominis hæc aranea facilius quam aliæ Epeïræ in loca humiliora intrare potest.

Habitat sub cortice arborum et sub lapidibus sæpium, ubi die latitat et tempore vespertino in rete descendit; ad Gothoburgum non infrequens; in Scania, Gottl. & Upl. a *Sundevall;* ad Dovrefjell Norvegiæ, ad Åreskutan Jemtlandiæ et in Lapponia a *Boheman;* in Wäderö Bahusiæ ab *A. W. Malm* capta. In Uplandia *Clerck, Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

7. **E. sclopetaria** (Clerck): thorace nigro-piceo, margine laterali summo, linea, inter oculos 4 intermedios ducta, retrorsum arcuata, lineolisque duabus occipitalibus, fere numerum V formantibus, dense albido-pubescentibus: abdominis area dorsali anguste albido-sinuata, anterius maculam triangularem unicoloriter nigram, albido-marginatam, et deinceps maculam alteram oblongam ejusmodi coloris includente, margine sinuato antice arcuatim usque ad marginem albidum trianguli nigri producto, ita ut areæ antica pars haud aperta sed clausa evadat; femoribus anterioribus subtus in colore basali pallido punctis fuscis adspersis.

Var. a abdomine in fundo fusco-nigricante.

Ar. sclopetarius Clerck, p. 43, Pl. 2, T. 3. — *Epeïra sericata* Koch XI, p. 110, T. 385, f. 914—15.

Var. b abdomine brunneo.

Ar. sericatus Clerck, p. 40, Pl. 2, T. 1. — *Ep. virgata* Hahn die Ar. II, p. 26, T. 46, f. 113.

Ep. sclopetaria Westr. Enum Aran. p. 34. — Thorell Rec. crit. p. 22.

Ab *E. patagiata* (9) et *cornuta* (8) differt magnitudine majore, colore thoracis semper saturate nigro-piceo nec rufo-testaceo; femora subtus in iisdem speciebus non fusco-punctata; structura genitalis feminæ alia; color lanæ, ova obvolventis, vitellinus vel luteo-rubicundus, nec sulphureus cet. Pars antica areæ dorsalis abdominis in utroque latere maculæ triangularis in speciebus memoratis aperta et cum fuscedine basali in extremitate abdominis confluens, h. e. margo undulatus, quo area cingitur, in illis non ut in *E. sclopetaria* circulariter ad triangulum fuscum, in medio dorsi antice situm, productus. Thoracis signaturæ, e pube condensata albida formatæ, etiam ut notæ satis essentiales sunt considerandæ; inter oculos intermedios posticos præterea observatur lineola ejusmodi, longitudinaliter ducta. Tibiæ anticæ, similiter atque in *E. patagiata*, aculeis et nigris et aliis rufo-brunneis, non ut in *E. cornuta* aculeis nigris omnibus armatæ, et iidem articuli ut et metatarsi posteriores etiam ut

in *E. patagiata*, tamen adhuc evidentius, annulo medio fusco, aut libero aut cum fuscedine apicali confluente, cincti; hac fuscedine conflata $^1/_2$—$^2/_3$ articuli occupante. Maris palporum lamina ordinaria ut in *E. umbratica* nigricans, nec rufo-brunnea. Habitatio numquam in regno vegetabili.

Thorax in ♂ longit. $3^1/_2$—4, pedes antici circiter 22 mm.; ille in ♀ $4^1/_2$, pedes antici 17 mm.; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim in ♂ $5^1/_2$—6, in ♀ 5 mm.; iidem articuli pedum anticorum in ♂ $7^1/_2$, in ♀ $6^1/_2$ mm. Abdominis vitta lateralis, juxta marginem sinuatum areæ dorsalis, transversim fusco-maculata; macula triangularis, antea memorata, nigra, unicolor est, in medio laterum quasi constricta vel ibi sinuata. Femora maris tantum in latere antico aculeis promiscuis, nec ut in præcedentibus subtus serie regulari ex aculeis, radicibus incrassatis, instructa, heic ut in *E. patagiata* et *cornuta* tantum setulis vestita. Epigyne feminæ pallida, transversim regulosa, ex apertura subhorizontaliter retrorsum extensa, nec erecta, parum ultra marginem posticum aperturæ porrecta. Maris palporum bulbus genitalis subtus ad basin calcari robusto, extus a medio befido, chelam assimilante, lobo uno latiore altero, hoc illo paullo breviore. Hoc calcar gibbo illi respondet, quem in nota sub *E. pyramidata* meminimus, at magis angustatus, et apicibus, in directionem subparallelam directis, magis productis, calcar geminum referentibus.

Habitat in domibus et ædificiis aliis, iis propinquis, Gothoburgi frequens. Primo vere feminæ e suis latebris hiemalibus proveniunt et fine Aprilis vel initio Maji retia extra fenestras suspendunt, nullum cubiculum seorsum inhabitant, sed tantum in angulo quodam juxta rete die latitant et tempore vespertino illuc descendunt. In Upsalia specimen unicum a *Thorell* captum; num in plerisque regionibus Sveciæ rarius occurrit? In Ostrog., *v. Post.*

8. **E. cornuta** (Clerck): thorace latericio seu brunneo-rufescente, unicolore; abdominis area dorsali nigro-fusca, antice aperta vel cum fuscedine basali unicoloriter con-

fluente, fuscedine plerumque punctis pallidis adspersa, macula media cuneata vel triangulari, in areæ parte antica sita, maculaque succedente oblonga sæpe ad partem in puncta fusca divulsis, marginibus ambarum macularum, fascia transversa inter foveolas normales primarias et secundarias, lineolis transversis in areæ parte postica vittaque undulata, in dorsi lateribus sita, colore plerumque purius albidescentibus, sæpe autem brunneo-albidis vel grisescentibus; tibiis anticis in utroque sexu aculeis omnibus nigris (an interdum in ♂ aculeis quibusdam lateralibus ad partem rufo-brunneis?); tibiis metatarsisque in medio annulo fusco semper carentibus.

Ar. cornutus Clerck, p. 39, pl. 1, T. 11. — *Ep. apoclisa* Hahn die Ar. II, p. 30, T. 48, f. 116. — *E. arundinacea* Koch XI, p. 109, T. 385, f. 913. — *E. apoclisa* Walck. Apt. II, p. 61, 49, *var. A* (Varietates reliquæ, ibi allatæ, ad *E. patagiatam* referendæ). Confer *E. apoclisam* Sundev. A:o 1832, p. 243, (ubi descriptio mixtim etiam speciem præcedentem continere videtur). — *E. cornuta* Westr. Enum. aran. 1851, p. 34. — Thorell Rec. crit. p. 21.

Magnitudo vix ab *E. patagiatæ* differt; tamen videntur maris pedes esse 1—2 mm. longiores. Abdominis pictura pallida plerumque magis læta; vitta lateralis undulata aut unicolor aut maculis vel punctis fuscis picta; fascia inter foveas normales primi et secundi paris in ♀ latiuscula, sæpe punctis nigris parce adspersa; margines maculæ anticæ subtriangularis et maculæ oblongæ succedentis latiores, et lineæ transversæ in areæ parte postica etiam late et lætius expressæ; foveæ impressæ primi paris plerumque semper evidentes et instar punctorum fuscorum, similiter atque in *var. c E. patagiatæ*, se repræsentant. Vitta lateralis undulata præsertim in ♂ fuscedine variegata, at ipse margo summus internus et reliqua pictura satis late et purius albida. Nec mares nec feminas vidi, quæ annulo vel puncto fusco in medio tibiarum et metatarsorum ornata erant, neque hactenus exempla legi, quæ aculeis ullis rufo-brunneis sed omnibus nigris in tibiis anticis armata erant (an etiam semper in ♂?). Calcar in bulbo genitali ut in *E. sclopetaria*

a medio tantum nec toto fisso, gracili; fissura angusta ita ut lux penetrans ægrius sit observanda.

Genus vitæ ut *E. patagiatæ*. Interdum in plantis aquaticis, ex gr. in arundine capta. Semel feminam vidi, quæ rete extra fenestram, in vicinitate horti suspenderat; circa Gothob. vulgatissima. In Scania et Blek., *Sundev.* et *Boheman*; in Upl. *Sundev.*, *Thorell* et *Clerck;* in Dovrefjell, ad Åreskutan Jemtlandiæ et ad Trondhjem et Valders Norvegiæ a *Boheman* capta; in Wäderö Bahusiæ *A. M. Malm*; in Ostrog., *v. Post.*

9. **E. patagiata** (Clerck): thorace brunneo-rufescente, unicolore; abdominis area dorsali fusca (a vitta laterali undulata inclusa) in antica sua parte utrinque aperta vel cum fuscedine circa abdominis basin confluente, h. e.: per marginem internum vittæ lateralis undulatæ non anterius circulariter clausa; tibiis anticis non solum maris sed etiam feminæ aculeis plerisque rufo brunneis; tibiis et metatarsis, excepta fuscedine apicali, plerumque annulo vel puncto medio fusco; abdominis pictura valde variante.

Var. a: area dorsalis abdominis in fundo aut rufobrunnea aut fusco-subnigricans; illa, exceptis marginibus maculæ basalis triangularis et maculæ succedentis subfusiformis lineolisque nonnullis transversis posterioribus, colore pallescentibus, minus crebe pallido variegata, vittaque laterali undulata non nigro-maculata, hujus margine interiore marginibusque maculæ triangularis, in areæ antica parte sitæ, plerumque magis pallido-albidescentibus vittaque pallida transversa normalis ante medium dorsi, quæ inter anticam partem vittarum lateralium has connectere et aream dorsalem in duas partes devidere solet, etiam unicolor, nec evidenter fusco-variegata vel nigro-marmorata.

E. dumetorum Hahn Die Ar. II, p. 31, T. 48, f. 117. — *E. patagiata* Koch ib. XI, p. 115, T. 386, f. 916, 918 & 919.

Var. b: vitta memorata transversa pallida, ante medium dorsi sita, in puncta dissoluta, unde dorsum uberius pal-

lido-punctatum videtur, simulque est vitta lateralis undulata, plerumque lætius albicans, crebre nigro-punctata vel marmorata.

Ar. patagiatus CLERCK p. 38, pl. 1, T. 10.

Var. c: area fusca in antica parte deleta, restante plerumque macula angulari, pallido marginata; parte deleta e colore luteo-rufescente diffuso occupata et tunc foveolis normalibus primi paris et sæpissime secundi paris instar punctorum fuscorum evidentius se repræsentantibus.

Ar. ocellatus CLERCK p. 36, pl. 1, T. 9. — *E. patagiata* KOCH l. c. fig. 917.

Inter varietates enumeratas plures obveniunt, quæ inter se plus minus discrepant et jam unius jam alterius picturam ad partem sibi adsumunt. Conf. *E. apoclisam* WALCK. Apt. II, p. 61, 49, varietates omnes, præter *A.*

In permultis exemplis lustratis margines maculæ triangularis, in areæ parte antica sitæ, et maculæ oblongæ, ei succedentis, ut et vitta lateralis normalis (*cornu copiæ* CLERK) semper minus pure albida quam in *E. cornuta;* tamen est vittæ margo summus internus, sinus areæ tangens, plerumque magis albescens, et ♂, similiter ac ♂ *E. cornutæ*, maculam triangularem memoratam purius albido-marginatam habet; vitta lateralis undulata in illo etiam plerumque paullo lætior quam in femina evadit. Mares occurrunt, qui hanc vittam e colore fusco obcurius contaminatam, at ipsum maginem, areæ margini sinuati propinquum, pure albidum habent, et tunc hi quoad picturam mari *E. sclopetariæ* satis similes sunt, tamen facile distinguuntur colore thoracis et magnitudine minore. Pedes antici toti in femina tantum longitudine 14, patellæ cum tibiis conjunctim 5 millim., vel fere æqualiter longi atque in ♀ *E. cornutæ*; thorax longit. 4 mm.; thorax in mare 3 mm., pedes antici 15, patellæ una cum tibiis 5 ½ mm. Mas plerumque semper in tibiis et metatarsis annulo medio fusco, præter fuscedinem apicalem, pictus; femina, saltem siccata, sæpe ibi subunicolor; femora extus plus minus late nigro-fusca seu rubicunda. Epigyne feminæ,

ut in *E. cornuta* e stilo nigro recto, oblique deorsum pendente constat; haud colore pallida, neque transversim rugulosa ut in *E. sclopetaria*. Maris membrum genitale subtus ad basin calcari robustissimo, usque ad basin fisso, lobis inter se fere æque crassis et longis, late distantibus, ita ut lux evidentissime penetrare possit.

Habitat in arbustis et plantis. Aranea cubiculum campanulatum sibi comparat, juxta rete suspensum. Ova in indusio flavescente seu sulphureo asservantur. Rarissime et tantum fortuito in domibus occurrit. In Scania, Blek. a *Sundevall;* in Jemtl., Lapp. (Qvickjock), ad Trondhjem et Valders Norvegiæ a *Boheman* capta. In Upl. *Clerck, Sundevall, Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

10. **E. lutea** (Koch): *Mas* thorace testaceo-rufescente, linea media tenui et margine paullo saturatius coloratis; abdomine obtuso-ovato, brunneo-lutescente, area dorsali normali sensim parum angustata, marginibus levissime sinuata, lineolis transversis pallidis, fusco-marginatis notata; lateribus lineis obliquis et inferne vitta fusca signatis; pedibus pallido-testaceis, rufo-brunneo-annulatis, tibiis secundis haud crassioribus quam primæ, his subtus utrinque serie ex aculeis 5—6, deinceps brevioribus, saltem superioribus diametro articuli duplo longioribus, et ultra; coxis et secundis et primis subtus inermibus.

Femina: vide infra.

Koch V, p. 62, T. 161, f. 378 et XI, p. 123, T. 388, f. 926—27. (*Ar. alsina* Walck. Faun. par. II, p. 193; *Epeïra id.* Tabl. d. Ar. p. 59 et Apt. II, p. 33, 2, Pl. 18, f. 5 (?).)

Mas: Ab aliis, quibus confundi potest, facile dignoscitur, si structuram tibiarum secundi ordinis, defectum spinularum in apice coxarum anticarum et in basi secundarum, dispositionem oculorum, ut et colorem abdominis, hujusque areæ dorsalis formam bene inspiciamus. Thorax longit. 3 mm.; pedes deinceps circiter 9, $8\frac{1}{4}$, $5\frac{1}{2}$, $7\frac{1}{2}$ mm.; patellæ anticæ cum tibiis conjunctim $3\frac{3}{4}$, iidem articuli pedum posticorum 3 mm. Thorax non evidenter pubescit, ut in *E. quadrata*

et *marmorea* constructus. Oculi laterales ut in his speciebus tuberculo elevatiore impositi, et oculi 4 intermedii etiam in elevatione communi distinctiore siti; horum antici ultra os evidentius prominent; spatium inter hos et laterales anticos magis emarginatum quam in, ex. gr., *E. umbratica, sclopetaria, patagiata* et *cornuta* (?). Color thoracis ut in pluribus aliis magis unicoloriter rufo-testaceus, ita ut linea media et marginalis, fusciores, languidius tantum indicatæ evadant. Abdominis area dorsalis fusca, marginibus solito magis rectis, vel levissime tantum sinuatis, fere ut in Meta *segmentata* Clerck (*Epeïra inclinata* Walck.), a qua mox dignoscitur oculis intermediis posticis inter se magis approximatis quam antici, palpis brevibus, bulbo apicali maximo, parte patellari setis duabus normalibus instructa, tibiisque anticis parum, immo vix ultra duplo longioribus quam patellæ cet. Discus areæ memoratæ lineolis 5—6 transversis pallidis, fusco-marginatis, sæpe medio interruptis notatus. Regio basalis, ante aream, neque linea vel macula oblonga albida, neque macula triangulari fusca signata. Pedes pallidi vel languide rubicundi, femoribus anterioribus subcrassis, annulo medio obsoleto et apicali ferrugineis vel rubicundis; tibiæ et metatarsi omnes, præter annulum apicalem, etiam annulo medio ejusdem coloris vel fusco notata; tibiæ anticæ subterius, utrinque, serie ex aculeis 5—6, deinceps brevioribus, superioribus duplo, immo triplo longioribus quam diameter articuli; præter illam seriem, series lateralis et altera, superius sita, ex aculeis 3, minus longis adsunt. Membrum genitale ut in *E. marmorea* constructum; confer *Obs.* in descriptione *E. pyramidata* (3).

Femina (?): specimen, ovis valde distentum, abdomine latit. 7, longit. 9 mm., crebro albido-guttulato, guttularum intervallis ut reticulum aurantiaco-rufescens se repræsentantibus; dorsum foveis normalibus 4, in trapezium dispositis, distinctioribus et profundioribus, duabusque insequentibus minoribus; illarum singula guttulam albidam, paullo majorem, excipiente. Area dorsalis, a marginibus fuscis, rectis inclusa, ut sæpe in *E. quadrata* lineis duabus longitudinali-

bus, parallelis, subtilissimis, fuscis notata. Epigyne pallida, diaphana, s-formiter flexa, læviuscula, vix transverse rugulosa, extus canaliculata. Thorax, mandibulæ et pedes lætius aurantiaco-rufescentia, his annulis distinctioribus, aurantiaco-fuscescentibus.

Ad Gothob. haud freqventer excipulo capta. In Lapp. et ad Dovrefjell a *Boheman*, in Upl. a *T. Thorell* inventa. Femina descripta ad prædium Jonsered prope Gothoburg. capta. In Ostrog., *v. Post.*

11. **E. conica** (De Géer): *Femina* thorace longit. 2—2 1/4 mm., nigro vel piceo, præsertim in parte cephalica albido-pubescente; abdomine supra anum in angulum vel processum conicum brevem producto, dorso vitta fusca utrinque, profunde irregulariter sinuata, rarius marginibus æqualibus; pedibus pallidis, in apice patellarum seta validiore et in tibiis 2—3 ejusmodi; femoribus tarsisque setis ejusmodi carentibus, at in his interdum setis 1—2, subtus locatis; femoribus anterioribus extus evidentius fuscis aut ferrugineis, patellis apice, tibiis metatarsisque omnibus in medio apiceque annulo fusco vel nigro cinctis; annulo apicali in tibiis anterioribus sæpe non omnino ad ipsum apicem articuli extenso. *Mas* pedibus crebrius aculeatis, femoribus subtus seriato-aculeatis, præsertim anticis; clypeo valde inflexo, fronte longe ultra os procurrente.

Ar. conica De Géer VII, p. 231, pl. 13, f. 16—20. — Walck. Fn. Par. II, p. 202. — *Epeïra idem* Walck. Tabl. p. 64. — Sund. A:o 1832, p. 248. — Hahn die Ar. II, p. 45, T. 57, f. 130. — Walck. Apt. II, p. 138. — *Singa conica* Koch XI, p. 145, T. 392, f. 943—945.

Abdomen, a latere inspectum, subtriquetrum, vel extremitate postica in conum brevem vel angulum productum, dein introrsum vel subperpendiculariter ad anum directum, hoc cum mamillis etiam prominentibus. *Mas* coxis primis subtus denticulo apicali, ægre observando instructis; lamina ordinaria palporum fortiter convexa, sensim atte-

nuata, pyriformis, basi saltem æque lata ac pedum anticorum femora. Thorax antice quam $1/_3$ latitudinis partis thoracicæ parum latior (?). Femora antica subtus serie ex aculeis 9—10, inter se parum distantibus, secunda aculeis 5—6, tertia 3—4, quartaque 2—3, inter se magis distantibus. Aculeus supra apicem patellarum et basin tibiarum triplo longior quam diameter articulorum.

In Scania, Smol. a *Sundevall*, in Upl. a *Sundevall* et *Thorell*, in Werml. ab *J. A. Carlsson*, ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* et *N. J. Andersson*, in Blek., ad Åreskutan Jemtlandiæ, ad Trondhjem et Dovrefjell Norvegiæ a *Boheman* capta. In Ostrog., *v. Post.*

12. **E. sollers** (Walck.): thorace nigro-fusco, dorso medio, præsertim in parte cephalica ferrugineo, heic cum clypeo pube densiore longiuscula, decumbente, albida vestito; abdomine subgloboso vel vix longiore quam latiore, fusco, pictura variante; oculis intermediis posticis inter se differentia capillari magis approximatis quam intermedii antici, his a lateralibus anticis spatio parum majore, vel $1/_4$ tantum longius quam inter se distantibus. Thorax longit. 2 millim.

Var. a: abdominis area dorsalis in lateribus anguste albido-sinuata, sinubus sæpe abruptis; illa antice juxta basin macula cuneata, dein macula oblonga vel fusiformi, colore fuscis, marginibus albidis, notata; area pone maculam basalem lineolis transversis nigro-fuscis, antice albo-marginatis, una pro quoque sinu notata; macula cuneata maculaque oblonga aut unicoloriter fuscæ aut pallidæ, crebre fusco-punctatæ.

Var. b: apex anticus marginis albidi, maculam cuneatam basalem fuscam cingentis, macula quadrata seu rhombica ejusdem coloris auctus; hac pictura fere numerum V præposterum (Λ), in apicibus furcæ plus minus diffusum mentiente; areæ margo lateralis sinuatus, et margo anticus albidus, juxta lineolas transversas fuscas, in disco areæ sitas, plerumque deleti sunt; lineolæ trans-

versæ fuscæ aut liberæ aut sæpissime omnes inter se confluunt, conjunctim maculam sensim angustatam, a macula oblonga longitudinaliter persectam, repræsentantes.

Var. c: margo albidus, circa maculam basalem cuneatam fuscam, fere totus in maculam majorem albidam expansus; hæc macula una cum opposita in intervallo communi, vel in basi maculæ cuneatæ interjacentis plus minus unicoloriter confluens, unde exstat fascia communis transversa albida; præsertim est hæc fascia magis regularis in illis exemplis, ubi macula cuneata in disco fasciæ haud puncta ulla fusca relinquit, quorum nonnulla ut rudimentum maculæ fuscæ sæpe remanere solent.

WALCK. Apt. II, p. 41. — *E. agalena* HAHN die Ar. II, p. 29, T. 47, f. 115 (exclus. Syn. WALCKENAERII et certe CLERCKII). — *Atea sclopetaria* KOCH XI, p. 134, T. 390, f. 934--35 (excl. Syn. CLERCKII, quod ad nostram *E. sclopetariam* est referendum, cujus figura in opere CLERCKII araneam majorem quam *E. sollers* evidenter demonstrat).

Exempla, quæ lustravi, forsitan haud plene adulta, tamen credere vellem adulta, quæ in Svecia habitant, haud multo majora evadere quam thoracis longitudine 2—2 $1/2$ mm., pedibusque anticis 7—8 mm. — Thorax fuscus, parte cephalica et sæpe regione insequente in dorso ferrugineis; latera pilis adpressis minus crebris; dorsum et præsertim pars cephalica cum clypeo pilis densioribus vestita. Oculi intermedii postici inter se paullo magis approximati quam antici, tamen differentia exigua, si oculorum margines laterales respiciamus; oculi intermedii antici a lateralibus non ut in speciebus præcedentibus multo longius, sed circiter $1/4$ tantum longius quam inter se separati. Abdomen ante medium æque latum atque efficit ejus longitudo (num latius?); longitudo ejus in exemplis femininis lustratis, non fecundatis, 3 $1/2$ mm., ideoque una cum thorace et pedibus multo minor quam in exemplis Germanicis, a KOCH delineatis; in fecundatis abdomen usque 5 millim. latum et longum erat. Abdominis macula fusiformis, cujus apex, similiter atque in *E. sclopetaria* et nonnullis aliis, pone foveam normalem pri-

mam incipit, etiam posterius quasi constricta, vel heic in maculam minorem succedentem abrupta; in utroque latere hujus signaturæ et pone eam observantur in exemplis completis lineolæ transversæ fuscæ, antice albido-marginatæ, et quarum apex etiam in latere albedine cingitur; albedo apicalis cujusque lineolæ sinubus normalibus respondet, qui, ut in *E. sclopetaria* et pluribus aliis, inter se connexi, instar lineæ flexuosæ continuæ aream dorsalem cingunt. Femora, bene inspecta, superne aculeis nonnullis, etiam supra apicem, evidenter instructa, et pedes de cetero, etiam in metatarsis, aculeis pluribus muniti. In exemplis completis adest: annulus medius et apicalis in femoribus: annulus basalis et medius in tibiis metatarsisque; annulus medius in femoribus et tibiis re vera non nisi e macula subtus sita constat, et quæ instar annuli translucet. In specime uno feminino, quod adultum esse videtur, genitale instar valvulæ vel laminæ transversæ piceo-nigræ se repræsentat.

In plantis altioribus et in ericetis, mense Augusto et Septembri prope Gothob. a me ipse, et in Scania a *Boheman* capta; in Ostrog. *v. Post.*

SECTIO II.

Oculi duo intermedii antici inter se non evidenter magis distantes quam intermedii postici, illi et hi conjunctim aream exacte quadratam occupantes, et simul sunt oculi laterales postici ab intermediis posticis spatio plus minus longiore remoti, quam quo hi oculi ab intermediis anticis distant. (Cave ne huc referas speciem quandam generis Singæ*, abdomine ovali vel breviter elliptico, albo-vittato, una cum thorace subnudiusculis, nitidis; ut et generis* Zillæ*, in qua oculi laterales postici ab intermediis posticis ne ad minimum magis quam hi ab oculis interm. anticis remoti sunt).*

a) Abdomen utrinque prope basin in tuberculum vel angulum elevatum. (Tibiæ et metatarsi annulo medio fusco; oculi interm. postici paullo majores quam antici).

13. **E. bicornis** (WALCK.): *Femina* thorace longit. $3^2/_3$—4 mm., nigro-piceo, eminentia frontali, ubi oculi 4 intermedii siti sunt, valde prominente, unde spatium inter eam et eminentiam oculorum lateralium valde impressum evadit; eminentiæ ejusdem plano exacte perpendiculari, unde oculi 2 intermedii postici (superi), qui majores sunt quam antici, antrorsum nec sursum prospiciunt; abdomine utrinque ad basin tuberculo magno, breviter pyramidali instructo; nigricante, dorso ante tubercula lineola media cum punctis 1—2 lateralibus albidis; hac linea inter tubercula et secundum reliquum dorsum punctatim continuata, mox pone tubercula cum fascia sive arcu transverso ejusdem coloris confluente; area dorsali fusca a linea laterali, valde flexuosa, albida inclusa; pedibus testaceis, femoribus extus, tibiis metatarsisque annulo medio et apicali fuscis, femoribusque tertii paris plerumque antice macula punctove ejusdem coloris notatis.

Var. b. ♀: tuberculis abdominalibus subconicis, apicibus rotundatis; abdomine breviter ovato, subglobosiusculo, linea antica media sordide albida, area normali fusca fasciis nonnullis fuscioribus notata; vitta normali laterali sinuata magis sordide pallescente, lituris fuscis obliquis contaminata; epigyne (in specimine lustrato, ut *var. a* in spiritu vini asservato), ut videtur, satis evidenter explicata, non evidenter vaginatim erumpente, apertura sexuali per plicam transversam occlusa, hac plica ad medium sensim elevata vel paullo producta; pedum pictura fusca parum perspicua, an per liquorem obliterata?

Var. c., pulluli: vitta normali laterali in abdomine minus e colore fusco maculata, fere unicoloriter late albida, spatio medio ante tubercula aut angulis 2, aut angulo 1 antico, punctoque 1 succedente, an in variantibus his signaturis situ contrario dispositis; thorace ut in ♀ adulta minus quam in ♂ lateribus ampliato, fronte evidenter latiore quam efficit dimidia latitudo medii partis thoracicæ, at oculis intermediis anticis a lateralibus anticis parum longius

quam inter se distantibus; eminentia frontali etiam perpendiculari oculisque 2 mediis posticis paullo majoribus et una cum anticis in quadratum dispositis, fere ut in adultis differentia capillari inter se magis distantibus, saltem respectu marginis eorum externi.

Mas, adultus: thoracis lateribus magis circulariter arcuatis, frontis latitudine dimidiam latitudinem partis thoracicæ vix vel parum excedente, dorso magis depresso, ad latera altius convexo; oculis lateralibus ut in ♀ propter prominentiam frontalem longe retractis, eorum anticis ab intermediis duplo longius quam hi inter se distantibus; abdominis tuberculis humilibus, sensim acuminatis; dorso anterius lineola media albida; pictura de cetero obsoleta; pedibus, ubi hi non fusco-maculati sunt, pulchre rufo-testaceis, in specimine lustrato præsertim in tibiis anterioribus fere coccineo tinctis, harum secundis incrassatis anticeque arcuatis, heic aculeis paucis tantum brevioribus; plerisque aculeis insigniter longis, vel longitudine diametrum articuli superantibus; coxis secundis sub basi inermibus, at primis sub apice spina acuminata, adunca, sive calcari robusto armatis, hoc calcari æque longo ac diameter basalis metatarsorum secundorum; femoribus omnibus supra evidenter aculeatis, subtus serie media longitudinali ex aculeis 4—6, radicibus eminentibus, femorum posticorum aculeo basali rebustiore.

E. bicornis Walck. Apt. II, p. 124. — Koch XI, p. 92, T. 382, ff. 902—3. — *E. Ullrichii* Hahn die Ar. II, p. 66, T. 68. f. 159 (= pullus).

Femina. Quamvis *var. a & b* quoad formam abdominis et hujus tuberculorum ut et epigynes inter se dicrepant, certe non nisi ut una eademque species sunt considerandæ; ambæ in spiritu vini asservatæ, unde forsitan tam pictura quam partes memoratæ plus minus deformes factæ sunt. *Var. a* quoad picturam abdominis et fere formam hujus tuberculorum similis figuræ *E. angulatæ* Koch, f. 895 in Tab. 397, P. XI; *var. b* melius congruit cum fig. *E. bicornis*, f. 903 in Tab. 382, cujus abdomen delineatum tamen multo

amplius est quam in specimine nostro lustrato, figurâ forsitan specimen ovis distentum repræsentante. Thoracis color nigro-fuscus; dorsum præsertim in parte cephalica rufo-brunneum; femora tantum antica in *var. b* aculeis nonnullis armata, in 6 insequentibus aculei certe derasi sunt; tibiæ et metatarsi aculeis pluribus; fuscedo apicalis femorum, et reliquorum articulorum annulus medius et apicalis in eadem varietate obsoleti; in *var. a* non nisi in femoribus tertii paris adest annulus medius, qui non circumcirca continuus est, sed antice tantum remanet. Thorax et abdomen conjunctim longit. non infra 8—10 mm., ideoque longiora quam in aranea, a *Walck.* descripta, quæ specimen junius tantum fuisse videtur, sub nomine *E. Ullrichii* a Dom. *Hahn* descripta. Tibiæ et patellæ anticæ conjunctim longit. 5, iidem articuli pedum posticorum 4 $^1/_2$ mm. Oculi interm. antici a lateralibus anticis quam inter se insigniter longius distant. Ab *E. dromedaria* (14) differt magnitudine majore, oculisque 4 interm. in plano perpendiculari nec declivi locatis. Venter in *var. a* lunulis 2 normalibus albidis completis notatus, an his interdum in maculas divulsis. Genitale nigrum, glabrum, callum magnum repræsentat, hic callus longitrorsum canaliculatus, carinulis 4—5 præditus, epigyne sub apice calli ex apertura breviter erumpente, an post mortem araneæ retracta? Thoracis forma in fig. 903 non recte a Dom. *Koch* delineata est, nam thorax in nostra aranea (♀) angustato-ovatus est, latitudine frontali non $^1/_2$ tantum sed $^2/_3$—$^3/_4$ medii partis thoracicæ attingente; forma thoracis marginis, magis circulariter arcuati, melius cum illa in ♂ competit.

Mas adultus. Femora superne aculeis normalibus armata, quorum 1 utrinque apicalis; aculeorum in tibiis secundis circiter 8—10, fere in series 2 dispositi, longitudine diametrum articuli superant; aculei 6—7, qui seriem tertiam intermediam formant, multo breviores, quorum tamen 1—2 basales longitudinem diametri tibiæ attingunt; reliqui quam illa diameter multo breviores, qua in nota a fere plerisque aliis *Epeïris*, tibiis iisdem incrassatis gaudentibus, distinguitur, nam aliæ plerosque aculeos breviores quam $^1/_2$ diametri,

aliæ fere omnes aculeos æque longos vel longiores quam diameter articuli habent; spina sub apice coxarum anticarum, solito robustior, bene est observanda. Color præsertim tibiarum 4 anticarum insignis, nam in omnibus aliis *Epeïris* non tam læte e rubedine tinctus est; annulus tibiarum medius (potius ante medium situs) remanet, sed annulus apicalis in specimine lustrato vix rudimentarius, saltem in tibiis anterioribus; semiannulus medius in latere antico femorum tertii paris adest. Thorax longit. 4 $^1/_2$; femora antica 5, patellæ et tibiæ conjunctim 6—6 $^1/_3$, tibiæ per se 4 $^1/_2$, metatarsi 3 $^1/_2$, tarsi 1 $^1/_4$ mm; patellæ et tibiæ posticæ conj. 4 $^2/_3$, tibiæ per se 3 mm. Series oculorum 4 anticorum, ab antice et una horizontaliter inspecta, propter elevationem frontalem evidentius quam in ♀ deorsum curvata videtur — nota non parvi momenti —.

Ad Holmiam a *Boheman* et *Thorell* inventa; juniores in Scania ab illo capti.

14. **E. dromedaria** (Walck?): *Femina* thorace longit. 2 $^1/_3$ mm., fusco, dorso medio præsertim in parte cephalica fusco-ferrugineo, pube adpressa griseo-albida adsperso; oculis 4 intermediis in eminentia humili, sensim declivi locatis, in quadratum dispositis; abdomine breviter ovato, utrinque pone basin tuberculo sensim acuminato instructo, dorso inter tubercula et anum arcubus transversis nigrofuscis, horum præsertim antico in medio sinuato; pedibus testaceis fusco-annulatis, tibiis et metatarsis etiam medio annulo cinctis; patellis anticis et tibiis conjunctim longit. 2 $^3/_4$ millim.

Walck. F. par. II, p. 191, 6 et Apt. II, p. 126, 137 certe huc referenda. — Koch XI, p. 98, T. 388, f. 907 (excl. syn. *E. Ullrichii* Hahn, quæ ut pullus *E. bicornis* est consideranda).

Magnitudo *E. sollertis*. Ab hac differt abdomine tuberculato; oculi laterales antici, qui in *E. sollerti* ab intermediis anticis parum longius, vel haud ultra $^1/_4$—$^1/_3$ longius quam hi inter se distant, in *E. dromedaria* $^2/_3$ longius quam hi inter se distare dici queant. Ab *E. angulata* (1) differt magnitudine multo minore et oculis intermediis posticis non

evidenter approximatis. Ab *E. bicorni* differt hujus oculis 4 intermediis in eminentia locatis, cujus superficies omnino perpendicularis est, ita ut duo oculi antici, fronte superne et a postice contemplata, haud observari possint, et postici antrorsum nec sursum prospiciant; in *E. dromedaria* autem oculi antici, similiter atque in *E. sollerti* (12), in statu eodem non difficile observari possunt, et eminentia, qua omnes 4 insistunt, a latere contemplata, sensim diclivis nec perpendicularis. Color thoracis et indumentum hujus ut in *E. bicorni* et *sollerti;* pedes similiter aculeati et fusco annulati; oculi intermedii 4 ut in *E. bicorni* in quadratum exactum dispositi. Abdominis tubercula æque alta atque efficit longitudo patellarum; subpyramidalia vel sensim acuminata, nec ipso apice ut in *E. bicorni, var. b,* rotundato; abdomen itaque potius in angulum acutum utrinque prominere dici queat, ut in *E. bicorni, var. a.* Abdomen in specimine lustrato, in spiritu vini asservato, secundum descriptionem Dom. *Walckenaeri* plica elevata transversa inter tubercula præditum, an etiam in vivis?; pictura consistit in maculis nonnullis, una post altera posita, vel forsitan in vivis in vitta continua pallida, in medio dorsi ante tuberculorum intervallum sita; plica elevata pallida est; præsertim sunt ipsa tubercula tali colore picta, an semper etiam antice?; plica memorata in medio sinu, antrorsum verso, prædita; hoc sinu antice nigromarginato; in utroque latere apicis sinus, vel mox ante hunc, par secundum fovearum normalium locatum est; hæ foveæ nigræ, pallido-marginatæ, an semper?; par primum ab apice vittulæ basalis pallidæ separatum, minus distinctum; dorsum pone intervallum tuberculorum, vel inter plicam et anum arcubus fuscis seu nigris 3—5 transversis ornatum, ut in figura, a Dom *Koch* delineata; arcus præsertim anticus latior et in medio sinuatus; arcus insequentes quasi pallido-marginati, in medio obsoletius sinuati; intervalla arcuum in medio pallidiora; hic color quasi seriem mediam longitudinalem e maculis pallidis vel luteis formans; dorsum in lateribus, pone tubercula, serie altera e maculis ejusmodi ornatum, et quæ pictura vittæ normali laterali respondet. Lunulæ vel maculæ duæ ventrales pallidæ. Genitale piceum glabrum;

apertura margine elevato circumdata, hoc medio callum fissum includente, pone quem epigyne paullo prominet; an hæc in vivis longius erumpit?

Mas secundum figuram 906, a Dom, *Koch* l. c. datam, tibiis secundis rectis et haud crassioribus quam primæ.

In Scan. a *Boheman* inventa.

b) Abdomen utrinque prope basin æqualiter convexum.

* Oculi intermedii antici a lateralibus anticis dimidio vel saltem evidentissime longius separati quam inter se. (Thorax pallidus, unicolor, aut fusco-vittatus).

15. **E. Westringii** (Thorell): *Femina* thorace pedibusque flavescenti-testaceis, horum articulorum apicibus plus minus rufo-ferruginantibus, abdomine elongato-ovali, extremitate antica medio subproducta, nec exacte circulariter arcuata; testaceo-olivacescente, lateribus et spatio supraanali sanguineo-rufescentibus, dorso in lateribus vitta albida cincto, et in disco vitta duplici, sive annulo elongato-ovali ejusdem coloris notato. Thorax longit. 3, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 3—3 $^1/_2$, metatarsi 2 $^1/_4$, abdomen 5—6 mm.

Thorell Rec. crit. p. 106.

Abdominis vitta media alba duplex; vel quæ potius annulo elongato-ovali similis est, medio bisinuata, sinubus in loco, ubi duo paria prima foveolarum impressarum secundum normam locata sunt, sitis; spatium, ab annulo inclusum, itaque quoad formam fere subhastatum evadit; aut olivaceum, aut rubedine tinctum, quo colore reliqua pars dorsalis (inter annulum et cincturam lateralem albam) sæpe contaminatur, præsertim in pullulis; in dorso utrinque pone medium observatur, ut in *E. cucurbitina* (16), series e punctis 4 nigris; abdominis latera infra cincturam albidam sanguineo-rubicunda, quo colore spatium supraanale tinctum est, rubedine laterali punctis vel striolis flavidis adspersa; venter juxta mamillas etiam rubicundus; cinctura lateralis et annulus dorsalis albidus in abdominis extremitate basali connexa esse videntur. Abdomen, perpendiculariter inspe-

ctum, antice non circulariter arcuatum, sed paullo attenuato-obtusum videtur.

Ad Upsaliam *T. Thorell*, in Kinnekulle Westrog. a *G. W. Belfrage* inventa.

16. **E. cucurbitina** (CLERCK): Mas thorace luteo-testaceo, linea intramarginali nigricanti; in ♀ pallidiore, unicolore; abdomine breviter ovale, extremitate basali circulariter arcuata, utriusque sexus prasino- seu viridi-flavescente, dorso posterius utrinque serie e punctis 3—4 nigris, ano superne plerumque macula rubra; pedibus pallido-virentibus vel luteo-testaceis, in ♀ unicoloribus, in ♂ femoribus extus rufescentibus et apicibus horum, patellarum et tibiarum nigris; totis aculeatis; ♂ femoribus subtus serie aculeorum, radicibus incrassatis, coxisque primis sub apice denticulo, ægre observando, armatis. Thorax longit. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$, tibiæ et patellæ anticæ, simul sumtæ, $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ in ♂ $2\frac{5}{6}$ mm.

Ar. cucurbitinus CLERCK p. 44, pl. 2, t. 4. — LINN. Faun. Sv. Ed. 2, p. 486, 1995. — *Ar. octo-punctata* ID. S. N. Ed. 12, p. 1030. — *Ar. viridis punctata* DE GÉER p. 283, pl. 14, f. 1—3. — *Ar. cucurbitina* WALCK. Fn. Par. 2, p. 202, et *Epeïra id.* Tabl. p. 63 & Hist. nat. 2, pl. 3. — SUND. A:o 1832, pag. 245. — *Miranda cucurbitina* KOCH V, p. 58, T. 159, f. 371—72. — *Epeïra id.* WALCK. Apt. II, p. 76.

Ab *E. Westringii* constanter differt magnitudine minore, pictura abdominis fere nulla, ut et forma abdominis breviter elliptica, extremitate antica regulariter circulari, nec subproducta. Exempla *E. Westringii*, in spiritu vini asservata, ubi pictura abdominis deleta evadit, ab *E. cucurbitina* neutiquam distingui potest nisi magnitudine majore et forma abdominis baseos. Rete minutum, plerumque oblique vel subhorizontaliter inter margines unius folii extensum. Ova ad 138 numerata, in folliculo molli, sulphureo, extrinsecus e filis rigidioribus composito, asservata.

In arbustis et plantis sat frequens ad Gothob. In Upl., *Clerck*, *Sundev.*, *Thorell*; in Scan., Blek., Smol., *Sun-*

devall; in Jemtl., Lapp., ad Trondhjem et Valders Norvegiæ, *Boheman* et *N. J. Andersson;* in Ostrog., *v. Post.*

17. **E. adianta** (WALCK.): thorace testaceo, linea media marginalique nigris; abdominis vitta media albida, late nigromarginata, utrinque sinuata, a basi ultra medium colore fusco seu rubicundo longitrorsum persecta, lobis anterioribus 2—3 plerumque liberis, maculas oppositas obliquas formantibus, harum postica maxima, angulata vel intus excavata, æque lata ac femora antica; ♂ in coxis primis subtus dente apicali robusto. Thorax longit. 2 ½—3 mm.

Var. a: abdomen colore dorsali rubicundo, unicolore aut virenti-reticulato, vitta dorsali alba lobis abundanter albidescentibus, horum anterioribus maculas obliquas oppositas, unam maximam angularem seu postice introrsum geniculatam formantibus, succedentibus angularibus, prope anum sæpe confluentibus et hic conjunctim signaturam cuneatam formantibus.

Var b: abdomen colore dorsali virescente, vitta dorsali albida maxima parte colore virenti contaminata, lobis tantum anterioribus ad partem pure albidis.

Aranea adianta WALCK. Fn. par. II, p. 199, *Epeïra adianta* IDEM Tab. d. Ar. p. 60, et Apt. II, p. 52 (excl. syn. CLERCKII, quod hic false, at sub *E. inclinata,* p. 82 recte citatum est). — *E. segmentata* SUNDEV. A:o 1832, p. 247 (excl. Syn. CLERCKII, quod secundum descriptionem et figuram, præsertim palporum maris, ad *E. inclinatam* WALCK. est referendum). — *Miranda pictilis* KOCH V, p. 50, T. 158, f. 869 (optima figura).

Femina. Quoad vittam angustam macularem albidam in dorso abdominis *E. ceropegiæ* (19) subsimilis, sed maculæ anteriores semilunatæ seu intus excavatæ, nec lineares et oblique ductæ; femora aculeis evidentioribus armata; color thoracis etiam alius. — Thorax longit. 2 ½—3, pedes antici 11 ½, patellæ et tibiæ conjunctim 4 ½, pedes postici 10, patellæ et tibiæ conjunctim 3 ½ mm.; superficies thoracis, basi excepta, pube tenui adpressa longiuscula albida obumbrata.

Abdominis tota area dorsalis, e marginibus nigris limitata, solito angustior, vix ultra tertiam partem latitudinis dorsi occupans; maculæ oppositæ albidæ, lobos vittæ formantes, antice sitæ, plerumque 3 distinctiores, subliberæ; vittæ pars insequens, utrinque succesive obsoletius lobata vel angulata, versus anum cuneatim decurrit; maculæ 3 anteriores in intervallo dorsali in *var. a.* colore rufo-brunneo, plerumque virenti reticulato, in *var. b.* e colore virenti separantur, qui color ad partem ultra medium vittæ plus minus evidenter continuatur, plerumque anum versus evanescit; macularum 2:da maxima, fere semper angulata vel postice intus geniculata, sub-caligæformis; interdum observatur prope extremitatem basalem dorsi macula altera minor, et tunc macula memorata maxima ad tertium ordinem est numeranda; areæ cinctura nigra solito latior, postice æque lata ac femora postica, vel atque apex cuneatus ipsius vittæ albidæ; anterius cinctura angustior est, ibique sæpe arcu albido pro quoque sinu extus marginata; pictura albida, præsertim apex vittæ sæpe flavedine tinctus. Latera abdominis ornantur vitta altera albida, maculis aut confluentibus aut subliberis formata, intervallis maculas fuscas obliquas, sæpe ad ventrem descendentes repræsentantibus; apex anticus vittæ albidæ plerumque intus excavatus et hic vittæ dorsalis maculam anticam nigro-cinctam amplectens; ante vittæ apicem observatur macula obsoletior albida, in ipsa extremitate dorsi sita, antea memorata, quæ, sæpissime obsoleta, haud ad picturam constantem numeranda est. Abdomen setis longis vestitum. Lunulæ normales flavidæ seu albidæ in ventre similiter atque in *Meta fusca* et *segmentata* potius lineares dicendæ, interdum in puncta vel maculas binas divulsæ. Epigyne evidenter ultra aperturam genitalis eminet, æque longa ac patellæ pedum; nigra, sensim angustata et deplanata, supra impressa vel quasi elevato-marginata. Pedes pallidi, femoribus in latere postico longitudinaliter obsolete infuscatis, articulorum apicibus, præsertim pedum posteriorum, nigricantibus, articulis non ullo annulo medio cinctis; aculei omnium serierum in tibiis anterioribus nigri, nec ulli eorum pallide testacei.

Mas. Coxæ secundæ subtus ad basin spina nulla; spina apicalis in coxis primis solito robustior, recte extensa, acuminata; tibiæ 2:dæ rectæ, non arcuatæ, parum crassiores quam primæ, aculeis ut in reliquis tibiis longis instructæ, horum uno alterove longitudine diametrum articuli bis superante; femora 4 anteriora subtus non aculeata, 4 posteriora ibi aculeis 2—3 instructa. Clava palporum latior quam femora antica; toti palpi, ut in plerisque masculis, breves.

Mense Julio-Augusto ad Prædium Enggården prope Gothob. et ad Särö Hallandiæ, in plantis altioribus, excipulo capta. In Scan., *Sundevall & Boheman.*

18. **E. agalena** (Walck.): *Femina* thorace, longit. 1³/₄—2 mm., pedibusque luteo-rufescentibus, horum articulis apicibus rufo-fuscis; abdomine aut fusco aut luteo-brunneo, antice utrinque macula magna sublunata ferruginea, hac postice arcu albido vel pallido inclusa, ornato, his arcubus extus valde divergentibus; femoribus anticis extus aculeis 2—3, reliquis in medio aculeo singulo aut nullo, tibiis metatarsisque omnibus evidenter aculeatis.

Mas tibiis anticis paullo crassioribus quam secundæ, extus arcuatis, cum reliquis articulis fortiter aculeatis; femoribus anticis extus aculeis 4—5, insequentibus superne 2; metatarsis anticis, ut in ♀ etiam aculeatis; aculeis solito longioribus, tibiis anticis aculeis 7—8, horum plerisque, similiter atque aculeus in apice patellarum, longitudine diametro articulorum triplo majoribus; coxis neque primis neque secundis subtus dente ullo armatis.

Walck. F. par. II, p. 197 et Tabl. d. Ar. p. 59. — *E. Sturmii* Hahn Die Ar. I, p. 12, T. 3, f. 8. — *E. agalena* Walck Apt. II, p. 36. — *Atea id* Koch XI, p. 137, T. 391, f. 936—38 (nomen *hyalina* in Tabulæ f. 936 est lapsus calami).

Femina: ab *E. sollerti* (12) differt, præter alias notas, abdomine minus globoso, ano scilicet paullo producto, vel abdomine pone medium ad anum magis sensim angustato; oculi intermedii antici, qui ut in illa specie paullo minores quam intermedii postici videntur, inter se haud ad minimum

distantiores quam hi. Distantia ea quidem in *E. sollerti* exigua est, tamen sub oculo armato satis conspicua; hæc differentia facilius ex ipsis intervallis oculorum quam ex ipsis oculis (?) extricari potest; oculi 4 intermedii itaque in *E. agalena* adhuc accuratius in quadratum dispositi esse videntur. Thorax superne, præsertim in parte cephalica, setis adpressis albidis vestitus. Color ejus, et lateralis et capitalis, luteo-rufescens, non ullo loco fuscesens vel nigro-piceus. Mandibulæ eodem colore. Abdominis pictura dorsalis quoad colorem valde variat; areæ normalis pars postica, quæ, ex. gr., in *E. patagiata* et *cornuta* maxima parte e colore fusco repleta et a marginibus sinuatis albidis limitata est, in aliis exemplis evidentissima, in aliis haud colore alio quam in lateribus vel in vitta normali laterali sinuata (*cornu copiæ* Clerck) se repræsentat; h. e. area aut luteo-brunnea aut luteo-albescens est, ipsis marginibus sinuatis tamen per lineam flexuosam albidam designatis. Macula triangularis fusca, quæ prope basin in speciebus allatis et pluribus aliis adesse solet, quoad colorem plerumque rudimentaria; latera albida ejusdem maculæ fere semper læte expressa, plerumque ad latera dorsi valde producta et arcum magnum procurvum albidum utrinque formantia; hi arcus, qui postice inter se valde divergunt, antice maculam magnam rufo-fuscam cingunt, quæ fere semper constanter expressa evadit; apex posticus arcuum aut liber aut sæpe cum margine externo vittæ lateralis sinuatæ confluit, ut in figura, a Dom. *Hahn*, vel in figura 937, a Dom. *Koch* data. In exemplis nonnullis lustratis vestigium annuli medii in tibiis, metatarsis et femoribus non ut in *E. sollerti* evidenter adesse videtur (an in vivis annuli distinctiores sint?)

Mas. Thorax fuscior, capite valde angustato, oculis intermediis anticis in eminentia communi, ultra os porrecta, sitis. Tibiæ anticæ haud regulariter arcuatæ, sed potius a basi ad medium rectæ, extus semel sinuatæ. Tibiæ anticæ una cum patellis in ♂ $2^1/_2$, in ♀ 2 millimetrorum longitudine. Aculei pedum longiusculi. (Bulbus genitalis subtus appendice sub-malleiformi, apice uno tricuspidata, apice altero sub-bicuspidata armatus).

In Upl. a *Boheman* et *T. Thorell*, in Scan. ab illo et ad Balnearia Särö Hallandiæ a me ipse capta. In locis aceroeis libentius habitare putatur. In Ostrog., *v. Post.*

** Oculi intermedii antici a lateralibus anticis perparum vel vix longius quam inter se separati. (Thorax piceus, pedes fusco-annulati, ille pube albida vestito et, similiter atque abdomen, parum nitidus).

19. **E. ceropegia** (WALCK.): *Femina* junior thorace fusco, capite pallidiore; pectore piceo-nigricante; abdomine brunneo-lutescente, dorso vitta media albida, in antica parte per fuscedinem longitrorsum persecta, hic marginibus in dentes vel lineolas obliquas, tum in maculas ovatas 3—4, deinceps minores formata, regione adjacente laterali fusca vitta longitudinali, aut maculari aut continua et utrinque sinuata, colore minus pure albida, fusco-irrorata signata; pedibus luteo-brunneis, fusco-annulatis, etiam in medio tibiarum et metatarsorum; patellis et tibiis aculeis gracillimis, setæformibus, paucioribus vestitis; ventre fusco, maculis et punctis nonnullis albidis notato, quorum 4 minoribus circa mamillas, 2—3 in utroque latere, maculaque oblonga mox pone aperturam genitalem sitis; hac macula purius albida.

Ar. ceropegia WALCK. Faun. par. II, p. 199, et *Ep. id.* Tabl. d. Ar. p. 60, et Apt. 2, p. 51. — *Miranda idem* KOCH V, p. 51, T. 158, f. 370 ♂. — *Ep. sclopetaria* HAHN die Ar. II, p. 46, T. 57, f. 131.

Femina (junior, in spir. vini asservata): thorax longit. 1½ millim.; parte cephalica, clypeo margineque laterali pilis longiusculis, mollibus, albidis indutis; lateribus thoracis fere nudis, forsitan detritis; oculi 4 intermedii in quadratum dispositi, duo intermedii antici a lateralibus anticis vix longius quam inter se separati. Forma vittæ albidæ in dorso abdominis subsimilis eidem in *E. adianta* (17), at maculæ binæ anteriores per fuscedinem mediam persectæ, haud in signaturas sublunatas vel subangulares conformatæ, sed in dentes, vel potius lineolas obliquas, posticam longiorem, fere

nonnihil ad latera arcuatam, digestæ; mox dein insequuntur maculæ 3—4 ovatæ, deinceps minores, omnino ut in *E. adianta*, et, similiter atque in hac, fuscedine vel rubedine plus minus evidenti persecta; proinde exstat e singula macula quasi lunula opposita; margo exterior autem harum lunularum magis circularis quam in *E. adianta* mihi videtur; in hac specie autem idem margo potius in angulum conformatus; vitta in lateribus albida, fusco- seu brunneo-punctata, aut subcontinua, marginibus sinuata, aut maculatim abrupta, juxta anum deorsum recurvata, vel forsitan in exemplis variantibus in maculam ibi abrupta; deinde anterius succedunt puncta vel lineolæ nonnullæ; in utroque latere ventris, in medio, vestigia lunularum oppositarum, in plerisque *Epeïris* normalium, obsolete proveniunt, an semper?; inter lunulas, sive infra genitale, quod in specimine lustrato haud explicatum videtur, adest vitta vel macula major oblonga, purius albida, quæ ut nota satis characteristica est consideranda; de cetero observantur in utroque latere mamillarum puncta duo albida vel pallida, similiter atque in nonnullis aliis speciebus. Pedes parce aculeati, aculeis gracilioribus, setæformibus; setæ tales, singula in basi et versus apicem patellarum et tibiarum superne sitæ, et præterea in his setæ 1—2 laterales, robustiores, patentes adsunt, fere ut in ♀ *E. conicæ*, cum qua etiam congruit defectu aculeorum vel setarum erectarum in femoribus; in hac nota per se mox distinguitur ab *E. adianta*, quæ in tibiis aculeis lateralibus 4—5 et quibusdam superioribus, simul 10—12, et in femoribus aculeis pluribus evidentibus, erectis instructa est. Tibiæ et metatarsi, excepto annulo apicali, in medio annulo altero fusco notata, qui in *E. adianta* deest.

Mense Julio in gramine pratorum prope prædium Särö Hallandiæ excipulo capta, forsitan rarius occurrens. In Lapp., *Boheman*.

II. SINGA Koch.

Thorax ut in *Epeïra* constructus, at parte cephalica evidentius fornicatus, nec tam depressus; superficie, perpa-

rum pubescente, nitida. Oculi laterales postici ab intermediis posticis interdum paullo tantum longius quam hi ab intermediis anticis distant, et simul sunt oculi intermedii antici a lateralibus anticis non evidenter longius quam inter se separati; oculi intermedii postici in *S. melanocephala* tantum inter se magis approximati quam intermedii antici. Clypeus in nonnullis, præsertim in masculis viventibus, non multo brevior quam efficit distantia inter oculos intermedios anticos et posticos. Mandibulæ et maxillæ ut in *Epeïra*. Palpi maris etiam breves, bulbo fere latiore quam femora pedum anticorum, et parte patellari setis normalibus 2 robustis vestita (an in omnibus?). Pedes saltem feminæ robusti; aut femora aut metatarsi non evidenter multiaculeati; tibiæ interdum superne pilis nonnullis verticalibus vestitæ, (coxæ primæ in masculis *S. prominentis* nec non *melanocephalæ* denticulo apicali instructæ). Abdomen obtuse ovale seu breviter ellipticum, perparum pilosulum, nitidiusculum; pictura ejus plerumque e vittis longitudinalibus albidis seu flavo-albidis constat. Retia et ova mihi incognita. Species omnes minores, thoracis longitudine vix ultra $1 \frac{1}{2}$—2 mm. Quasi medium tenet inter *Epeïridas* et *Therididarum* genus *Theridium*, cum quo, præsertim ♀ haud confundi debet.

1. **S. Herii** (Hahn): *Femina* thorace longit. $1 \frac{1}{2}$ mm., nudo, nitido, piceo-nigricante, summo margine luteo-rufescente; abdomine ovale piceo-nigricante, dorsi vittis tribus, ventrisque duabus albidis; pedibus luteo-rufescentibus, femoribus præsertim anterioribus extrorsum, patellis eorundem pedum fere totis, reliquis tibiisque omnibus apicibus fusco-rufescentibus; patellis supra apicem, tibiisque pone basin seta robusta seu aculeo verticali singulo, et 1—2 ejusmodi lateralibus; femoribus anticis in latere antico prope apicem aculeo 1, una cum reliquis supra medium aculeo altero armatis, hoc interdum defracto.

   Var. a, seniores: thorace abdomineque fusco-nigricantia, hoc vittis albidis seu albido-flavicantibus; num thorax variat ut in junioribus colore luteo-rufescente, parte cephalica infuscata?

Var. b juniores; ut *var. a*, sed intervallum inter vittam lateralem et ventralem aut totum luteo-rufescens aut ad partem colore fusco longitudinaliter contaminatum, fuscedine aut vittæ uni vel alteri adnexa, aut in disco vittæ locata.

Var. c, jun.: ut *var. b*, sed præterea sunt intervalla vittarum trium dorsalium non fusca sed luteo-rufescentia, anum versus aut concoloria aut fuscedine plus minus contaminata.

Var. d. jun.: ut *var. c*, sed intervalla vittarum præterea macula una vel altera ante vel in medio dorsi fusca vel nigra notata, h. e.: intervalla fusca seu nigra (in *var. a*) in maculas nonnullus interrupta; intervallum vittarum lateralium et ventralis aut concolor aut ad partem fuscedine contaminatum, ut in *var. b* et *c*.

E. Herii Hahn die Ar. I, p. 8, T. 2, f. 5 et Walck. Apt. II, p. 89. — *Phrurolithus trifasciatus* Koch VI, p. 116, T. 208, f. 516; *Singa* idem XI, p. 151. T. 393, f. 948; *Epeïra* idem Westr. Enum. Aran. p. 59; adulti. — *Singa nigrifrons* Koch XI, p. 151, T. 393, f. 949; *Epeïra* idem Westr. Enum. Ar. p. 86; juniores.

Color thoracis abdominisque forsitan semper in *var. a* nigricans, nec ut in junioribus tam multifariam varians. A *S. albo-vittata* (2) constanter differt defectu maculæ mediæ albidæ in thorace; abdominis vittæ dorsales (magis angustatæ?) lineæformes; vitta lateralis apicibus libera, haud in arcum supra ipsum anum producta. A *S. melonocephala* (3) distinguitur oculis 2 intermediis posticis inter se haud magis approximatis quam 2 interm. antici. Thoracis pars cephalica per impressiones laterales profunde distincta, dorso longitudinaliter parum fornicato, ita ut elevatio occipitis quam minime altior quam eminentia oculorum intermediorum posticorum videatur. Area, ab oculis 4 interm. occupata, exacte quadrata; eminentia exigua, qua oculi insistunt, decliviter ad clypeum directa; hic ut in reliquis *Epeïridis* introrsum vergit, unde oculi 2 antici longius ultra marginem clypei, supra basin mandibularum prominent; hi oculi inter se parum brevius quam a lateralibus anticis distant; a margine supra os

illi in siccatis $1/3$ brevius quam ab oculis posticis siti, at in vivis vix brevius distare videntur. Pars cephalica altiuscula, ab antice inspecta æque alta atque efficit $2/3$—$3/4$ longitudinis mandibularum. Ipse margo lateralis thoracis in *var. a* luteo-rufescens. Mandibulæ basi convexo-elevatæ, luteo-rufescentes, superne a basi ultra medium infuscatæ. Abdodomen breviter ovale (tamen in extremitate basali paullo angustatum, anum obtusiore?); vitta media albida dorsi usque ad anum extensa; vitta lateralis et in basi et prope anum libera, haud ullo loco cum apicibus vittæ mediæ connexa, an semper? Seta 1 supra apicem patellarum, altera mox pone basin tibiarum superne, et sæpe 1—2 laterales robustiores, subaculeiformes adsunt; seta in tibiis, saltem posterioribus, pone basin superne sita, duplo longior quam diameter ipsius articuli. In pedibus posterioribus color saturatior haud nisi in ipsis apicibus femorum, patellarum et tibiarum instar annuli rufo-fusci obsoletius restat. Patellæ anticæ et tibiæ conjunctim $1\,1/2$—$1\,3/4$ mm., illæ longit. $1/2$ harum, vel paullo longiores. Aculeus versus basin femorum anticorum longitudine diametrum articuli saltem non superat.

Fem. adulta initio Junii in Slottskogen in plantis capta; juniores versus finem æstatis ibi et in insula *Hisingen* in pratis humidis copiose lecti; in Hall., *Thorell*; in Scania, Blek., et Upl. *Boheman*. In Upl. etiam a *Thorell* inventæ sunt adultæ. Adest in collectione Dom. *Sundevallii*, in Scania, capta; individuum junius sub *Theridio pygmæo* (*Linyphia pygmæa* nostra) ut ♀ ab illo descriptum est. In Ostrog., *v. Post.*

2. **S. albovittata**: thorace nigro-piceo, vitta media abbreviata albida; abdomine elliptico, in ♀ late, in ♂ elongato-ovali, vitta dorsali media longiore albida, interdum ad partem obsoleta, romanente aut macula magna vel minore solitaria, antica, aut simul maculis quibusdam succedentibus, plus minus distinctis; lateribus vitta altera albida, plerumque postice abrupta, mox autem supra anum continuata, hic arcum communem formante, anoque superne arcubus quibusdam tenuioribus ejusdem coloris;

femoribus anterioribus superne infuscatis. *Mas* tibiis primi paris arcuatis, quatuor anterioribus, uti posterioribus, longius aculeatis; *femina* illic et hic aculeis gracilioribus et paucioribus, quorum 1 supra basin, 1—2, in latere locatis, instar setarum crassarum se repræsentantibus.

Var. a. abdominis vitta dorsalis media continua, ultra medium dorsi extensa.

Var. b. vitta ad partem deleta, relicta macula antica ovata aut subcordata; vittæ reliqua pars aut rudimentaria aut omnino evanescens.

WESTR. Enum. Aran. pag. 36.

Femina quoad colorem abdominis *S. Herii* subsimilis, a qua mox distinguitur thoracis vitta albida et præsentia arcuum supraanalium. Thorax long. 1—1 $^1/_3$, pedes antici 3 $^2/_3$, patellæ una cum tibiis 1 $^1/_2$ mill.; ille antice latus, latitudinem medii thoracis ad $^3/_4$ attingens, glaber; caput circa oculos 4 intermedios dilutius piceo-rufescens, in quem colorem apex vittæ dorsalis acuminatim producitur. Oculi 4 intermedii, ut in illa specie, in eminentia communi oblique declivi locati, aream quadratam exactam occupantes; oculi duo intermedii antici perparum minores, ultra marginem supra os prominent, vel clypeus introrsum directus; oculi duo laterales tuberculo communi impositi, invicem coarctati. Mandibulæ, ut in illa, convexæ, robustæ, quam femora antica paullo crassiores, altitudine faciali fere duplo longiores, in exemplis lustratis etiam macula fusca, e basi ultra medium extensa pictæ, apicibus rufo-brunneæ. Maxillæ etiam late ovatæ, apicibus circularibus. Abdominis vitta lateralis angustior, in exemplis lustratis ante extremitatem in punctum abrupta, at mox dein supra anum una cum opposita in arcum communem continuata; arcus, supra anum siti, angustiores, ad numerum aut 4 simplices, aut 2 geminati dicendi, colore minus pure albidi. In dorso abdominis adsunt foveolæ vel puncta impressa 4, in trapezium disposita, majuscula, solito distinctiora; cutis abdominis parce pilosa. Pedes proportione 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ long. $^1/_2$ tibiarum, tarsi

$^2/_3$—$^3/_4$ metatarsorum; femora præsertim anteriora superne nigricantia; pedes omnino ut in *S. Herii* aculeati, scilicet: femora antica in latere adverso aculeis quibusdam gracilibus, setæformibus: pedum patellæ aculeo ejusmodi, supra apicem sito, erecto: tibiæ superne aculeo 1 basali, 1 introrsum ante medium, laterali, hoc non nisi in tibiis perpendiculariter inspectis discernendo, metatarsisque omnibus aculeis haud ullis instructis. Venter brunneo-nigricans, linea tenui albida cinctus, hac mamillas ambiente.

Mas. Thorax antice angustior vel ibi latitudine $^1/_2$ thoracis medii. Mandibulæ angustiores quam femora antica, in siccatis una cum clypeo propter clavam crassam palporum brevium præumbratæ, intus ad pectus flexæ. Pedes longiores, ita ut patellæ anticæ una cum tibiis long. 2 mill. attigant; illæ breviores quam $^1/_2$ harum; tibiæ, præter aculeum supra basin, inferius aculeis 5—6, his præsertim in loco, ubi tibiæ arcuatæ sunt, collocatis; omnes satis robusti et longi, saltem duplo longiores quam diameter tibiæ; reliquæ etiam ultra basin, medium versus, aculeis nonnullis, evidentioribus quam in ♀, instructæ, metatarsi præterea aculeis quibusdam præditi, qui in ♀ haud detegi possunt; femora antica versus apicem aculeis 2—3, ut in ♀, sed longioribus et robustioribus, et præterea superne, ut in reliquis femoribus, aculeis 1—2 et quibusdam apicalibus, his ægrius observandis, instructa; palporum pars patellaris ut in plerisque aliis maribus, superne setis 2, transverse positis, longis et crassis. Abdomen magis elongatum, teretiusculum.

Mense Majo et Augusto in insula Hisingen prope Gothob. et ad balnearia Särö Hallandiæ, in ericetis excipulo capta. In Scan., *Boheman*; in Upl., *Thorell*.

3. **S. melanocephala** (KOCH). *Femina* (subadulta) thorace piceo, unicolore; abdomine elliptico, fusco, linea media albida, in medio fasciis duabus parallelis rufo-brunneis decussata, his plerumque albido-marginatis, unde exstant lineæ quatuor transversæ, lætius expressæ; lateribus vitta altera albida cinctis; ventre maculis duabus longitudinali-

bus albidis notato; pedibus pallide rufescentibus, immaculatis; femoribus supra tibiisque anterioribus in latere antico parce breviterque aculeatis; oculis intermediis posticis inter se multo magis quam interm. antici approximatis, intervallo dimidio breviore, vix diametrum unius oculi superante.

Mas: abdominis vittis fasciisque minus læte coloratis, colore potius rufo-brunneis, antice autem subalbidescentibus (an ita semper?); pedibus saturatius rufescentibus; tibiis anticis aculeis pluribus, longitudine diametrum tibiarum superantibus; tibiis secundis paullo crassioribus quam anticæ, similiter atque hæ rectis, aculeis paucioribus, longis, et pluribus brevissimis armatis, aculeo singulo apicali majore, apice subuncato.

Koch, III, p. 44, T. 88, f. 199.

Femina, subadulta, magnitudine *S. albo-vittatæ*. Uterque sexus adultorum forsan paullulum majores. Ab illa specie constanter dignoscitur thorace unicolore; præterea ab illa, similiter atque a *S. Herii*, distinguitur oculis mediis posticis inter se multo propius quam antici sitis, vel a lateralibus posticis duplo longius quam inter se remotis; oculi 2 medii antici a lateralibus anticis ne ad minimum longius, sed potius differentia capillari brevius quam inter se distantes. Fasciæ transversæ in abdominis dorso etiam ut nota satis essentialis sunt considerandæ. Hæ fasciæ constant aut e lineis duabus latioribus, rufo-ferrugineis, albido-marginatis, aut, fugaciter inspectæ, e lineis quatuor pallidis, secunda et tertia inter se magis approximatis (?). *Mas* a ♂ *S. albo-vittatæ* distinguitur tibiis anticis rectis nec arcuatis. Tibiæ secundæ in illo paullo crassiores quam primæ, ut in masculis nonnullis generis *Epeïræ*, et, similiter atque in his, aculeis brevioribus, quasi spinulæformibus, crebrioribus, et alteris paucis longioribus armatæ, aculeo singulo apicali (ut in pede sinistro, a Dom. *Koch* delineato) robustiore, apice uncato. Patellæ anticæ cum tibiis conjunctim $2^2/_3$, thorax $1^2/_3$ mm. longæ, ideoque est corpus paullo majus quam in *S. albo-vittata*. Coxæ anteriores subtus in

illo, ut in specie allata, inconspicue spiniferæ, tamen, bene inspectæ, postice in apice rudimento spinulæ quam brevissimæ munitæ. *Femina* pedibus paullo brevioribus.

Inter Trondhiem et Dovrefjell Norvegiæ a *Boheman;* exempla juniora ad Holmiam Uplandiæ a *Thorell* inventa.

Obs. *S. hamata (Clerck)* KOCH l. c. p. 42, T. 88, ff. 197—8, quam Dom. *Walck.* in opere Apt. II, p. 86 ut synonymon ad *E. tubulosam* affert, a *S. melanocephala* differre videtur pedibus ad partem maculatis, feminæ abdomine in dorso crebrius fasciato, pedibusque evidentius et longius aculeatis, cet. *Araneus hamatus*, qui a *Clerck* (vide p. 51 ejus operis) ad Familiam *Irregularium (Therididarum)* relatus est, secundum *Thorell* (vide om Clercks orig. Spindels. p. 147) non in collectione Clerckiana adest. Itaque hæcce aranea, contra quam voluit *Thorell* (vide Rec. crit. p. 27), non certo huc referri potest.

4. **S. prominens**: *Mas* thorace subcoriaceo, mandibulis palpisque piceo-nigricantibus (an illo interdum rufescente?); pedibus rufo-testaceis, femoribus nigro-, reliquis articulis fusco-maculatis; abdomine ovali nudiusculo, piceo, vitta dorsali media luteo-castanea; margine antico utrinque aculeis tribus vel quatuor armato; cute fere tota dorsali dura, post mortem non corruganda, creberrime impresso-punctata.

Femina: thorace pallido-testaceo, vitta marginali et signatura dorsali furcata nigris; abdomine cinereo-albido, lateribus et regione supraanali rufo-tinctis, vitta dorsali media albidescente, non nisi antice evidentius expressa, dorso foveolis 4 nigris, adjacentibus punctis flavo-albidis (3—4), quibus dorsum in medio posterius etiam notatum est; pedibus pallidis ut in ♂ maculatis; ventre nigro utrinque linea flavida vel flavo-albida. Exempla nuper perfecte explicata.

Femina junior: thorace rufescente, marginibus saturatius rufo-pictis, dorso pone medium macula nigra; abdomine rufo-brunneo, vitta media dorsali præsertim antice evidentius expressa, flavida, dorso obsoletius fusco-punctato, posterius undulis nonnullis transversalibus fuscis

notato; pedibus pallidis, femoribus ut reliqui articuli rufo-nec nigro-annulatis.

Sub nomine *L. (Linyphia) prominens* inter species novas, indeterminatas, in collectione Dom. Prof. *Sundevallii* asservata; quod nomen retinui. — Westr. Enum. Ar. p. 35.

Mas. Thorax longit. 2 mm., supra leviter, subtus paullo rudius coriaceus, vel hic granulatus, ad formam elongato-ovatus, parte cephalica latitudine $^{2}/_{3}$ medii partis thoracicæ, per impressionem normalem lateralem ab hac distincta. Oculi 2 intermedii antici in eminentia communi, longius ultra os prominente locati, inter se non evidenter magis distantes quam intermedii postici; ab oculis lateralibus anticis iidem non longius quam inter se distant; oculi 2 laterales tuberculo distincto communi impositi, unde spatium frontale inter eos et intermedios anticos ut in plerisque *Epeïris* sat profunde emarginatum videtur. Clypeus et genæ transversim concinne rugulosa; ille solito altior est, vel longitudinem spatii, quod ab oculis 4 intermediis occupatur, attingit, ad os introrsum descendens; spatium, ab oculis 4 intermediis occupatum, glabrum; præsertim pars cephalica pube adpressa griseo-albida parce adspersa; thoracis color in specimine, a Dom. *Sundevall* capto, brunneo-rufescens, an id propter animalculi indurationen erga ignem, vel post exsiccationem diuturnam?. Palpi breves fere toti piceo-nigricantes, parte tibiali inæquali, calcari seu spina laterali setisque, ut in parte patellari, duabus distinctis instructa; bulbo, ex instrumentis genitalibus composito, magno, in latere externo calcari robustiore armato. Abdomen nudum, nisi setula brevissima, in quoque puncto impresso radicata, vestitum; series dupla e foveolis normalibus 6—8 sat distincta; inter has series vitta lutea seu fulva sita est, secundum totum dorsum ducta; abdomen ad formam elongato-ovale, extremitate antica paullo producta, unde forsitan nomen a Dom. *Sundevall* sumtum fuit; hæc productio in specimine vivo, a me capto, minus evidens; margo dorsalis anticus erga lucem contemplatus, in utroque latere aculeis vel setulis crassis tribus seriatis, ad latera spectantibus

instructus; aculeus quartus, qui in ♀ adest, sine dubio defractus. Supra anum in specimine siccato rugulæ transversales 2—3 observantur, ubi cutis mollior fuit, nam tegumentum durum non omnino ad anum extensum est. Tibiæ secundæ paullo crassiores quam primæ, subtus serie utrinque ex aculeis 3—4, exceptis aculeis nonnullis apicalibus interjectis, armatæ; illorum superis fere ultra duplo longioribus quam diameter articuli; femora superne aculeo longiore et supra apicem utrinque aculeo 1, ut et in medio 1, brevioribus; metatarsi aculeis 4—5 tenuioribus, absque ordine sparsis; tibiæ anticæ et 4 posteriores aculeis pluribus eodem modo dispositis, aculeo uno vel altero diametrum articuli paullo superante; femora 4 anteriora robusta, excepta basi nigricantia; 4 posteriora extus angustius fuscescentia, et præterea in medio annulo maculave fusca, quæ forsitan interdum cum fuscedine apicali confluit (præsertim in femoribus posticis?); in apice patellarum et tibiarum ut et in harum medio annulus fuscus obsoletior adest. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. 1$^{3}/_{4}$ millim., iidem articuli pedum anticorum fere ejusdem longitudinis; patellæ anticæ longit. $^{1}/_{2}$ tibiarum. Spinula brevis sub apice coxarum primi paris adest.

Femina. Quum specimen tantum unicum *S. scutiferæ* (N:o 5), non nisi in statu mortuo et in spiritu vini asservatum, forsitan decoloratum, ad lustrandum obtinui; non certo dijudicare possum an hoc ad feminam *S. prominentis* referri debeat nec ne. Quoad colorem thoracis et picturam pedum femina *S. prominentis* ante depositionem exuviarum similis erat illi speciei. Femina adulta differt thoracis colore pallido, margine late usque ad angulos clypei nigricante; e fovea ordinaria, pone medium sita, procurrit signatura furcata sive angulum nigrum; apices furcæ ad oculos laterales posticos protensi; oculi nigricant, similiter ac superficies antica mandibularum; femora 4 anteriora ut in ♂, excepta basi, nigricantia, at nigrore subtus divulso, sive per maculam unam vel duas pallidas hic abrupto; femora 4 posteriora e nigrore angustius cinguntur, exstantibus subtus cin-

gulo apicali, medio et basali, hoc (basali) tantum maculam anticam formante. Abdomen brevius minusque distentum quam in *S. scutifera*, unde dorsi pars postica mollior, pone scutum durius, tantum tertiam partem dorsi occupat, at in *S. scutifera* mox pone medium dorsi incipere mihi videtur, han oc propter expansionem apicalem cutis in *S. scutifera*, forsitan ovis repleta? — Pictura abdominis constat: e maculis 5—6 fuscis, utrinque in dorso seriatis, quarum binæ anteriores, quasi arciformes (an semper?), erga foveolas ordinarias 4 anteriores locatæ; maculæ postice cum puncto flavido seu flavo-albido confluentes; talia puncta flavida, posterius in medio dorsi seriata, 3—4 observantur; inter hæc et lateralia lineæ transversales fuscæ seu rubicundæ ductæ sunt. Abdominis vitta media cinereo-albida est, nec ut in ♂ luteo-rufescens; rudimentaria, restante apice antico, in productione basali abdominis locato; dorsi spatium anticum punctis cinereo-albidis crebre adspersum, his cum vittæ maxima parte confusis, unde limites poneapicales vittæ non seorsum expressi sunt; dorsi pars posterior et latera rubicunda. Annulus apicalis patellarum et annulus medius et apicalis tibiarum metatarsorumque pedum 4 anteriorum non ut in ♂ tam obsolete indicati, in tibiis posterioribus nigricantes. Pectus nigricans ut in ♂ impresso-punctatum vel coriaceum, et callo juxta singulam coxarum posticeque inter coxas posticas instructum. Venter nigricans, utrinque vitta albida vel flavo-albida ornatus. Pedes ut in *S. scutifera* tenuiter aculeati, aculeis in tibiis vix diametrum articuli attingentibus. Apertura genitalis margine præsertim laterali elevato, nigro, nitido, epigyne retracta, aperturam replente.

Mas 29 Junii ad vicum Angered, prope Gothob. a me excipulo captus in gramine. Mense Julio ad Söderto Scaniæ a Dom. *Sundevall* inventus. Femina junior, 17 Augusti ad Angered capta, exuvias relinquebat 19 ejusdem.

5. **S. scutifera.** *Femina* thorace fusco-ferrugineo; abdomine ovali, in extremitate basali subproducto, posterius lateribusque griseis, dorso a basi ad medium cute ca-

stanea, duriuscula, vel ibi quasi scuto ovato membranaceo, subtiliter creberrime impresso-punctato instructo; pedibus pallide testaceis, rufo-annulatis, parce et breviter aculeatis; abdominis margine in extremitate basali setis crassis brevibus, patentibus, 4 in utroque latere armato. (Specimen in spiritu vini asservatum).

Thorax longit. $1^2/_3$—2 mill.; frons truncata, parum latior quam efficit $^1/_3$ longitudinis totius thoracis (?), vel æque lata ac $^3/_4$ latitudinis mediæ partis thoracicæ; pars cephalica per impressionem lateralem latiorem evidenter distincta, altitudine faciali $^3/_4$ latitudinis clypei; hic, (vel spatium a margine supra os ad oculos intermedios anticos) vix brevius quam efficit spatium inter oculos intermedios anticos et posticos; oculi illi a lateralibus anticis vix, et ab intermediis posticis paullo longius quam inter se distant; hi aliquantulum majores quam intermedii antici et quam hi non visibiliter inter se magis approximati. Superficies thoracis setulis brevibus adpressis pallidis parce vestita. Mandibulæ colore thoracis, vel pallidiores, apicibus, cum maxillis, nigris seu piceis. Palpi pallidi, vix rufo-annulati, subtenues, articulo ultimo haud sensim acuminato sed maxima parte cylindrico, apice cito obtuso. Pectus nigro-piceum, subtiliter granulosum, anne potius impresso-punctatum? Abdomen in lateribus et dorso a medio ad anum griseum, illic fusco- vel ferrugineo-maculatum, hic undulis nonnullis transversis fuscis notatum, utrobique et in ventre cute molliore, sed hac in dorsi parte anteriore duriuscula, vel dorso hic quasi scuto ovali, fusco-castaneo, crebre impresso-punctato obtecto, quoque puncto setula brevi instructo; scutum marginem inflexum anticum basalem et ad partem lateralem obvolvit, posterius cum suo margine in ipsum dorsum sensim adscendit, et postice rotundatum, apice subtruncatum evadit; in medio scuti duo paria fovearum normalium adsunt, puncta 4 fusca, in quadratum disposita repræsentantia; margo basalis scuti, sub oculo bene armato contemplatus, serie e punctis (glabris?) 8 nigris cinctus, quoque puncto, erga lucem inspecto, setula brevi, crassa, erecta, nigra in-

structo. Abdomen, a latere inspectum, cum sua basi, quæ, superne inspecta, paullo producta est, subtus introrsum impressum vel excavatum, impressione forsitan in vivis convexitatem basalem thoracis obvolvente; hac convexitate thoracis fovea parum profunda, latiore instructa. Venter longitrorsum fuscus, utrinque linea pallida notatus; genitale callum glabrum repræsentat, apertura hujus epigynen brevem parum erumpentem excipiens. Pedes testacei, femoribus maculis vel annulis 2 rufo-castaneis, in femoribus anterioribus superne confluentibus, ita ut tota femora ibi subunicoloriter rufo-castanea videantur; apex patellarum & annulus medius et apicalis in tibiis metatarsisque ejusdem coloris; femora antica antice aculeo pone medium uno evidentiore; an aculeo quodam exteriore vel interiore defracto?; tibiæ et metatarsi utrinque serie ex aculeis 2—3, et patellæ supra apicem aculeo uno, brevibus et tenuibus instructa. Thorax cum abdomine conjunctim longit. 5$^3/_4$, abdomen 4$^1/_2$, latitudo abdominis 2$^1/_2$ millim.; pedes deinceps long. 4$^2/_3$—4$^1/_3$—3$^1/_2$ —5 mill.; ideoque sunt postici paullo longiores quam antici, saltem sunt tibiæ, ut mihi videtur, paullo longiores quam tibiæ anticæ. Scutum memoratum forsitan melius in exemplis in spiritu vini asservatis videri potest et durities scuti sub acu apposito a mollitie reliquæ cutis facile dignosci queat.

Hæc araneola, æque singularis ac *S. prominens*, a *Boheman* in Scania detecta.

Non nisi hæsitatione araneam descriptam a *S. prominente* sejunxi, et potius credere vellem illam non nisi cum hac conjungendam esse. Pleræque araneæ, in spiritu vini asservatæ, tam pictura quam pluribus notis orbantur, et unde ad describendum ineptæ evadunt.

III. ZILLA Koch.

Thorax ut in *Epeïra* constructus, parum pubescens. Oculi laterales postici ab intermediis posticis ne ad minimum longius quam hi ab intermediis anticis distant, et simul sunt oculi intermedii antici ab oculis lateralibus anticis non longius quam inter se separati; oculi intermedii antici

paullo majores quam postici (?). **Mandibulæ** et **Maxillæ** ut in *Epeïra*. **Palpi** in masculis sublongi, parte femorali aut æque longa aut longiore quam patella pedum anticorum. **Pedes** aculeis paucioribus; femora medium versus aculeis tantum 1—2 et præterea ut in plerisque *Epeïris* supra ipsum apicem 2—3; maris femora subtus non seriato-aculeata, neque sunt coxæ secundæ subtus versus basin, nec coxæ primæ in apice dente ullo armatæ. **Abdomen** breviter ovale, subellipticum, satis pubescens et simul parum nitidum, ut in *Epeïris* area dorsali maculata, a margine sinuato inclusa. **Retia** et **ova** ut in *Epeïra*.

1. **Z. atrica** (KOCH): thorace long. 3 mm., mandibulis rufo-testaceis; abdomine elliptico, postice vix angustiore quam antice, lateribus anoque plerumque sanguineis, rarius grisescentibus, area dorsali, a margine undulato nigro inclusa, latissima, foliiformi, maxima parte argenteo-plumbea, rarius in limbo latius fuscescente; margine undulato, aream cingente, antice in maculam oblongam fuscam finito, hac plerumque colore sanguineo tincta. *Mas* palpis longissimis, parte femorali longit. $^2/_3$ femorum anticorum; metatarsis anticis in latere externo serie e pilis 10—12 patentibus, mollibus, longitudine patellis pedum vix cedentibus.

Eucharia atrica KOCH XII, p. 103, T. 419, f. 1030—31 (sub nomine *calophylla Zilla atrica* et duæ insequentes inter se confusi fuerunt a Dom. SUNDEVALL et WALCK.; confer SUNDEVALL A:o 1832, p. 252, WALCK. F. par. II, p. 200, ID. Tabl. d. Ar. p. 62 et Apt. II, p. 70).

A *Z. x-notata* (2), cui valde similis est, differt mandibularum colore rufo-brunneo, nec ut in vivis illius speciei lurido-nigricante et post mortem nigricante; radices nigræ aculeorum et pilorum in pedibus minus rude expressæ, et annuli fusci in femoribus et apicibus articulorum reliquorum minus saturate colorati, ita ut pedes lætius pallide testacei, nec sordide testacei evadant. Mas facile dignoscitur palporum longitudine insigniore. (*Z. atrica* potius in arbustis et

plantis quam in domibus versatur (?)). A *Z. montana* (3) differt magnitudine majore, palpis maris longe aliter constructis, et vagina sexuali feminæ non ulla evidenti ex apertura protensa, cet.

Femina: thorace longit 3, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 4 1/2, posticæ 3 mm.; pedes antici toti 12—13 mm.; thoracis color pallidus aut, præsertim in siccatis, pallido-testaceus; pars cephalica in hac et duabus insequentibus speciebus, exemplis siccatis vel acu affixis, tota griseo-nigricans, at in vivis per radios tres, e fuscedine centrali exeuntibus, plus minus tam infuscata, ut, fugaciter inspecta, tota nigro-fusca videatur; summus margo anguste nigricans. Mandibulæ luteo-rufescentes, haud infuscatæ, in vivis tantum sæpe lineola basali apicibusque nigris. Abdomen plerumque 5—6 mm. longum, 4- 5 mm. latum; ellipticum vel posterius vix angustius quam anterius, dorso subdrepressum; color in lateribus, inferius ad ventrem, pallidus, plerumque viredine tinctus et hic, superius, plerumque punctis fuscis seu nigris adspersus; latera superius versus aream dorsalem plerumque rubra seu sanguinea, interdum sordide grisea; area dorsalis lata, maximam partem dorsi occupans, margine undulato nigro extus albedine angusta cincto; color marginis undulati aut e nigrore cohærente aut e punctis congestis nigris formatus; ille in antica parte in maculam magnam oblongam dilatatur, quæ plerumque colore sanguineo contaminatur, rarius, ut in *Z. x-notata*, nigricans evadit; area maxima parte diffuse argento-plumbea, rarius quam in illa juxta marginem undulatum colore fusco tam multo contaminata, ut remaneat tantum vitta media argenteo-plumbea angustior, utrinque dentata, quoque dente punctum impressum ordinarium excipiente; area plerumque postice lineolis oppositis 1—3 nigris, antice albido-marginatis notata; in extremitate antica dorsi vitta media inter maculas rubras seu nigras angustate procurrit; productione plerumque per lineolam tenuem fuscam vel nigram, e basi abdominis exeuntem, fissa, at dorsum dein numquam ut in *Z. montana* lineolis vel maculis succedentibus ejusdem coloris signata; spatium

supra anum ut in *Z. x-notata* et *montana* linea longitudinali fusca notatum; hæc linea re vera e nervo, sub epidermide translucente, constat, qui in exemplis acu affixis propter palpitationem cordis alternatim amplificatur et contrahitur; nervus sæpe ab arcu transverso fusco decussatur. Pectus interdum rufo-piceum nec nigrum, medio linea rufo-brunnea notatum. Tibiæ et metatarsi anteriores aculeis utrinque 2—3; superne non nisi setis nonnullis verticalibus vestitæ, quarum 1 ante et pone medium longioribus, plerumque radicibus nigris fortius designatis; femora antica superne aculeo 1 medio, in latere antico pone medium 1, et supra apicem 2—3; femora insequentia superne ante apicem aculeis 1—2 et, ut in plerisque speciebus, supra apicem 2—3. Genitale inconspicuum, intra aperturam retractum, hæc arcu elevato seu plica semilunata antice cincta.

Mas. Palpi parte femorali longit. $^2/_3$ femorum pedum anticorum, superne longe pilosa; parte patellari arcuata, parum breviore quam patellæ pedum anticorum, nudiuscula; parte tibiali cylindrica, longiore quam eædem patellæ, longe pilosa, pilis superis crebris, verticalibus, æqualiter longis et tenuibus; capitello genitalis globuliformi, vix crassiore quam mandibulæ.

Habitat præsertim in arbustis et plantis, interdum in domibus, similiter, atque *Z. x-notata*, quam extra domos hactenus non cepi; aranea in cubiculo tubuloso juxta rete latitat. In Scan., Blek., Bahus. et Upl., *Sundevall;* in Upl., *Thorell.*

2. **Z. x-notata** (Clerck): *Femina* thorace long. 3 millim., mandibulis lurido-nigricantibus, post mortem sæpe piceis; abdomine elliptico, plerumque in lateribus et supra anum griseo, rarius rubicundo; area dorsali in disco vitta grisea, subplumbeo-nitente, angustiore, utrinque dentata, postice sæpe obsoleta, remanente fere semper anterius macula ejusdem coloris trapezoidea seu cuneata, hac antice plerumque per lineolam, e basi exeuntem, nigram bipartita, et utrinque e macula oblonga ejusdem coloris, rarius rubro contaminata inclusa; genitali inconspicuo, non ultra aperturam porrecta.

Mas palporum parte femorali longitudine vix $^1/_3$ femorum pedum anticorum; parte patellari ovata, longit. $^1/_4$ patellarum pedum, parte tibiali conica, extus sensim incrassata, $^1/_3$ patellarum pedum vix longiore, ubique setis paucioribus, præsertim superne longiusculis et simul inæqualiter longis, nonnullis earum robustioribus et apicibus deorsum flexis vestitis; lamina ordinaria dense pilosa, una cum membro genitali piceo-nigricantibus; metatarsis anticis setis patentibus crebris, in latere externo non longioribus quam in latere interno vestitis, harum omnibus æqualiter longis, decumbentibus, nec ullis verticaliter porrectis (haud ut in *Z. atrica* in latere externo pilis peculiaribus verticalibus, multo longioribus, seorsum instructis).

[illegible] *x-notatus* CLERCK p. 46, Pl. 2, T. 5. — *Epeïra calophylla* WALCK. Apt. II, p. [illegible], No 37, var. a. — *Zilla calophylla* KOCH VI, p. [illegible] f. [illegible] 533—[illegible]. — *Mas* = *Z. caloph.* SUND. [illegible] 18[illegible], p. [illegible], mas junior. — *Zilla x-notata* THORELL: Om Clercks Origin. Spindelsamling p. 146 et p. 148, lin. 20, cet.

[illegible] ut [illegible] thorace long. 3, patellis et tibiis anticis [illegible] [illegible] iisdem articulis pedum posticorum [illegible] pedibus anticis circiter 12—13 mm. In [illegible] patellæ [illegible] cum tibiis conjunctim [illegible], posticæ cum his 3, pedes [illegible] mm., itaque sunt pedes in hac [illegible] [illegible] quam in [illegible] *Z. atrica*, in quo patellæ et tibiæ [illegible] mm. [illegible] Utrinque [illegible] [illegible] Pedes [illegible]

continuo cincti esse videantur; apex patellarum omnium in vivis et saltem posteriorum in siccatis plerumque nigricans, hactenus non colore rufo vel piceo varians a me visus. Vitta dorsalis abdominis plerumque angustior, utrinque sæpius dentata vel lobata, nec hic diffuse amplificata; pars posterior vittæ fere semper per lineam fuscam longitudinaliter persecta; vitta maxima parte sæpe obsoleta est, remanente antice macula trapezoidea griseo-albida, inter maculas oblongas nigras sita; hæ maculæ plerumque nigræ, nec ut in *Z. atrica* rubicundæ, quo colore etiam abdominis latera raro picta sunt.

Mas facile distinguitur a ♂ *Z. atricæ* brevitate palporum et defectu seriei pilorum longorum 10 verticalium in latere externo metatarsorum anticorum. Neque palpi neque pedes e colore rufo-testaceo tam evidenter tinguntur. Pili supra palporum partem tibialem minus crebri, inter se non æqualiter longi; nonnulli apicibus deorsum flexi. In *Z. atrica* omnes pili verticales sunt, æqualiter longi; ipse articulus longissimus, quadruplo longior quam crassior.

Mense Augusto in copula visa. Potius in fenestris et aliis locis domuum, quam in plantis et arbustis versari videtur. In Scan. et Blek. a *Sundevall* et *Boheman*; circa Gothob. a me ipse, *Sundevall* et *Thorell;* in Upl. a *Clerck* et *Thorell* capta.

3. **Z. montana** (Koch): *Femina* thorace pallide testaceo, pectore nigro-marginato, parte cephalica fusca; abdomine elliptico, vel postice vix angustiore, colore aut pallido, luteo aut rufo-brunneo, area dorsali ovali, in *var. a.* aut grisea aut luteo-brunnea, lateribus profunde undulatim nigro-marginata, margine plerumque iterum albido-cincto, aut in *var. b.* maxima parte nigra; area in medio vitta albida, subcontinua, aut sæpe e serie macularum formata notata, hac serie iterum aut e linea continua nigra aut e serie macularum nigrarum percursa, ita ut singula macula nigra a maculis albidis memoratis excipiatur; linea vel serie macularum nigrarum ultra aream usque ad anum decurrente, hic sæpe a lineolis 1—2, transversim

ductis, decussata; pedibus pallide testaceis, subtus maculis nigris notatis; genitali nigro, nitido, in vivis horizontaliter anum versus spectante, æque longo ac tarsorum anticorum articulus ultimus.

Mas colore feminæ, palpis brevibus, parte patellari nodiformi, tibiali subconica, angulosa, quam illa nonnihil majore, at non $^1/_2$ longitudinis patellarum pedum anticorum attingente; capitello, ex instrumentis genitalibus composito, fusco, crassitie femora antica saltem æquante, intus ad basin calcari longiusculo, robusto, et unco inferiore instructo; parte patellari superne seta antrorsum flexa, et tibiali quibusdam ejusmodi vestitis; parte femorali longit $^1/_3$ femorum pedum anticorum, extus setis paucis vestita.

Zilla montana KOCH VI, p. 146, T. 215, f. 536—37.

Thorax longit. 2 mm., feminæ patellæ una cum tibiis anticis longit. $2\,^1/_2$, cum posticis $1\,^2/_3$, pedes antici toti circiter 8—9 mm.; in ♂ sunt patellæ una cum tibiis anticis 4, cum posticis $1\,^3/_4$—2, pedes antici toti 11—12 mm. Pars cephalica, obiter inspecta, tota fusca; erga lucem contemplata in vivis utrinque linea saturatiore, e centro thoracis exeunte, ambabus conjunctim furcam vel angulum formantibus signato. Pectus pallido-testaceum vel lutescens, margine fusco-cinctum. Oculi ut in *Z. atrica* et *calophylla*, vel oculi utriusque seriei intervallis æqualibus separati. Pictura abdominis satis similis atque in *Z. x-notata*, at area dorsalis abdominis postice vix angustior quam antice, ibi obtusa, vel quasi truncata, et ante extremitatem posticam abdominis finita, h. e: margo lateralis sinuatus non usque ad extremitatem illam decurrens, sed cum areæ margine postico, colore nigro, bene expresso confluens, remanente inter aream et extremitatem abdominis ipso apice seriei punctorum vel lineæ dorsalis mediæ nigræ, aream percurrentis, hic a lineolis 1—2 transversis nigris decussata. Vitta pallidior in medio areæ purius albida, semper in antica parte macula centrali nigra notata, hac macula interdum triangulata seu cuneata, et in latere et postice colore albido circumdata;

pone hanc maculam insequuntur nonnullæ maculæ alteræ albidæ, quæ etiam in centro macula nigra notantur; vitta albida sæpe non in maculas plane liberas dissoluta sed magis continua, et series e maculis nigris, illam percurrens, etiam sæpe per lineam tenuem ejusdem coloris connexa, quæ, ut antea memoratur, ultra finem areæ decurrit; areæ limbus aut luteo- aut rubicundo-pallidus, juxta marginem sinuatum nigricans, aut interdum est limbus totus nigricans, et tunc vitta albida media læte expressa evadit; latera aut luteo- aut rubicundo-pallescentia, in ipsis sinubus areæ dorsalis plerumque albicantia, inferne aut sparsim fusco-punctata vel striolata, aut striolis interdum, arcte congestis, in vittam longitudinalem coordinatis, ornata; præter hanc vittam, sæpe arcus supra saccos pulmonales observatur; venter aut unicolor aut medio fusco-nigricans, sæpe utrinque linea flavescente notatus. Femora subtus macula basali, media et apicali, tibiæ et metatarsi, præsertim posteriores, puncto medio et apicali nigro notata, quæ puncta radices aculeorum indicant; hæc pictura, translucens, quasi instar annulorum se repræsentat; pedes ut in *Z. x-notata* parcius et tenuiter aculeati; femora colore pallidiora, reliqui articuli rubedine vel flavedine tincti. Feminæ palporum pars tibialis extus fusca; mandibulæ piceo-brunneæ, ut in illa specie satis tenues, præsertim in ♂, apud quem crassitiem femorum anticorum non attingunt.

Die 24 Junii in parietibus umbrosis in horto Prædii Nohlhaga, ad urbem Alingås, plura exempla capta. Ad prædium Jonsered prope Gothob. a *Thorell*, et in Lapp. a *Boheman* capta; in Upl., *Thorell*. In Ostrog. *v. Post*.

IV. META Koch.

Thorax parum vel obsoletius pubescens, nitidus, parte cephalica minus deplanata. Oculi laterales postici ab intermediis posticis ne ad minimum longius quam hi ab intermediis anticis distant, et simul sunt oculi intermedii antici a lateralibus anticis non longius quam inter se separati, una cum intermediis posticis aream quadratam occupantes;

antici interdum minores quam postici. **Clypeus** ut in *Epeïra*. **Mandibulæ** evidenter longiores quam efficit latitudo clypei. **Maxillæ** elongatæ, evidenter duplo longiores quam latiores, basin versus angustatæ. **Palpi** in masculis sat elongati, parte femorali longitudinem patellarum pedum anticorum æquante, bulbo genitali gracili, latitudinem femorum anticorum vix attingente; palpi in feminis etiam graciles, articulo ultimo maxima parte lineari, haud sensim subulato, nisi in *M. Menardi* ♀. **Pedes** fere ut in *Epeïra* aculeati, tibiis anticis et fere posticis triplo longioribus quam patellæ; maris femora subtus non seriato-aculeata, neque sunt coxæ primæ et secundæ subtus denticulo ullo armatæ. **Abdomen** obtuse ovatum, subglandiforme, dorso fornicato, nec subdepresso, pube adpressa vestito, subopaco; pictura dorsalis ex area fusca, varie maculata, constat, hac plerumque ut in *Epeïra* a vitta laterali pallidiore inclusa; venter utrinque linea recta, albida vel flavo-albida. **Retia** ut in *Epeïra*. **Ova** non inter se adglutinata, sed libera, facile numeranda.

1. **M. fusca** (De Géer): thorace nudo, pallido, margine summo, linea media, antice radiata, striolisque sæpe in vivis 2—3 lateralibus nigris; pedibus pallidis nigro-annulatis; radicibus aculeorum pedum ejusdem coloris; tibiis anticis, excepto aculeo 1 prope basin, in latere postico sito, aculeo 1 (vel 2) subtus propius basin locato, tum aculeis 3, utrinque longitrorsum seriatis, simul utrinque 4, metatarsisque ejusdem ordinis, exceptis aculeis 3 vel 4 mox infra basin, saltem 2 alteris, medium versus locatis, quorum 1 sinitro et 1 dextro, simul saltem 5 (an interdum pluribus?); abdomine fusco, crebre pallido- vel luteo-virescenti-punctato; femina palporum parte tarsali æqualiter cylindrica, hac cum parte tibiali annulo basali nigro evidenter cinctis.

   Var. b: abdomine toto nigricante, colore pallido obsoletius variegato, dorso vitta media albida vel flavida. **Femina.**

Ar. fusca De Géer VII, p. 285, T. 11, f. 9—12. — *Ep. inclinata* Sund. A:o 1832, p. 250, *var. b.* — *Meta Merianæ* Koch VIII, p. 121, T. 286, f. 688—690.

A *M. Menardi* (2) distinguitur numero aculeorum in metatarsis anticis, qui in ea, exceptis aculeis 3—4, prope basin sitis,, versus medium aculeo tantum singulo, in latere antico (vel, si vis, interiore), mox ante medium articuli armati sunt. In *M. fusca* metatarsi iidem, exceptis aculeis memoratis prope basin, aculeo 1 mox ante et pone medium articuli instructi, quorum ille in latere antico, hic in postico et pone medium situs est. Numerus aculeorum in tibiis ejusdem ordinis in utraque specie haud omnino congruens, scilicet: aculeis duobus, sub basi sitis, exceptis, series utrinque tantum unica adest; hæc ex aculeis haud 4—5 sed 3 tantum constat, at præterea, ut in *M. Menardi* superne adsunt aculei 2 verticales, quorum 1 pone basin, 1 pone medium situs, nec non supra petellarum apicem aculeus alter adest. Femina a specie eadem mox distinguitur structura palporum articuli ultimi, qui gracilis et linearis, nec incrassatus et subulatus est. Similiter ac *M. Menardi*, a *M. segmentata* (3) differt numero aculeorum in metatarsis anticis, qui in hac specie nec versus medium neque pone medium aculeum ullum habent; tibiæ anticæ in eadem specie sub ipsa basi aculeis carent; annulus nigricans saltem in articulo ultimo palporum in utroque earum specierum deficit, sed in *M. fusca* semper evidens est.

Thorax longit. 4 mm., glaber, politus; nigredo in capite radiata, vel diffusa, plerumque maculas 2—4 pallidas includit; versus occiput plerumque observantur foveolæ 2, transverse positæ, contiguæ vel interdum confluentes; oculi iride nigra cincti; intermedii antici differentia exigua inter se magis approximati quam intermedii postici, vel, ut verius dicam, propter magnitudinem minorem spatium brevius quam hi oculi occupant; intervalla oculorum ambarum serierum non insigniter inæqualia, et intermedii postici a lateralibus non longius quam ab interm. anticis siti. Abdomen breviter glandiformi, antice magis, postice minus obtusum,

posterius sensim liviterque angustatum; in adultis semper fuscius, pallido-punctatum, in junioribus colore pallido magis dominante variegatum, et tunc *M. segmentatæ* similius; dorsum antice nullis maculis albidis insignioribus notatum; supra anum plerumque observantur macula pallida vel rufo-brunnea, et altius, vel inter anum et medium dorsi, lineæ nonnullæ transversæ pallidæ. Pedes in ♂ non aliter atque in ♀ colorati; pallidi, tibiis tarsisque pallide brunneo-testaceis, femoribus subtus macula media, apicali et sæpe basali nigris; in quoque puncto nigro pedum, semper evidentibus, aculeus radicatus est; annulus medius in tibiis et metatarsis posterioribus ut in speciebus 3 insequentibus potius paullo ante medium situs est. Longitudo pedum anticorum in ♀ usque 18—19 mm. attingit, in ♂ vix major est, quare inter utrumque sexum illa minus discrepat quam in *M. segmentata*, cujus mas pedes evidenter longiores et totos rufo-testaceos habet. Maris palporum pars femoralis longit. $1/4$ femorum anticorum; pars patellaris nodiformis; pars tibialis extus paullo incrassata, hæc puncto vel annulo basali nigro; basis bulbi genitalis, vel lamina ordinaria appendice recta, pilosa, et altera calcariformi, nuda. Feminæ palporum articulis non solum tibialis sed etiam tarsalis annulo basali distincto nigro notatus.

In cellis Gothoburgi tota astate, sæpeque hieme, copiose capitur. Rarius extra domos, in angulo quodam propinquo occurrunt; forsitan rarius in regno vegetabili versatur? In Scan., *Sundevall;* in Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

2. **M. Menardi** (LATR.): *Femina* thorace pallido, nudo, linea marginali et media nigricantibus; palporum articulo ultimo sensim subulato, pone basin evidenter crassiore quam metatarsi antici; abdomine fusco, pallido-punctato, anterius utrinque macula magna semilunata, tum serie e lineolis oppositis obliquis 4—5, nigricantibus; pedibus pallidis, femoribus tibiisque in medio ett apice, patellisque in apice annulo nigricantibus; tibiis anticis, exceptis aculeis duobus sub ipsa basi, seriebus lateralibus binis

ex aculeis 4—5, metatarsisque ejusdem ordinis, exceptis aculeis 3—4 versus basin, mox ante medium in latere antico aculeo 1; in vel ultra medium aculeo nullo. (Sine dubio non perfecte explicata, unde palpi extus inflati).

LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 108, N:o 12. — *Meta fusca* KOCH VIII, p. 118, T. 285, f. 685—687 (excl. syn. DE GEERI, seu *Ar. fuscæ*, quæ eadem est species ac *Meta Merianæ* KOCH = *M. fusca* (1)).

Fem. jun.? magnitudo media inter *M. fuscam* et *segmentatam*. Thorax longit. $2^3/_4$—3 mm., patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 4—$4^1/_4$ mm. Ab utraque facile distinguitur structura insigniore palporum articuli ultimi, qui subulatus nec linearis est; hic articulus fere basin versus paullo angustatus, at mox ad tertiam partem sensim et levissime incrassatus, tum ad apicem sensim acuminatus; crassities ejus juxta medium evidenter major quam in metatarsis anticis; annuli fusci in palpis obsoleti (an semper?); in specimine lustrato articulus ultimus apice rufo-brunneus. Radices nigri aculeorum pedum, quæ in *M. fusca* observantur, haud evidenter adsunt. Metatarsi antici fere ut in ea aculeati, tamen versus medium non nisi aculeus solitarius in latere antico (interiore), mox ante medium, vel fere in tertia parte adest; aculeus, qui paullo infra medium in latere postico (exteriore) in *M. fusca* adest, deficit (an semper?). — In præsentia aculei in latere antico, haud procul ante medium siti, facile distinguitur a *M. segmentata*, quæ hoc aculeo caret, et cujus aculei 3—4 mox pone basin collocati sunt, quorum aculeorum ultimus in quarta parte articuli, in latere externo, nec in tertia parte, prope medium, in latere interno, situs est. Abdomen ut in *M. fusca* crebre pallido-punctatum, pallore sæpe rubedine tincto; nigror versus basin magis purus, vel punctis pallidis non nisi in medietate longitudinali mixtus, restante in utroque latere macula semilunata seu oblonga, longitudinaliter posita, purius nigra; abdominis latera, juxta lunulam, punctis crebris pallidis, circa basin abdominis progredientibus, adspersa, his in fascias longitudinales laterales, unam inferius versus ventrem, alteram superius versus dorsum emittentibus, hic rubedine tinctis;

dorsum pone maculas semilunatas serie e lineolis vel maculis oppositis, obliquis, sive arcubus transversis 4—5 nigris signatum, intervallis horum rufo-pallido-punctatis; maculæ lunatæ et lineolæ oppositæ per vittam dorsalem mediam, e punctis pallidis confertis formatam, persecantur, his punctis posterius sæpe rubedine tinctis; lineolæ dorsales oppositæ nigræ secundum Dom. *Koch* interdum in arcus transversos confluunt. Venter nigricans; linea flava utrinque haud ut in *M. fusca* continua, sed e punctis congestis formata; anus utrinque ut in ea punctis 2 paullo majoribus signatus. Tibiarum anticarum latera non solum serie superiore sed etiam inferiore ex aculeis 4—5, præter aculeum subbasalem, repræsentant, et præterea adsunt ut in *M. fusca* aculei 2 verticales, superne siti; latus interius aculeis conjunctim 8—9, exterius 7—8 armatum esse videtur; in *M. fusca* et *segmentata* utrobique ad summum aculei 4—6 exstant. *Mas* secundum Dom. *Koch* annulo nigricante in medio femorum caret.

Mense Septembri in locis umbrosis domuum ad Prædium Bokedalen prope Gothob. a *Thorell* inventa. Specimen unicum, a Dom. *Moræ* in Upl. captum, in collectione *Clerckii* adest, etsi non in opere hujus auctoris descriptum, teste *Thorell;* vide *Thorell* "Om Clercks original-spindelsamling", p. 144, lin. 2, ab infra, et p. 147, lin 16, a supra.

3. **M. segmentata** (Clerck): thorace nudo, pallido, plerumque linea media, antice radiata, nigricante; pedibus in ♀ pallidis, saltem posterioribus fusco-annulatis, in ♂ rufotestaceis et obsolete fusco-annulatis, tibiis anticis in utroque latere serie ex aculeis 3 (sub ipsa basi nullis), metatarsis ejusdem ordinis inter basin et quartam partem articuli aculeis 3—4 inordinatis, quorum 1 in latere antico, non procul a basi, et 1 in latere postico, circiter in quarta parte articuli sito; prope et infra medium aculeo haud ullo; abdominis pictura valde variante. Feminæ palporum parte tibiali basi annulo nigricante, parte tarsali ibi annulo haud ullo evidente. *Mas* palporum parte

patellari nodiformi, tibiali subcylindrica, extus vix incrassata, concolore, lamina ordinaria, vel potius parte tarsali basi appendice longe pilosa, et juxta hanc spina nuda, omnino recta, haud arcuata instructa; tibiis 4 anterioribus subtus setis subtilissimis perpendicularibus vestitis.

Ar. segmentatus CLERCK p. 45, pl. 2, t. 6. — *Ar. reticulata* LINN. Faun. Sv. p. 486, 1994. — *Ar. inclinata* WALCK. F. par. II, p. 201, *Epeïra id.* WALCK. Tabl. d. Ar. p. 62 et Hist. nat. d. Ar. 5. 2. — SUND. A:o 1832, p. 250, 11, *var. a.* (exclus. syn. DE GÉERI). — WALCK. Apt. II, p. 82. — *Zilla reticulata* KOCH VI, p. 142, T. 214, f. 532—33.

Thorax longit. 3—3½, pedes antici in ♀ circiter 14—15, in ♂ usque 19—20, femora antica in hoc fere 5½ mm., ideoque est discrepantia pedum longitudinis inter amborum sexuum insignior quam in *M. fusca*, in qua pedes subæque longi sunt; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim in ♀ 5½—6, in ♂ fere æque longæ atque in ♂ *M. fuscæ*, vel circiter 7 mm.; femora anteriora in ♂ ut in ♂ *M. fuscæ* abrupte robustiora quam femora succedentia, similiter atque in hoc mare ad medium sensim incrassata. Thorax et pedes in ♂ luteo- vel brunneo-rufescentia, his unicoloribus; in illo linea media fusca, antice gemina vel furcata, in lateribus autem lineolæ transversæ nigræ non evidenter adsunt; margo summus sæpissime concolor, præsertim in ♀; hujus sexus et thorax et pedes minus e rubedine tincti; pedes in ♀ aut obsoletius aut distinctius ornantur maculis vel annulis fuscis, quorum 2 in exteriore parte femorum, præsertim subtus evidentioribus, 1 in apice patellarum, tibiarum et metatarsorum, simulque in his duobus articulis annulo 1 medio; annulis in patellis et reliquis articulis, præsertim pedum posteriorum plerumque remanentibus. Omnis pictura nigra memorata et radices aculeorum pedum semper minus saturata quam in *M. fusca*, in qua hunc colorem numquam evanescentem vidi. Femora 6 posteriora, ut in plerisque *Epeïris*, etiamque 2 præcedentibus, superne aculeis pluribus quam 1, qua in nota per se, præter alias, omnes 3 species mox distinguuntur a genere *Linyphia*, FAM. IIːDÆ, ad quam transitum præbent. Maris tibiæ 4

anteriores subtus pilis densis, plane perpendiculariter articulo impositis, vestitæ. In ♂ *M. fuscæ* ibi non nisi setæ ordinariæ semipatentes vel decumbentes observantur. Abdominis color valde variat; in fundo illud aut olivaceum, luteo-rubicundum, brunneum, grisescens aut sæpe nigricans est, ut in *M. fusca*; dorsum ornatur vitta laterali normali sinuata, albida, quo colore macula media, versus basin, et altera, ei mox succedens, pictæ sunt; hæ aut quasi geminatæ aut simplices, ad formam communem aut triangulares aut transverse lineæformes; pone has insequitur series e lineolis brevibus transversis, quæ omnes sæpe per lineam ejusmodi coloris, illas percurrentem, connectuntur.

Habitat in hortis, in plantis, ubique vulgatissima, præsertim versus finem æstatis et huic longe superstes. Ova non inter se adglutinata, in sacco globoso, lanato, albido, diametro 8—9 mm. asservata. Ovorum color vittellinus translucet. Saccus sæpissime reperitur primo vere sub lapidus et in locis aliis abconditis. In Scan., Blek., Smol., Gottl., Upl., Dalek., Dovrefjell, Trondhjem et Valders Norvegiæ capta. In Ostrog., *v. Post.*

4. **M. albimacula** (Koch?): *Femina* thorace longit. 2 mm., pallido, plerumque linea media, antice radiata, nigra; pedibus sordide pallescentibus, saltem posterioribus fusco-annulatis, tibiis anticis in utroque latere serie ex aculeis 3, sub ipsa basi nullis, metatarsis ejusdem ordinis inter basin et quartam partem articuli aculeis 3—4, inordinate sparsis, quorum ultimus in latere exteriore, in qvarta parte vel fere infra situs est, prope, ante vel infra medium aculeo nullo; abdominis area dorsali fusca, a vitta laterali, aut maculari aut continua, albida cincta; area (in medio in ♂ rubedine tincta) in ♀ anterius maculis quibusdam albidis notata; palporum parte tibiali annulo basali nigro, Longitudo patellarum anticarum una cum tibiis $3^{1}/_{2}$ mm.

Mas pedum anticorum non solum tibiis sed etiam metatarsis, subtus pilis subtilibus perpendicularibus vestitis;

(femoribus anterioribus satis linearibus seu superne minus evidenter arcuatis); pedum colore ut in ♀; patellis et tibiis anticis conjunctim longit. 5 mm.

Zilla albimacula Koch VI, p. 144, T. 215, f. 534, 535, huc pertinere videtur, etsi magnitudo animalculi paullo minor videtur.

Femina a ♀ *M. segmentatæ* (3) ægerrime distinguenda nisi magnitudine minore et in eo, quod uterque sexus initio æstatis obveniunt genitalibus perfecte explicatis, hieme in hibernaculo quodam vitam degentes. Ova autem *M. segmentatæ* versus finem æstatis loco quodam deponuntur et vere insequente excluduntur; uterque sexus post mediam æstatem adulti evadunt, et tunc nuptias celebrant (an id recte a me observatum?).

Mas distinguitur a ♂ *M. segmentatæ* non solum tibiis sed etiam metatarsis anticis subtus pilis subtilibus perpendicularibus indutis; hi pili, bene inspecti, in metatarsis potius in latere postico (exteriore) seriati, vel saltem in hanc directionem spectant. Area dorsalis abdominis ut in variantibus *M. segmentatæ* viredine et rubedine variegata, medio linea longitudinali pallida, hac posterius a lineis, anticeque a maculis albidis decussata, harum normaliter tribus, quarum duabus anterioribus inter se approximatis. Color pedum sordide pallescens; toti pedes non ut in ♂ *M. segmentatæ* colore rubicundo tincti, sed tantum tibiis extus sensim, et tarsis paullo rufescentibus; saltem tibiæ et metatarsi posteriores annulo apicali et altero ante medium fuscis.

Mense Majo vel initio Junii plura individua adulta in plantis altioribus excipulo capta in Slottskogen ad prædium Enggården, prope Gothob.

V. TETRAGNATHA Walck.

Thorax oblongus, lateribus leviter arcuatis; fovea pone centrum magna, ovata, libera, nec sensim evanescens in thoracis basi, quæ æqualis est, nec ut in plerisque *Epeïris* excavata vel retusa. Oculi duo laterales inter se non insigniter magis quam duo intermedii antici ad posti-

cos approximati sunt; hi oculi (postici) inter se evidenter distantiores quam intermedii antici; series oculorum 4 posticorum recta vel potius levissime recurvata. **Mandibulæ** elongatæ, ovatæ, vel basi apiceque angustiores, in medio triplo crassiores quam femora antica, apicibus valde divaricantes. **Maxillæ** elongatæ medio angustatæ, multo longiores quam latiores, cum suis apicibus medium mandibularum non nisi in mare attingentes, in utroque sexu ultra labium breve longe porrectæ. **Palpi** gracillimi. **Abdomen** elongato-ovatum, subconicum. **Pedes** gracillimi, antici thorace 6:plo—7:plo longiores; femora linearia, antica thorace duplo longiora; pedes tertii breves, longitudine vix $1/2$ anticorum attingentes; tibiæ anticæ 6:plo longiores quam patellæ; metatarsi 5:plo longiores quam tarsi; toti pedes aculeis paucioribus armati; in tibiis aculei 3, in utroque latere seriati, in metatarsis 2—3, inter basin et medium sparsi, in femoribus superne 6—8 adsunt; toti pedes, præter pilos ordinarios adpressos, aliis verticalibus, tenuibus, numerosissimis vestiti. **Retia** et **ova** ut in *Epeïra*.

Libentius in plantis et fruticibus, in locis humidis et ad ripas aquarum crescentibus, retia regularia aranea suspendit. Sedet in reti, pedibus 4 anterioribus antrorsum, posticis duobus retrorsum, tertioque pari ad latera porrectis.

1. **T. extensa** (LINN.): *Femina* thorace, mandibulis, palpis pedibusque luteo-testaceis, unicoloribus; abdomine luteo-brunneo vel viridescente, vittis margaritaceis et sæpe brunneis ornato; aculeis tibiarum anteriorum brevioribus quam patellæ, et quam diameter tibiarum baseos vix duplo longioribus; non solum tibiis sed etiam metatarsis eorundem pedum subtus pilis subtilissimis, perpendicularibus, femoribusque præterea pilis verticalibus vestitis.

   Mas: vide infra.

   Aranea extensa LINN. Faun. Sv. ed. 2, p. 489, 2011. — FABR. Ent. S. II, p. 407, 1. — DE GÉER VII, p. 286, pl. 19, f. 1—4. —

WALCK. Faun. par. II, p. 204. — *Tetr. extensa* WALCK. Tabl. p. 68, & Hist. nat. 5, N:o 6, — SUND. A:o 1832, pag. 256. — HAHN die Ar. II, p. 48, T. 56, f. 129. WALCK. Apt. II, p. 203, 1.

Mas. Metatarsi anteriores subtus, exceptis pilis normalibus adpressis, non ullis perpendicularibus vestiti; tibiæ ejusdem ordinis superne non ullos pilos verticales evidentiores repræsentant; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim ut in ♀ longit. 6 $^1/_2$—7, metatarsi 6, tarsi 1 $^1/_2$ mm.; tibiæ usque 6:plo longiores quam patellæ. Mandibulæ paullo longiores quam in ♀, vel longitudini thoracis vix cedunt, extus valde hiantes, vel a basi extrorsum sensim divaricatæ, introrsum ut in ♀ seriebus duabus dentium armatæ, dente autem 3:tio vel 4:to ante apicem seriei superioris et dente ultimo seriei inferioris prope insertionem unguis sito, longiusculis; superne versus apicem mandibularum adest dens alter, adhuc longior, arcuatus, cujus apex sub oculo armato emarginatus vel quasi bicuspidatus videtur. Palpi tenues, æque longi ac femora antica, parte femorali cum basali conjunctim circiter $^1/_2$ longitudinis femorum anticorum, parte patellari fere dimidio minore quam pars tibialis, hac patellas anticas fere æquante; pars tarsalis basi lamella angusta subpilosa instructa, hac lamella paullo breviore quam pars tibialis; membrum genitale globosum, glabrum, nitidum, luteo-testaceum, amplitudine mandibulas non nisi quoad harum basin attingente, apice in mucronem vel lamellam arcuatam tenuem producto; lamina ordinaria angusta similiter atque appendix basalis partis tarsalis pilosa, apice æque longe ac mucro bulbi genitalis ultra hunc porrecta, proinde infra apicem hujus bulbi duæ cuspides decurrunt. Quoad hanc formam palporum ut et mandibularum genus *Tetragnatha* generi *Pachygnathæ* FAM. II:dæ satis simile est.

Femina. Mandibulæ non longitudinem thoracis attingunt; earum divaricatio apicalis communis externa saltem non ultra duplo latior quam earum latitudo communis basalis; in ♂ divaricatio ea fere triplo major (?) mihi videtur. A ♀ *T. obtusæ* dignoscitur pedibus haud fusco-annu-

[illegible] tibiarum anticarum longitudine non ultra duplo majore quam diameter tibiarum. metatarsis subtus, præter pilos ordinarios adpressos, etiam aliis perpendicularibus vestitis, qui in *T. extensa* haud adesse videntur, an casu quodam deleti ?; femora, tibiæ et metatarsi superne pilis verticalibus. Abdominis forma ut in ♂; vitta media plerumque albo-viridi-margaritacea, utrinque leviter sinuata ornatum, et lateris vitta altera, vittæ dorsali adnexa, albidiore signata; vittæ dorsalis margines in lineam longitudinalem luteo-brunneam vel fuscam sæpe transmutati, his vittæ medietatem restantem, vittam angustiorem albido-margaritaceam exhibentem, includentibus.

In Scan., Blek., Smol., Gotl., Ostrog., Upl. et Bah. a *Sundevall*; in Bahus. et ad Gbg. a me ipse; ad Trondhjem, Dovrefjeil et in Lapp. a *Boheman* capta; in Upl. *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

2. **T. obtusa** (Koch): *Femina* thorace griseo-fusco, vel marginibus et parte cephalica infuscatis; femoribus et articulis insequentibus presertim apicibus fusco-annulatis; tibiarum anteriorum aculeis longitudinem patellarum evidenter attingentibus, quam diameter ipsius articuli baseos triplo longioribus; eorundem pedum femoribus et tibiis [illegible], præter pilos adpressos, pilis aliis perpendicularibus vestitis, metatarsis pilis hujusmodi carentibus, femoribusque anterioribus superne non nisi pilis tantum ordinariis decumbentibus vestitis (num pilis verticalibus detritis??).

Koch Uebers. des Arachn. Syst. I, p. 5.

Thorax longit. 2—2¼ mm.; patellæ anticæ et tibiæ [illegible] 5, metatarsi 4—4½ mm. Specimen unum, in spiritu vini asservatum, thoracem fere ubique griseo-fuscum [illegible]; in specimine altero siccato est margo lateralis [illegible] pars cephalica infuscata; color reliquus sordide pallidus, [illegible] ut in siccatis *T. extensæ* colore testaceo tinctus. Abdominis vitta dorsalis foliiformis, quoad margines [illegible], distinctius expressa, colore luteo-mar-

garitacea; vitta lateralis normalis sinuata albido-margaritacea, medio maculis nigris contaminata, aut restant tantum vittæ margines, qui lineas binas flexuosas formant; apex anticus hujus vittæ in arcum communem productus; hic arcus ad partem extremitatem basalem abdominis cingit et simul postice arcum, ad sinum primum vittæ dorsalis inflexum emittit, arcus in medio extus aut æqualis aut dentem emittit; hic dens suo apice aut liber aut cum margine externo vittæ lateralis connexus, et tunc maculam primam nigram, in hac vitta jacentem amplectit; latera abdominis, infra vittam lateralem, et venter nigricant; venter utrinque, ut in *T. extensa*, linea longitudinali flavescenti- vel albido-margaritacea ornatus. Lineæ duæ parallelæ fuscæ vel luteo-rufescentes, in quas vitta dorsalis in *T. extensa* sæpe transmutatur, haud in exemplis lustratis observari possunt (an ita semper?). Pili subtiles, patentes, qui in femoribus et tibiis, et supra et subtus, in *T. extensa* adsunt, in *T. obtusa* saltem non in tibiis superne, sed subtus tantum adesse videntur; metatarsi neutiquam ut in *T. extensa* subtus similiter pilosi; an etiam in exemplis recentibus?; supra femora pili verticales etiam desunt (an detriti?).

Ad prædium Bokedalen, prope Gothob. a *Thorell* inventa.

VI. MITHRAS Koch.

Oculi præsertim 4 posteriores in seriem valde recurvatam dispositi; laterales eorum prope medium laterum cephalo-thoracis locati, tuberculo magno, ultra superficiem laterum perpendicularium prominente, impositi; maximi; duo intermedii inter se ultra triplo longius quam intermedii antici distant. Thorax breviter ovatus, fronte dimidio angustiore quam pars thoracica, hac usque ab oculis lateralibus posticis ad basin declivi; declivitate glabra, nitida, medio canalicula magna insculpta. Abdomen contra normam dense pubescens, qua ex pube color varius pendet. Pedes robusti, rudius pilosi, non ullibi evidenter aculeati; supra femora tamen aculeus præsertim unicus medius adest. Rete

incompletum, vel non nisi circuli segmentum minus occupans. Confer characteres reliquos in descriptione *M. paradoxi*.

1. **M. paradoxus** (Koch): *Mas* junior thorace parcius, abdomineque densissime luteo-cinereo-pubescentibus, hujus vitta media maculari, serieque laterali punctorum 5, pallidis, his punctis fasciculatis, obiter inspectis tubercula assimilantibus.

Femina adulta abdomine fasciis nigris, fuscis et ochraceo-albidis undulatis ornato, metatarsis posticis retrorsum arcuatis, superne serie longitudinali e setulis numerosis, apicibus deorsum flexis, vestitis.

Koch XII, p. 94, T. 417, f. 1023--24. — *Scytodes Mithras* Walck. Apt. I, p. 275, Pl. 22, fig. 2 D (f. 2 B est falsa); *Uptiotes anceps* ib. p. 277?, et *Uptiotes anceps Schreberi* ib. p. 278, Pl. 7, fig. F 2 D, 2 d, 2 c et k (forma thoracis et situs oculorum ut in nostra aranea, fig. 1 B quoad numerum oculorum falsa). — Thorell: Till kännedomen om slägtet *Mithras* och *Uloburus*, Vet. Ac. Förh. A:o 1858, p. 191.

Mas junior. Thorax long. 1 mm., humilis, a latere inspectus sensim retrorsum declivis, excavatione basali, pro receptione abdominis baseos, glabra, nitida, ampla, canalicula media profundiore. Pars cephalica vix latior quam efficit $1/3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ. Oculi laterales antici una cum interm. anticis in seriem deorsum arcuatam dispositi, quod e forma clypei pendet, qui transversim fornicatus est; series eadem simul fere recta, sive leviter procurva; de cetero confer descriptionem generis. Thorax in fundo nigricans, superficie pube rudi cinerea parcius vestita, declivitate postica nuda. Mandibulæ tenus, equam femora antica angustiores, paullo longiores quam altitudo facialis. Clypeus paullo antrorsum declivis, an ita in vivis? Maxillæ breves, extus rotundatæ (in specimine, in spiritu vini asservato, ægre lustrandæ). Abdomen obtuse ovale, extremitate basali sat longe supra basin thoracis prominente, superficie pube rudi, vel saltem ad partem squamulis luteo-vel olivaceo-fuscis dense obducta; dorsum ornatur: vitta

media cinereo-albida vel luteo-albida, præsertim pone medium per arcus transversos fuscos in maculas divisa: serie laterali e punctis 4—5 (an umquam 6) cinereo-albidis, his punctis setulis brevibus indutis, primo inter basin et medium dorsi sito, breviter pubescente, secundo mox ante medium locato, fasciculum evidentius eminentem repræsentante, succedentibus deinceps humilioribus. Eminentia eorum melius observari potest, si abdomen a latere et in directione obliqua contempletur. Venter fuscus etiam dense pubescit. Pedes, ut mihi videtur, proportione 4, 1, 2, 3, an in adultis 1, 4, 2, 3; robusti, metatarsis cum tarsis sensim acuminatis; patellæ anticæ longit $^2/_3$ tibiarum; toti pedes rude adpresso-setosi, aculeis nullis evidentibus, exceptis paucis, supra femoribus sitis; luteo-brunnei, femoribus maxima parte superne et extus infuscatis, patellis tibiisque extus, tarsis non ullibi evidenter fusco-annulatis. Palpi luteo-testacei, præsertim extus, articulis ultimis valde inflatis, simul clavam ovatam magnam constituentibus, hac quam femora antica multo crassiore. Mamillæ duæ inferiores cylindricæ, crassiores et longiores quam reliquæ.

Femina adulta maxillis æque latis ac longis, antice ab apice una cum lateribus circulariter arcuatis. Abdomen latius ovatum, dorso quasi medio transverse elevatum, anterius magis obscure coloratum, ibi fasciis 2 ochraceo- vel brunneo-albidis, antice nigro marginatis, hic fasciis ejusmodi 3—4 et totidem fuscis, cum illis alternantibus. Mamillæ inferiores ut in mare longe inter se distant. Femora tertii paris in latere antico, inter basin et medium ornantur serie e pilis 7—8 patentibus, subtilibus, duplo longioribus quam diameter femorum. Forma metatarsorum posticorum horumque margo superior concinne plumato-pilosus, similiter atque in feminis generis *Dictynæ* FAM. III:TIÆ, ut notæ valde singulares sunt consideranda. Thorax longit. $1^1/_2$, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $1^1/_2$, posticæ $1^3/_4$ mm.

Mas a *Boheman*, femina a *Thorell* ad Holmiam inventa.

FAM. II. THERIDIDAE Sund. (*Inæquitelæ* Latr.)

I. LINYPHIA Walck.

Thorax ovatus, fronte latitudine $1/2$—$1/3$ medii partis thoracicæ, parte cephalica minus depressa, per impressionem lateralem distincta, dorso pone medium fovea satis magna, lata, plerumque cum declivitate sive excavatione basali confluente; cute nitida, nuda, sæpe tamen in parte cephalica pilis paucis erectis vestita. Oculi intermedii postici inter se quam duo interm. antici magis separati; antici a margine supra os aut æqualiter aut longius quam a posticis distant; duo laterales inter se semper approximati. A genere *Erigone* (VII), quod oculos similiter dispositos habet, distinguitur proportione pedum 1, 2, 4, 3, vel 1, 4, 2, 3, nec nisi rarissime ut in illo 4, 1, 2, 3, at simul pedibus evidenter aculeatis; aculeis hic illic sparsis, nec regulariter seriatis, qua in armatura pedum aliisque characteribus differt ab aliis *Therididis*, cum quibus forsan confundi potest. Clypeus, qui propter oculorum 2 intermediorum anticorum distantiam ab ore, majorem quam in Fam. I, altior evadit, plerumque infra oculos illos impressus, dein subarcuatim ad os directus; in nonnullis magis rectus est, perpendiculariter vel decliviter antrorsum (nec introrsum) ad os descendens. Mandibulæ robustæ, æque crassæ aut crassiores quam femora antica, parallelæ, extus oblique attenuatæ, vel intus ibi conjunctim excisæ, in paucis masculis satis elongatæ magisque hiantes; plerumque longiores quam efficit latitudo frontis. Maxillæ aut ovatæ aut lineares, apice rotundatæ, plerumque longiores quam latiores, paralleliter porrectæ, nec apicibus circa labii apicem convergentes. Labium breve,

præsertim in siccatis extus quasi transverse impressum, vel apice reclinatum. Pedes evidenter aculeati, aculeis erectioribus, evidenter ultra pilos ordinarios decumbentes eminentibus; in femoribus anticis adsunt plerumque aculeus 1 versus medium, superne, et 1—3 in latere antico; in *L. montana* et *triangulari* illic adsunt aculei 2, hic 3—5, in seriem dispositi, et in femoribus 6 succedentibus evidenter plures quam 1 (submedius), inter basin et $^2/_3$—$^3/_4$ femorum sparsi, qua in nota *L. clathrata* congruit, at aculei in hac brevissimi et non nisi sub lente bona facilius perspiciendi; in omnibus reliquis speciebus adsunt in femoribus anticis, ut supra dicitur, aculei 1—3; in 6 insequentibus supra aculeus solitarius, ante, pone vel in medio femoris situs, aut adest aut deest; *L. marginata* et *rufa* solæ sunt, quæ etiam in femoribus anticis non ullum aculeum distinctum habent, an semper?; patellæ plerumque in ipso apice aculeo 1 supero; tibiæ aut 4, quorum 2 supra, 1 utrinque pone medium, aut 6—7, quorum circiter 2 in utroque latere; metartarsi antici aut 4—6, his aut intra et infra medium sparsis, aut 1 vel 2—3, inter basin et medium vel in vicinitate medii sitis, interdum haud ullo aculeo; pedes tertii ordinis non ut in *Fam. I, Epeïridis*, tam abrupte breviores quam antici, vel in plerisque usque $^3/_4$ (an ultra?) attingunt; *L. clathrata, bucculenta, rufa* et *comata* solæ sunt, quæ pedes posticos paullo longiores quam antici habent, quod in tibiis et metatarsis, inter se sub lente comparatis, sine mensione pedum non difficile perspici potest; omnes reliquæ pedum proportione 1, 2, 4, 3, vel 1, 4, 2, 3. Ab *Erone variegata*, pedibus aculeatis gaudente, differt thoracis dorso haud semigloboso, cet., et ab *Erigone Sundevallii*, tibiis anticis ut in *Erone variegata* seriato-aculeatis, dignoscitur pedibus anticis longioribus et femoribus supra aculeo uno alterove armatis, cet. Abdomen parce pilosum, nitidum, ut in *Epeïra* respectu magnitudinis thoracis magnum, circiter sub tertia sua parte thoraci affixum; pictura varia, rarius nulla; venter raro lineis vel arcubus 2 pallidis longitudinalibus ornatus. Cum *Erigonis* non confundi possunt illæ *Linyphiæ*, ex. gr. *L. pallescens*,

dein sub æstate parcius lecti. Ad eandem urbem etiam a *Sundev.* feminæ captæ sunt. Upl., *Thorell.*

3. **L. triangularis** (CLERCK): *Femina* thorace mandibulisque pallidis seu luteo-testaceis, illo linea media tenui, antice furcata, nigra; abdomine vitta dorsali fusca, utrinque acutius 3—4-dentata; pedibus immaculatis, femoribus anticis superne aculeis 1—2, et in latere antico 4—6, his in seriem dispositis, femoribus sex posterioribus aculeis pluribus quam 1; oculis 2 intermediis anticis a lateralibus anticis duplo longius quam inter se distantibus, ideoque inter se valde approximatis. Thorax longit. 2$^3/_4$--3 mm.

Mas mandibulis longis vel quam altitudo facialis triplo longioribus, sive longitudinem articuli tarsalis pedum anticorum attingentibus, basi femoribus anticis parum vel vix crassioribus, extrorsum sensim attenuatis, apicibus valde divergentibus; abdomine teretiusculo vitta dorsali plerumque brunnea, sæpe maxima parte deleta, remanente macula vel arcubus quibusdam fuscis seu nigricantibus; patellis et tibiis anticis conjunctim, ut in *L. montana* (1), longit. circiter 5 mm.; palpis pallidis, bulbo genitali rufo-brunneo, parte tibiali mediocriter pubescente, seta una vel altera longiuscula vestita.

Ar. triangularis CLERCK, p. 71, pl. 3, t. 2, f. 1 ♂. — *Ar. montana* LINN. F. Sv. Ed. 2, p. 488, 2007. — *Ar. resupina sylvestris* DE GÉER VII, p. 244, pl. 14, f. 13—16. — LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 100. — *Lin. triangularis* SUND. A:o 1829, p. 215. — *L. montana* WALCK Apt. II, p. 238, Pl. 16, f. 4 F. — KOCH XII, p. 113, T. 422, f. 1038 et 1039. — *L. montana* WESTR. Enum. Aran. p. 37. — *L. triangularis* THORELL Rec. crit. p. 33.

Femina: præter omnes notas, in diagnosi allatas, facile distinguitur ab aliis, subsimiliter pictis, signatura furcata thoracis, quæ similis est atque in *L. crypticola* (12); in siccatis signatura satis obsoleta est. Oculi intermedii antici, ut mihi videtur, inter se solito approximatiores. Pictura abdominis subsimilis picturæ *L. marginatæ* (8). Vitta

in medio dorsi quasi e maculis 4—5 connexis constat, harum margo non tam circularis, sed, præsertim in maculis anterioribus, in dentem formatus, h. e: pars anterior vittæ e maculis triangularibus connexis, nec ut i *L. marginata* e maculis rotundis constare videtur; maculæ præsertim posteriores interdum quasi geminatæ videntur; vitta, ut in *L. marginata*, a vitta albida utrinque inclusa, hac etiam ramulos emittente; horum ramulorum nonnulli in sinus vittæ dorsalis fuscæ intrant, nonnulli extrorsum in latera abdominis descendunt, unus elongatus, arcuatus; ramulus posticus internus similiter atque in *L. marginata* longius in dorsum surgit et una cum opposito maculam unam vel duas posticas a præcedentibus sæpe disjungit. Aculei in femoribus breviores quam aculei in tibiis anticis, hi evidenter longiores quam diameter tibiarum; aculei in tibiis numero 8—10, in metatarsis omnibus circiter 5—6, hic et intra et infra medium articuli dispersis; tibiæ anticæ 5:plo longiores quam patellæ. Femora subtus breviter et parce pilosa, pilis paucis basin versus longioribus.

Mas pictura abdominis plerumque satis obsoleta. Mandibulæ ut in *L. pusilla* triplo longiores quam altitudo facialis; aculei in tibiis anticis vix longiores quam diameter articuli. De cetero confer diagnosin.

Habitat ubique frequentissima in plantis, arbustis et inter ramulos arborum. In Upl., *Clerck*, *De Géer* et *Thorell*; in Scania et Blek., *Sundev.*; ad Gothob. et in Hall. ipse; ad Valders Norvegiæ, *Boheman*; in Ostrog., *v. Post.*

B. Femora 6 posteriora superne aculeo tantum 1 (aculei in *L. peltata*, exemplis in spir. vini asservatis, fere plerique defracti, quare eorum numerus et situs haud extricari possunt; at species illa verisimiliter huc pertinet).

4. **L. phrygiana** (Koch): Thorace pallide lutescente, linea media longitudinali, antice quadrifida, marginibusque fusco-brunneis; palporum parte tibiali annulo apicali fusco; abdomine supra albido, vitta dorsali longitudinali fusca, quam thorax evidenter angustiore, utrinque acute dentata, vel e maculis 6- 7, angustius connexis, formata,

harum anticis plerumque didymis vel quasi extrorsum bilobis, posterioribus obcordiformibus; lateribus lineis 4—5 arcuatis oblique ductis, fuscis; pedibus colore thoracis, fusco-annulatis, femoribus subtus subtiliter fusco-punctatis, anticis supra anticeque simul aculeis 2—3, reliquis supra aculeo 1.

Mas ab omnibus aliis maribus *Linyphiarum* (mihi cognitis) distinguitur structura palporum parte patellari, quæ in spinam lateralem robustam producta est; punctura fusca sub femoribus non in ullo alio mare *Linyphiarum* adest.

Koch Die Ar. III, p. 88, T. 100, f. 229—30. — Walck. Apt. II, p. 260.

Femina. Thorax longit. 2—2 $^1/_3$, pedes antici 10—11 mm., ille supra lutescens, in summo margine laterali et supra os nigricans. Oculi intermedii antici inter se non tam approximati ut in *L. triangulari* (3), vel inter se non dimidio brevius quam a lateralibus anticis distant; oculi illi a margine supra os non longius quam ab oculis intermediis posticis dissiti. Abdomen superne subalbidum seu pallide lutescens; vitta dorsalis continetur maculis 6—7 pallide brunnescentibus vel rubicundis, nigro-marginatis, maculis anterioribus plerumque ad latus fissis seu bilobis; vitta supra anum vix magis dilatata quam anterius, vel tota linearis dicenda, nullibi thorace latior, plerumque non latior quam frons, vel circiter æque lata ac $^2/_3$ latitudinis mediæ thoracis. Latera notantur striolis 4—5, plus minus evidentibus, fuscis, arcuatim oblique ductis, his aut superne liberis aut quasi e nigrore marginis antici cujusque maculæ dorsalis inabrupte excurrentibus, rarius obsoletis; striola alia ejusdem coloris, e basi longitrorsum producta adest. Pedes pallidiores; coxæ colore thoracis; tibiæ tarsique, præsertim posteriores, evidenter fusco-annulata; femora etiam in vivis obsolete annulata, apice tamen distincte fusco-cincta, subtus punctis fuscis, sat crebris ornata; quæ nota ut valde singularis est consideranda; femora antica tantum aculeis 2—3, sex posteriora aculeo 1 ante medium armata; pedes

toti tenue pilosi; femora omnia (etiam postica) subtus pilis longioribus, perpendicularibus adspersa. Pectus rufo-brunneum, haud nigricans dicendum. Aculei in tibiis diametro articuli fere duplo longiores; metatarsi, etiam anteriores, aculeis, et intra et infra medium dispersis, armati.

Mas insignis est propter structuram palporum partis patellaris; hæc in apice lateris exterioris in spinam robustam producta; hæc spina longior est quam ipse articulus, quo insistit, apicem partis tibialis conici attingens.

Mense Augusto ad prædium Jonsered prope Gothob. in arbustis capta. Rete inter ramulos more *L. triangularis* extensum. Auctumno A:o 1844 pullulus prope Gothob. a *T. Thorell* lectus. Ad Qvickjock Lapponiæ exempla plura a *Boheman* et *N. J. Andersson* capta. Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

5. **L. hortensis** (Sund.): *Femina* thorace long. 1¾ millim., fusco, in vivis et junioribus brunneo, linea marginali et media obscurioribus; abdomine nigro-fusco, dorso utrinque vitta albida, intus plerumque circulariter sinuata, adjacente extus vitta altera ejusdem coloris, hac posterius aut cum vitta interna connexa aut libera, postice in arcum supra anum producta, at antice plerumque non in ullum arcum longe circa basin abdominis producta; hac pictura sæpe in maculas dissoluta; dorsi vitta fusca, a vitta albida interna inclusa, secundum formam sinuum hujus vittæ utrinque plerumque æqualiter lobata, vix vittam acute dentatam formante; pedibus griceo-testaceis, coxis et femoribus, præsertim posticis, pallide luteo-rubicundis; femoribus sex posterioribus superne aculeo tantum 1, anticis præterea in latere antico 2, tibiis aculeis 8—10, diametro tibiarum fere duplo longioribus, metatarsis inter basin et medium aculeis 3—4, uno alterove longitudine aculeos tibiarum haud cedente, infra medium aculeo haud ullo.

Mas thorace robustiore, long. 2 millim., patellis cum tibiis anticis cunjunctim 3, cum posticis 2½ mm.; man-

dibulis evidenter granulatis, clypeo 3:plo longioribus, robustis, elongato-ovatis, quam femora antica duplo crassioribus, pone medium intus dente robusto, et in basi spinula brevi, margini clypei incumbente instructis; palporum parte patellari ett tibiali subnodiformibus, vel hac subconica, quam illa fere duplo longiore et crassiore, utraque æqualiter et brevius pilosa, parte tibiali supra apicem seta una vel altera erecta longiore, evidentiore; lamina ordinaria latiore quam femora antica; membro genitali intus haud ullam setam spiraliter flexam emittente; abdomine plerumque arcu tantum brevi, vel macula punctove albissimo juxta basin utrinque superne notato; pedibus lætius rufo-testaceis, præsertim in coxis et femoribus omnibus.

L. hortensis SUND. A:o 1829, p. 218. — *L. quadrata* WIDER, p. 251, t. 17, f. 3? — *L, frutetorum* KOCH die Ar. XII, p. 128, T. 424, f. 1044—46. — WALCK. Apt. II, p. 248 et *L. pascuensis* ib. p. 251?

Femina a *L. pusilla* (6) constanter differt pedum aculeis longioribus et his semper propter pedum colorem pallidiorem facilius discernendis. Thorax long. 1½—1¾, pedes antici 8½ mill., illius structura omnino ut in præcedentibus. Mandibulæ, ut in *L. pusilla*, paullo crassiores quam femora antica, et duplo longiores quam efficit altitudo facialis; fuscæ. Abdominis vitta fusca dorsalis, a vitta adjacente albida inclusa, haud ut in *L. clathrata* (2) serie media arcuum quorundam pallidorum ornata, neque sunt ejus margines ut in *L. pusilla* acute dentati, sed plerumque circulariter 4—5-lobati, quod e forma sinuum vittæ albidæ pendet. Vittæ ambæ albidæ sæpe pone medium confluunt et dein conjunctim versus anum producuntur, hic arcum formantes; arcus sæpe cum opposito in ipso dorso confluit; interdum sunt vittæ in maculas vel lineolas minores dissolutæ, omnino ut in *L. pusilla*, præsertim in exemplis ovis distentis. Apex anticus vittæ albidæ externæ haud ut in illa longe in spatium perpendiculare, supra connexionem abdominis cum thorace, productus. Pictura albida in junioribus plerumque

vittam majorem, postice angustatam, antice furcatam repræsentat. Coxæ et femora præsertim postica luteo-rubicunda, femora 3, 2, 1 deinceps pallidius rufescunt (ut in figura KOCHII).

Mas in notis, in diagnosi allatis, facile distinguitur a ♂ *L. clathratæ* et *pusillæ*. Pedes omnino ut in ♀ aculeati; granula mandibularum paullo evidentiora quam in *L. pusilla*, inferioribus, bene inspectis, quasi apice setula minuta instructis. Dens, pone medium mandibularum distinctus, haud in *L. pusilla* adesse videtur, neque est spinula basalis, margini clypei imposita, in hac tam distincte prominens.

Mense Majo—Junio in gramine et plantis ad Gothob. excipulo capta. In Scania, *Sundevall*; Upl., *T. Thorell*; in Ostrog., *v. Post*.

6. **L. pusilla** (SUND.): *Femina* thorace, long. 1½ mm., abdomineque fuscis, hoc in dorso vitta fusca, marginibus dentata, in lateribus vittis duabus albidis, plerumque in maculas interruptis; hac pictura valde variante; pedibus unicoloribus, totis aut pallidis aut rubedine tinctis; femoribus sex posterioribus superne aculeo 1 brevissimo, ægrius observando; tibiis aculeis paucis, etiam brevibus, longitudine diametrum articuli parum superantibus, metatarsis pone basin, exceptis aculeis quibusdam lateralibus obsoletioribus, uno superne verticali evidentiore, diametro articuli haud ultra dimidio longiore; pedibus totis obsolete pilosis.

Mas thorace robustiore, long. 1¾—2 mill.; mandibulis longissimis, clypeo 4:plo longioribus, vel æque longis ac ¾ thoracis, superficie subtiliter granulatis, tenuibus, sublinearibus, vel nullibi crassitiem femorum anticorum nisi perparum superantibus; palporum parte patellari subnodiformi, tibiali subconica, hac illa duplo longiore, æqualiter pilosa, vel pilis haud in fasciculum congregatis; lamina ordinaria, membrum genitale obvolvente, angustato-elongata, latitudine crassitiem femorum anticorum haud superante; membro genitali introrsum setam lon-

gam spiraliter flexam emittente; abdominis pictura plerumque obsoleta; illo semper tamen arcu vel macula punctove albissimo juxta basin utrinque ornato; femoribus plerumque magis rubicundis quam articuli succedentes.

L. pusilla SUND. A:o 1829, p. 214. — *L. pratensis* WIDER p. 258, t. 17, f. 8. — WALCK. Apt. II, p. 250. — KOCH XII, p. 121, T. 423, f. 1043. — *Theridion signatum* HAHN die Ar. II, p. 40, T. 54, f. 125 (vix nisi huc referendum).

Femina thorax longit. $1\frac{1}{2}$ millim., patellæ cum tibiis anticis conjunctim 2, metatarsi $1\frac{3}{4}$ mill.; pedes deinceps $7\frac{3}{4}$—$6\frac{1}{2}$—5—7 mm. Thorax, oculi et mandibulæ ut in *L. clathrata* (2) et *hortensi* (5), et clypeus haud altior quam efficit distantia inter oculos intermedios anticos et posticos, sub oculis illis etiam haud impressus, sed perpendicularis. Color thoracis in vivis luteo-fuscus, in siccatis nigricans, in exemplis in spiritu vini asservatis brunneo-fuscus, capite lateribusque infuscatis. Pedes unicolores; femora postica vel posteriora haud ut in *L. hortensi* saturatius quam anteriora rufescunt vel lutescunt. Patellæ anticæ long. $\frac{1}{4}$ tibiarum. Pedum aculei quam in *L. hortensi* evidenter breviores, ita ut, ex. gr., illi in tibiis anticis evidenter breviores quam longitudo dupla diametri articuli videantur; Aculeus in femoribus sex posterioribus non nisi sub oculo bene armato et erga lucem videri potest. Abdominis venter nigro-fuscus. Pictura abdominis dorsi sat similis *L. hortensis;* pictura albida autem magis diffusa et lætius expressa; lobi vittæ fuscæ haud rotundati sed angulares. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, vel 1, 2, 4, 3. Varietates numerosissimæ exstant; quæ omnes ad infra enumeratas referri possunt.

Var. a. Vittæ duæ albidæ, utrinque juxta vittam dorsalem fuscam locatæ, continuæ; interna intus regulariter dentata, unde vitta dorsalis fusca etiam regulariter dentata evadit, vel quasi e maculis triangularibus, late connexis composita esse videtur; apex posticus vittæ externæ arcuatim supra anum productus, hoc arcu interdum a vitta disjuncto, una cum opposito lineolas vel lunulas duas transversas for-

mantibus (an hæ interdum in arcum communem confluunt?); hac vitta pone medium sæpe dentes duos sursum emittit, quæ sæpe cum vitta interna confluunt; apex anticus hujus vittæ circa basin abdominis arcuatim producitur; an umquam cum arcu opposito confluens?

Var. b. Vitta una vel altera, aut ambæ in maculas 2—4 abruptæ; arcus supra anum adest, vel forsitan rarius deest.

Var. c. Albedo vittæ internæ introrsum diffusa, unde vitta fusca valde angustata et postice sæpe inclusa evadit, utrinque plus minus sinuata, sæpe æqualis. Plerumque juniores.

Var. d. Vittæ plus minus deletæ, plerumque remanentibus rudimentis vittarum, quæ puncta plus minus crebra, libera, vel quasi maculas quasdam albidas fusco-reticulatas repræsentant. Femina, ovis distenta.

Mas in notis, in diagnosi allatis, facile a ♂ *L. hortensis* et *clathratæ* distingui potest.

Mense Majo—Julio in gramine et plantis pratorum ad Gothob. excipulo lecta. In Scan., *Sundevall;* ad Dovrefjell et Åreskutan Jemtlandiæ, nec non in Lapp., *Boheman*. In Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

7. **L. peltata** (Wider): *Femina* thorace longit $1\frac{1}{2}$ millim., saturatius, pedibusque pallidius ferrugineo-lutescentibus, immaculatis; abdomine crebre albido-guttulato; dorso in medio vitta fusca, utrinque lobata, vel e maculis 4—5 connexis formata, macula supraanali ovata, sinu albido antejacente profundiusculo; lateribus e guttulis albidis crebris pallescentibus, hac albedine per reticulationem circa guttulas plerumque longitrorsum infuscata, hac fuscedine posterius sæpe in arcus 2—3, oblique positos, transformata; ventre fusco-griseo, area media, albido-marginata, figuram peltæformem repræsentante.

Wider Mus. Senck. I, p. 256, T. XVII, f. 7. — Walck. Apt. II, p. 253.

Femina (in spiritu vini asservata) differt a *L. triangulari* (3) thoracis longit. tantum $1\frac{1}{2}$ mm., unicolore, nec linea

media fuscescente notato, ventre haud unicoloriter fusco, sed disco cinctura albida circumdato, hac cinctura mox pone organum genitale transversim recta, utrinque in arcum formata, qui anum versus cum arcu opposito confluit, unde exstat macula magna media peltæformis; hæc macula interdum lineola media, e guttulis albidis congestis formata signata. Aculei pedum defracti, quare comparatio speciei cum alteris non quoad numerum et situm eorum peragi potest. Verisimile mihi videtur notam hac in re eandem esse atque in *L. phrygiana* (4). Patellæ anticæ cum tibiis conjunctim longit. tantum $2\frac{1}{2}$—$2\frac{2}{3}$ millim., similiter atque in *L. hortensi* (5). Ab hac et a *L. pusilla* (6) dignoscitur thorace haud piceo sed pallido, colore abdominis laterali et ventrali maxima parte e guttulis albidis pallescente, nec nigro-fuscescente. Dentes laterales vittæ dorsalis abdominis ut in *L. triangulari* sæpe emarginati, at quam in illa minus acuti, unde etiam sinus albidi instrantes minus acuti videntur (?); macula ultima seu quarta, mox supra anum sita, in *L. triangulari* quasi geminata, magis irregularis, vel subquadrata, anterius angulata, ad latera emarginata, at in *L. peltata* est macula eadem potius subregulariter ovata. Vitta dorsalis in medio longitrorsum e guttulis albidis distinctioribus pallescens. Spatium inter maculam ultimam et anum aut totum albidum, aut hac albedine postice sinu acuto, et sæpe sinu altero in utroque latere fuscescentibus picta; in *L. triangulari* anus superne fusco-nigricans est, prope maculam memoratam et inter fuscedinem analem arcu magno transverso albido notatus. In utroque latere mamillarum plerumque puncta duo albida observantur. Patellæ anticæ longitudine $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{5}$ tibiarum. Oculi intermedii antici haud ut in *L. triangulari* tam arcte inter se approximati, vel intervallo eorum fere paullo majore quam diameter unius oculi (?); oculi iidem a margine supra os ne ad minimum longius quam ab oculis mediis posticis siti. Genitale similiter atque in *L. montana* (1) et *triangulari* valvulam corneam, postice apertam, repræsentat.

Ad Åreskutan Jemtlandiæ a *Boheman* inventa.

α. **Femora 6 posteriora superne aculeo haud ullo. (Femora etiam antica in specie cognita inermia — nota valde singularis, an semper constans (?) —).**

8. **L. marginata** (Wider): thorace nigricante seu fusco, margine summo luteo seu pallido, carinato-elevato; femoribus (etiam anticis) aculeo ne unico armatis.

Wider Mus. Senck. I, p. 253, Pl. 17, f. 5. — Koch XII, p. 118, T. 428, f. 1041—42. — *Ar. triangularis* Clerck p. 71, pl. 3, t. 2, f. 2 ♀. — *Lin. triang.* Walck. Apt. II, p. 140. — Westr. Enum. Aran. pag. 37.

Femina. Ab omnibus speciebus *Linyphiarum*, hactenus mihi cognitis, facillime distingui potest elevatione marginali thoracis, quæ tantum in nonnullis speciebus *Erigonarum* observatur. Thorax longit. vix 2 mm.; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim circiter 3³/₄ mm. Color thoracis fusco-nigricans, tantum margine elevato pallido-testaceo vel albido-flavicante. Pictura abdominis simillima eidem in *L. triangulari* (3). Oculi 4 intermedii in trapezium minus acutum dispositi; oculi 2 medii postici a lateralibus posticis saltem æqualiter atque inter se separati. Abdominis vitta dorsalis, utrinque sinuata, fusca seu nigra e maculis 4—5, inter se connexis, constare dici queat; macula 4:ta, supra anum sita, aut simplex, subcordata vel spathulata, plerumque per lineam minutam cum macula 3:tia connexa, aut geminata dicenda, vel per arcum seu puncta quædam, transversim posita persecta. Vitta eadem in utroque latere a vitta altera albida vel flavescenti-albida ramosa includitur, ramulis tribus brevioribus introrsum in sinus vittæ dorsalis intrantibus, tertio majore, ad maximam partem maculam 3:tiam hujus vittæ a macula 4:ta disjungente, interjacente inter horum ramulorum apices, inter se approximatos, lineola brevi fusca, quæ maculas ambas connectit et quasi manubriolum dinstinctum pro macula supraanali spathulata constituit. In latere externo vittæ albidæ, pone medium, ramuli præsertim duo distinctiores, longiores, ad abdominis latera nigra emittuntur; ipse apex vittæ, qui instar arcus maculam 4:tam vittæ dorsalis, supra anum sitam, lateraliter includit, aut simplex, aut den-

tem breviorem extrorsum emittens. Vitta dorsalis fusca interdum punctis nonnullis albidis adspersa. Abdominis latera nigra, basin versus linea vel arcu, longitudinaliter posito, albido vel flavo-albido signata, hoc interdum rudimentario. Venter fusco-nigricans, utrinque a linea albida seu flavo-albida inclusus, hac linea interdum in puncta interrupta. Pedes graciles, griseo-pallidi, immaculati, femoribus, etiam anticis, superne aculeo ne unico armatis; tibiis anterioribus aculeis circiter 10—12, præsertim utrinque sparsis, evidenter duplo longioribus quam diameter tibiarum; metatarsis aculeis 2—3 mox pone basin, unoque interdum mox ante medium sitis, infra medium nullo. Tibiæ anticæ circiter 6:plo longiores quam patellæ. Pili ordinarii adpressi pedum satis breves, ægrius observandi.

Mas. Thorax latius ovatus, colore brunneo-nigricante, margine luteo-albido minus alte at latius elevato; oculi medii postici inter se adhuc magis approximati, intervallo evidenter breviore quam inter illos et laterales. Mandibulæ ut in ♀ nigricantes, nitidæ, vix longiores quam efficit spatium, quod a tota serie oculorum anticorum occupatur, vel haud longitudinem articuli tarsalis antici, et vix $1/2$ longitudinis thoracis attingit. Palporum lamina ordinaria cum bulbo genitali et parte tibiali nigricant, parte femorali saltem extus et patellari tota pallido-testaceis; palpi fere ut in *L. montana* (1) constructi; pars tibialis parce nec tam dense pilosa, quare superne haud penicillo ornata esse dici queat. Pictura abdominis albida minus læta, vel quoad ramulos vittæ lateralis albidæ magis incompleta. Aculei in tibiis anterioribus paullo breviores videntur, ita ut illi haud duplam longitudinem diametri tibiarum attingant. Oculi medii antici in elevatione distinctissima, ultra clypeum prominente, locati.

In Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

SECTIO II.

Abdominis dorsum vario modo pictum: 1:o in paucis nigro-fuscum est, serie dorsali e maculis oppositis, sæpe introrsum latius aut angustius connexis, et dorsum

tunc angulis seu arcubus flavis vel luteo-albidis notatum, angulorum apicibus sæpe retrorsum curvatis et cum arcu succedente confluentibus, arcum nigrum includentibus: 2:o est abdominis dorsum in nonnullis pallidum vel luteo- seu rubicundo-brunneum, jam seriatim nigro-punctatum, jam maculis oppositis aut angulis transversalibus nigris notatum; saltem est pictura in dorsi postica parte plerumque in arcus transformata; instertitiis pallidis etiam angulos vel arcus formantibus, his sæpe anum versus ab angulis nigricantibus, apicibus per paria confluentibus inclusis: 3:o est abdominis dorsum in pluribus fuscum vel rufo-brunneum, secundum normam unicolor, rarius macula supraanali griseo-albida, post mortem plerumque evanescente notatum. Ocurrunt eodem colore varietates quædam, quæ ad species pictas hujus Sectionis pertinent.

§ Metatarsi vel omnes vel tantum 4 posteriores aculeis pluribus quam 1 (superne, infra basin situs), plerumque 3—6, aut inter basin et medium, aut inter basin et apicem, aut in vicinitate medii dispersis. (Nulla species cognitarum, præter *L. tenebricolam* (14), thoracis magnitudine infra $1^1/_2$ mm.).

† Femora 6 posteriora superne aculeo 1.

9. **L. thoracica** (Wider): *Femina* thorace luteo-pallido, margine maculaque vel lineola pone occiput nigris; palporum partibus omnibus (præter patellarem?) nigro-annulatis; abdomine pallido-lutescente, dorso, interdum punctis flavis adsperso, plerumque anterius punctis tribus, transverse seriatis, sæpe confluentibus, dein maculis vel angulis oppositis, posticeque arcubus transversis nigris; lateribus nigris, vitta undulata vel maculis, longitrorsum positis, luteo-pallidis seu flavis; ventre juxta anum macula flava vel citrina; pedibus testaceis nigro-annulatis, annulis femorum tribus.

Mas fronte lata, transversim recta, porrecta, regione infra oculos laterales rugulosa, pilis nonnullis longiusculis, ut in vertice, vestita; palporum articulo genitali magno, subtus setis 3 longissimis, spiraliter flexis; pedibus lon-

gis, anticis sæpe in senioribus 8:plo—9:plo longioribus quam thorax.

L. thoracica WIDER I, p. 261, t. 17, f. 10. — WALCK. Apt. II, p. 273.

Femina. Thorax long. 2 $^1/_2$, pedes antici 12—13 mm.; patellæ cum tibiis conjunctim 3 $^1/_2$—3 $^3/_4$ mm. Oculi intermedii antici, ut in plerisque aliis, ab ore et oculis intermediis posticis æqualiter distant. Margo supra os nigricans. Palporum pars femoralis et tibialis apice, tarsalis medio fusco- vel nigro-annulatæ. Macula occipitalis plerumque retrorsum in lineolam producta. Abdomen longius pubescens, dorso pallido vel luteo, antice punctis tribus, in seriem transversam positis, inter se sæpe connexis; dein insequuntur anguli vel maculæ 1—2 oppositæ, tum arcus 3—4 geminati, vel apicibus utrinque confluentes, nigri, quoque arcu gemino arcum pallidum vel luteum includente; latera abdominis nigra, nigrore per vittam undulatam pallidam vel flavam, e basi excurrentem persecto; hæc vitta sæpe in maculas abrupta; nigror superne sæpe flavo-punctatus; venter aut pallidus aut pallido-luteo-punctatus, juxta anum macula citrina notatus, hac fere semper remanente, in vivis quasi e punctis tribus confluentibus formata; hæc macula ut nota satis characteristica est consideranda. Abdomen solito longius pilosum. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, pallide rufo-brunnei, fere semper saturate fusco- seu nigro-annulati; annuli femorum tres, quorum 1 medio, 1 in basi et apice; toti pedes distinctius pilosi; femora omnia subtus pilis longioribus rarioribus induta; femora antica superne et in latere adverso aculeis simul 2 vel 3, reliqua superne semper 1; tibiæ aculeis 8—10, duplo longioribus quam diameter articuli; metatarsi omnes aculeis 5--6, inter basin et apicem dispersis, horum saltem 1 infra medium sito. Patellæ anticæ long. $^1/_5$—$^1/_4$ tibiarum.

Mas. Thorax margine magis orbiculatus; pars cephalica elevata, porrecta, unde clypeus valde impressus evadit; frons transverse recta, nec centro ultra locum oculorum 4 intermediorum elevatiore; altitudo clypei major quam in ♀, vel longitudini mandibularum fere æqualis; duplo major

quam spatium inter oculos duos intermedios anticos et posticos. Frons et occiput pilis longis, antrorsum flexis vestita; genarum regulositas et pilositas valde characteristicæ. Pedes præsertim anteriores obsoletius fusco-annulati; antici valde elongati, in exemplis senioribus longitudine usque 24 mm., patellæ cum tibiis conjunctim 8 mm. attingentes; femora ejusdem ordinis thorace duplo longiora; tibiæ circiter 6:plo longiores quam patellæ. Palporum clava maxima, intus setis duabus longissimis, in annulum spiralem flexis, instructa; pars patellaris superne in apice seta longissima; pars tibialis apice conice producta, tota superne sat longe pubescens.

Juniores pictura abdominis sæpius albida quam flava, plerumque e punctis crebris albidis composita; ♂ structura capitis ut in ♀ adulta; palporum clava valde tumida, dimidiato-oviformis, pellucida.

In angulis muscosis montium et sæpium lapidearum ad Gothob. capta; juniores sæpe sub ipsis lapidibus in iisdem locis ac *L. domestica* inventi. In Ostrog., *v. Post.* Rete densum, cujus lateri inferiori insidens, vel sub margine muscorum latitans, animalculum prædam exspectat.

10. **L. bucculenta** (Clerck): thorace rufo-testaceo, linea media evidentiore marginibusque plus minus distincte nigris; abdomine rubicundo vel albicante, dorso seriebus tribus e punctis nigris, aut liberis aut subconnexis, lateribusque inferius lineis quibusdam obliquis ejusdem coloris; pedibus testaceis fusco-annulatis, posticis contra normam longioribus quam antici; mas metatarsis anticis depressis, subfusiformibus, subtus ut in secundis aculeis 6—7, in vicinitate medii collocatis.

Ar. bucculentus Clerck p. 63, pl. 4, t. 1. — *Ar. lineata* Linn. Syst. N. Ed. 10, I, p. 620; F. Sv. Ed. 2, p. 487 (?); *Ar. trilineata* S. N. Ed. 12, I, p. 1031. — *Lin. bucculenta* Sund. A:o 1831, p. 109. — *Theridion reticulatum* Hahn die Ar. II, d. 39, T. 54, f. 124. — *Bolyphantes trilineatus* Koch VIII, p. 67, T. 272, f. 641. — *Lin. reticulata* Walck. Apt. II, p. 260.

Thorax longit. 2 $^{1}/_{2}$—2 $^{3}/_{4}$ mm., pedes postici circiter 10, antici 9 mm.; patellæ posticæ longit. $^{1}/_{4}$, anticæ $^{1}/_{3}$ tibiarum. Femora antica superne aculeis 1--2, reliqua 1; tibiæ anteriores subtus aculeis 4 longiusculis, 2 et 2 fere per paria dispositis, et præterea 2 apicalibus, tenuioribus; in tibiis secundis maris præterea setis aliquot sat longis, inter aculeos sparsis; ♀ metatarsis anterioribus subtus, basin versus, aculeis 2 longioribus, in ♂ præterea circiter 4—5, vel simul 6—7, plerisque in latere postico collocatis; superne in iisdem tibiis non nisi setulæ seu pili nonnulli verticales adsunt; tibiæ posteriores aculeis 8—9, metatarsi 6—8, inter basin et apicem dispersis; tibiæ anticæ in ♀ paullo crassiores quam posticæ. Oculi intermedii antici inter se parum magis approximati quam postici, ita ut illi una cum his aream obtuse trapezoideam vel subquadratam occupare videantur; in ♀ oculi antici a margine supra os non tam evidenter longius quam a posticis distant. Maris palporum pars femoralis longit. $^{2}/_{3}$—$^{3}/_{4}$ femorum pedum anticorum; pars patellaris forma et longitudine patellarum pedum anticorum; pars tibialis cylindrica, paullo brevior quam illa, pilis pluribus longis et seta 1, sub basi sita, longissima; pars patellaris seta ejusmodi, adhuc longiore, supra summum apicem sita; lamina ordinaria pyriformis, duplo longior quam pedum patellæ, basi latiore quam femora; laminæ margo externus prope basin semel excisus, vel potius tuberculis duobus, superiore paullo majore quam inferius instructus; ipse bulbus genitalis calcari vel potius lamina arcuata magna præditus, hac apice attenuato sursum, apice latiore deorsum spectante, hic quasi biuncinata.

Præsertim fine æstatis adulti frequentius ocurrunt in plantis altioribus nemoralibus et ad radices earum et graminum, quæ ad declivitates infimas montium crescunt, ad Gothob. In Upl. a *Clerck* et *Thorell*, in Scan. a *Sundevall* capta; in Ostrog., *v. Post.*

11. **L. frenata** (Wider): *Femina* thorace subtus piceo-nigro, supra pallido, linea intramarginali nigra; abdomine po-

stice obtuso, supra anum subverticaliter alte adscendente vel abrupte declivi, guttulis præsertim anterius numerosis albidis, pone medium utrinque punctis 2—3 subtriangularibus, lineolis nonnullis supra anum, deinceps brevioribus, aut distinctis aut in maculam confluentibus, lateribusque lineis difformibus notatis, fuscis seu nigris; pedibus pallidis, concoloribus; femoribus anticis superne in medio aculeis 2—3, reliquis ante medium 1, tibiis aculeis 8—10, metatarsisque 5, his et intra et infra medium dispersis; serie oculorum 4 anticorum evidenter sursum recurvata, intermediis anticis ab ore et ab intermediis posticis æque longe distantibus, altitudine faciali parum majore quam $1/2$ longitudinis mandibularum; spatio, ab oculis 4 intermediis occupato, paullo convexo.

Mas capite elevato, sat dense longeque piloso, centro areæ oculorum 4 intermediorum convexo-elevato, horum oculorum 2 anticis ab ore vix nisi differentia capillari longius quam a posticis distantibus, serieque oculorum 4 anticorum recurvata; oculis 2 intermediis posticis a lateralibus posticis paullo brevius quam inter se separatis.

L. frenata WIDER Mus. Senck. I, p. 269, t. 18, f. 4. — *Theridion pallidum* KOCH III, p. 64, T. 94, f. 216. — *L. frenata* WALCK. Apt. II, p. 279.

Femina thorace longit. 2 mm.; linea marginalis nigra non plane ad summum marginem extensa, saltem semper in ♂. Oculi intermedii ab ore et a posticis æqualiter distant; omnibus iride nigra cinctis. Frons aliquantulum convexa. Abdominis structura a congenerum valde aberrat; dorsum scilicet pone basin alte elevatum, dein ultra medium sensim adscendens, tum arcuatum et cito ad anum abrupte declive; latera subcompressiuscula; abdomen, a latere inspectum, subtrigonum, vel late obovatum; color pallidus vel pallide lutescens, interdum griseus; guttulæ dorsales albidæ per venam mediam longitudinalem, sub epidermide translucentem, e basi excurrentem (cordem), in dua agmina separatæ; latera juxta puncta subtriangularia et lineolas supraanales nigras guttulis nonnullis flavis sæpe notantur; inferius latera

signantur linea arcuata, e basi excurrente, nigra, cujus apex singulus cum lineola alia inferiore obliqua connectitur, his aliam minorem liberam includentibus; hæc signatura, fugaciter inspecta, litteræ π græcæ haud dissimilis (?); anus utrinque lineolis aliquot plus minus distinctis et subconnexis notatus, nigris. Pedes tenuius pilosi, proportione 1, 2, 4, 3, respectu thoracis satis longi, patellis cum tibiis anticis conjunctim longit. 4 1/2 mm., femoribus ejusdem ordinis 1/2—3/4 longioribus quam thorax, tibiis saltem 5:plo longioribus quam patellæ, femoribus, posticis exceptis, subtus quam supra longius pilosis.

Mas thoracis linea intramarginali sæpe languida; caput altius elevato-convexum (quare oculi intermedii postici inter se paullo magis distant, ita ut intervallum non ut in ♀ brevius sit quam distantia longitudinalis inter oculos intermedios anticos et posticos, simulque sunt intermedii postici a lateralibus posticis brevius quam inter se separati); frons convexa, nec plana ut in *L. thoracica*, capite subsimili prædita, pilis robustis crebris, antrorsum flexis induta. Palporum pars patellaris in apice spinula vel tuberculo acuto aucta, hujus apice seta robusta, recta, extus (oblique) acuminata, et pars tibialis seta flexuosa, tenuiore at longiore instructis; lamina ordinaria inæqualis, vel basin versus angustior, in latere externo ad 2/3 paullo emarginata, apice inæqualiter truncata, h. e. membrum illud non ut in multis aliis nec ovatum nec pyriforme, neque subcordatum videtur. Pedes antici longitudine circiter 16 mm. attingunt; femora fere duplo longiora quam thorax; patellæ anticæ ut in ♀ longit. 1/5—1/6 tibiarum. Altitudo fascialis non insigniter brevior quam mandibulæ.

Exempla sæpissime occurrunt, quæ abdomen albidum habent, an id propter guttulas albidas diffuse confluentes?, et sæpe est pictura nigra valde obsoleta vel fere nulla.

Uterque sexus præsertim fine æstatis frequentius occurrit ad radices plantarum altiorum, in locis umbrosis; sæpe excipulo capta prope Gothob., præsertim ad Ramberget in insula Hisingen. Upl., *Thorell.*

†† Femora 6 posteriora superne aculeo haud ullo.

12. **L. crypticola** (WALCK.?): *Femina* thorace pallido, linea media, antice furcata, nigricante, in siccatis sæpe obsoleta; abdomine pallido vel griseo, dorso utrinque serie e maculis 4—5, aut simplicibus aut geminatis, et supra anum arcubus transversis, nigris, lateribusque aut vitta continua sinuata, aut serie e maculis majoribus ejusdem coloris notatis; maculis dorsalibus introrsum cum oppositis, et extrorsum cum vitta laterali sinuata sive maculari per striolas obliquas connexis; pedibus pallido-testaceis, fusco-annulatis; femoribus 6 posterioribus aculeo haud ullo, tibiis, etiam posterioribus, aculeis 5—6, metatarsisque omnibus aculeis 6—7, intra et ultra medium dispersis armatis.

Mas: palporum parte patellari supra apicem seta gracili, basi erecta, dein arcuatim nutante, longiuscula; ipsa parte subglobosa, parte tibiali inæquali, ambabus conjunctim haud longioribus quam patellæ pedum anticorum; lamina ordinaria breviter ovata, suborbiculata; pedibus obsolete fusco-annulatis.

Ar. crypticola WALCK. Fn. par. II, p. 207?; *Theridion id.* ID. Tabl. d. Ar. p. 75, Pl. 8, f. 75 et 76 (?). — *L. nebulosa* SUND. A:o 1829, p. 218, var. a. — *Lin. crypticola* WALCK. Apt. II, p. 275?, (excl. syn. *Ar. cellulani* CLERCK). — *L. furcula* KOCH XII, p. 116, T. 422, f. 1040, ♀ (?). — *L. circumflexa* ID. ibidem p. 128, T. 426, f. 1050 (?).

Thorax longit. 2, pedes antici 11—13, tibiæ et patellæ conjunctim 4 mm., hæ longitudine $^1/_5$, vix $^1/_4$ illarum attingunt. Speciei insequenti structura similis. Ab hac distinguitur: colore et pictura thoracis et abdominis: numero aculeorum in omnibus metatarsis ut et in tibiis posticis. Palporum pars femoralis et tibialis in ♀ interdum annulo fusco, sæpius obsoleto, saltem in exemplis siccatis. Abdominis maculæ dorsales seriei intimæ interdum geminatæ vel quasi e lineolis duabus confluentibus compositæ, sæpe in maculas subquadratas sive rhombicas, vel etiam ovatas transformatæ; eædem per lineolam subtilem, versus ipsum

medium dorsi oblique ductam, una cum macula opposita angulum formantem connectuntur; tum per lineolam alteram extrorsum cum vitta sinuata sive maculari laterum connectuntur. Inferius, versus ventrem, series tertia e maculis tribus, plerumque confluentibus, adest. Maculæ dorsales una cum lineolis, illas connectentibus, sæpius in ♂ arcus transversos, præsertim posterius, formant; arcus posteriores interdum quasi geminati et arcum pallidum includentes, omnino ut i *L. thoracica* (9). Venter pone genitale plerumque annulo fusco notatus, vel, si mavis, fusco-coloratus, linea media pallida notatus. Annuli pedum sat languidi, tamen in vivis sat distincti; annuli femorum duo, quorum unus versus medium et unus pone hoc locatus; in summa basi haud ut in *L. domestica* (13) annulus ullus distinctus adest.

Habitat semper in domibus; numquam extra domos a me visa. Primo vere sat frequenter occurrit in societate cum *L. domestica;* æstate tota passim visa. In Scan. a *Sundevall*, in Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* inventa.

Obs. Synonyma quædam, supra allata, valde sunt dubia, excepto fortasse *L. circumflexæ* KOCH, sed linea media thoracis in vivis *L. crypticolæ* ut in *L. furcula*, l. c., antice furcata, cujus lineæ forma etiam in *L. triangulari* (3), nec in ulla alia *Linyphiarum*, quantum scio, adest. Descriptio, a Dom. WALCKENAER pro *L. crypticola* data, valde consentanea, si defectum aculeorum pedum exipiamus, qui aculei in exemplis, ab illo lustratis, in spiritu vini asservatis, certissime derasi erant, præsertim quum horum semper unus vel alter in omnibus speciebus *Linyphiarum* constanter adsit (nota pro hoc genere *Therididarum* quam maximi momenti). *L. nebulosa var. γ. Sund.* ad *L. domesticam* (13) est referenda.

13. **L. domestica** (WIDER): thorace, longit. $1^{3}/_{4}$—2 mm. fusco, unicolore; abdomine fusco-nigricante, dorso luteobrunneo, plerumque punctis citrinis adsperso, anterius maculis oppositis, posterius arcubus transversis nigris notato; maculis anticis, etiam sæpe in ♂, confluentibus et tunc toto dorso serie ex arcubus ejusmodi notato; lateribus inferne linea, e basi abdominis exeunte, supra anum arcuatim producta, citrina vel lutescente signatis;

ventre toto fusco-nigricante, pedibus rufo-brunneis, distincte fusco-annulatis, metatarsis omnibus aculeis 3, mox pone basin collocatis, infra medium nullo aculeo; tibiis posterioribus aculeis tantum 3 (an interdum 4), quorum 2 superne, 1 (2) subtus sito. *Maris* palporum parte patellari seta robusta subrecta, apice obtusa (in specimine unico seta gracili vel pilo, antrorsum flexo; an species diversa?).

Var. a: abdominis dorsum uberius nigrum, disco in fundo brunneo, punctis flavis vel citrinis crebre adsperso, vel fere obtecto, maculas oppositas vel arcus transversos excipiente, laterum linea etiam flava vel citrina.

Var. b: abdominis dorsum, cum extremitate basali, latius rufo-brunneum, punctis citrinis aut adspersum aut plerumque illis carens, pictura nigra ut in *var. a*, macula una vel altera antica nigra deleta.

Var. c: totum corpus pallidius, thorax tamen saturatior, abdominis pictura nigra valde obsoleta vel fere nulla. Plerumque *mas*.

L. domestica WIDER I, p. 265, t. 18, f. 1. — WALCK. Apt. II, p. 255 *var. a?* — *L. nebulosa var.* γ. SUND. A:o 1829, p. 219.

Hæc species, quæ sæpe in eodem loco domuum ac *L. crypticola* (12) capitur, etiam extra domos frequenter occurrit, ex. gr. sub lapidibus, in truncis muscosis arborum et sub fungis, cet. *Femina*: thorax longit. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$, pedes antici 8—9 mm.; patellæ una cum tibiis 3 mm. non excedunt; annulli fusci palporum ut in *L. crypticola* obsoleti. Abdominis linea lateralis flava angusta, plerumque ultra medium tantum extensa, mox autem iterum continuare videtur, arcuatim supra anum producta. Venter totus fusconigricans; epigyne in tubum crassum producta, saltem in siccatis haud longior quam circiter patellæ pedum. Pedes proportione 1, 2, 4, 3, secundi quam quarti perparum longiores, femora et tibiæ evidenter, tarsi obsoletius fusco-annulati; annuli femorum 1 basalis, medius et apicalis; femora antica in latere antico aculeo 1, reliqua nullo; tibiæ poste-

riores aculeis tantum 3, quorum 1 ante et 1 pone medium superne, unoque medium versus subtus locatus (an interdum 2 subtus; saltem numquam aculeos 5—6 ut in *L. crypticola* vidi); omnes metatarsi aculeis 3, inter basin et medium dispersis, ultra medium haud ullo aculeo. *Mas* a ♂ *L. crypticolæ* secundum exempla numerosissima, quotannis capta, differt seta in palporum articulo patellari æque robusta atque aculei pedum, tota recta vel ante apicem leviter flexa, apice obtusa, haud acuminata. Specimen unicum, seta eadem graciliore, piliformi, antrorsum flexa ut in *L. crypticola*, certe haud nisi ut aberratio singularis est considerandum (?).

Tota æstate usque ad mensem Octobr.—Novembr. in domibus capta. Extra domos, ut antea memoratur, etiam frequenter occurrit; semel sub fungis plures associatas, forsitan ad nuptias celebrandas vidi. Ova in angulo quodam, in sacculo albo inclusa, deponuntur fine æstatis, et vere insequente excluduntur. Ad Gothob. et in hujus domibus frequens. In Scan., *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

14. **L. tenebricola** (Wider): thorace long. 1 mm., saturatius pedibusque pallidius brunneo-testaceis; abdominis dorso arcubus seu angulis transversis 5—6 luteo-albidis, anterioribus medio abruptis, in ♂ angustioribus, arcu ultimo cum linea ejusdem coloris, in lateribus sita, plerumque connexo; ♀ arcubus dorsalibus latioribus, abdominis lateribus linea longitudinali sæpe medio abrupta, restantibus macula vel lineola antica et postica; pedibus immaculatis, metatarsis superne pone basin aculeo verticali et alio in utroque latere, mox inferius sitis, infra medium aculeo haud ullo; tibiis posterioribus aculeis tantum tribus. *Maris* palporum parte patellari seta verticali subrecta, acuminata, et parte tibiali seta 1—2 gracilioribus.

Wider Mus. Senck. p. 267, t. 18, f. 2? — Walck. Apt. II, p. 257, 11? (difficile dijudicandum est, an *L. tenebricola* Wider hæc vel ad *L. pygmæam* (20) referenda sit nec ne)

Dom. *T. Thorell* sub nomine *L. pygmæa* SUND. araneolam describendam ad me misit, at *L. pygmæa* (20) alia est species, quam in collectione Dom. *Sundevallii*, sub hoc nomine depositam, vidi. Sub nomine *arcuata* autem *Thorell* in *Rec. critica*, p. 108, *L. pygmæam* veram descripsit, ideoque sunt ambæ species ab illo inter se confusæ. A *L. domestica* (13) et *crypticola* (12) mox distinguitur pedibus immaculatis et magnitudine fere dimidio minore. A *L. pygmæa* dignoscitur thoracis colore magis læte testaceo, metatarsis pone basin non solum aculeo verticali supero, sed, bene inspectis, mox inferius aculeo altero in utroque latere; palpis maris non luridis, cum clava infuscatis, sed totis testaceis, præter clavam, quæ saturatius brunneo-testacea est; parte tibiali seta multo evidentiore et robustiore vestita. Aculei in tibiis et in apice patellarum pedum ut in *L. pygmæa* satis robusti et longi, quam diameter articulorum 3:plo longiores. Clypeus sat altus, præsertim in ♂, altitudine $^2/_3$—$^3/_4$ longitudinis mandibularum, qua in nota per se ♂ a ♂ *L. decoloris* (23) differt, cujus mandibulæ ultra duplo longiores quam clypeus humilior sunt. A *L. indice* (22) differt palporum parte patellari seta apicali graciliore et præterea longiore quam pedum patellæ anticæ, metatarsisque anticis subtus nullis pilis perpendicularibus vestitis.

Ad Upsaliam, *T. Thorell.*

15. **L. alticeps** (SUND.): *Femina* testaceo-rufescens, thorace plerumque linea media marginalique nigris, capite subporrecto, clypeo profundius impresso, fere duplo altiore quam efficit longitudo spatii frontalis (seu inter oculos 4 intermedios); serie oculorum 4 anticorum subrecta; pedibus immaculatis, metatarsis aculeis 4—5, et intra et infra medium sparsis, horum saltem 1 mox infra medium sito, femoribus anticis aculeo 1, reliquis nullo, tibiis anterioribus aculeis 7—8, superioribus æque robustis ac laterales et inferiores; abdomine plerumque punctis albidis adsperso, in *var. a.* linea media et seriebus latera-

libus binis, e punctis vel lineolis formatis, nigris, in *var. b* abdomine subunicolore.

Mas senior: capite conico-elevato, clypeo altissimo, vel oculis intermediis anticis ab ore ultra 3:plo longius quam a posticis distantibus, multo altius quam laterales antici sitis; fronte vel centro areæ oculorum acuminato-elevato; tota altitudine capitis, in spatio faciali, longiore quam mandibulæ.

Mas junior: clypeus cum fronte (seu tota altitudo facialis) perparum longior quam $^1/_3$ thoracis, distincte brevior vel saltem haud major quam efficit longitudo mandibularum; caput, ab antice visum, oculos intermedios posticos non ægre repræsentat, vel centrum areæ oculorum vix elevatum; seta in palporum parte tibiali non ut in *var. a.* acuminata sed apice truncata, recta. An species diversa?

SUND. A:o 1882, p. 261. — *Var. a* = *Bolyphantes alpestris* KOCH VIII, p. 69, T. 272, f. 642. — *Var. b* = *Bolyph. stramineus* ibidem f. 643, p. 71? (conf. *L. indicem* (22)).

Femina senior: thoracis longitudine fere 2, pedum anticorum 8—9 mm. Caput, a latere inspectum, distincte et solito longius elevatum, porrectum, unde clypeus profundius impressus evadit. Mandibulæ paullo longiores quam efficit altitudo facialis. Abdomen plerumque quasi reticulatum, vel guttulis albidis in dorso præsertim anterius notatum; latera versus ventrem in utraque varietate striolis nonnullis obliquis griseis vel nigricantibus; dorsi linea media et binæ laterales e punctis vel lineolis seriatis plerumque in *var. b.* obsoletæ, an sæpius in junioribus et maribus evidentes? — Pedes prop. 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longit. $^1/_5$ tibarum; hi ambo articuli conjunctim longitudinem 3 mm. haud superant; toti pedes distincte pilosi; femora omnia subtus pilis longioribus, patentibus, paucis vestita; femora antica sat longe pone medium aculeo solitario, femora reliqua inermia; tibiæ aculeis 6—8, metatarsi 4—5. Genitale instar tuberculi brevis se repræsentat, epigyne nulla nisi breviter porrecta præditum.

Mas senior. Capitis altitudo dimidiam longitudinem totius thoracis superat. Oculi intermedii antici, ab antice contemplati, mox infra summam frontem siti; intermedii postici in eodem statu haud observandi; oculi duo laterales longe inferius siti; horum antici ab interm. anticis duplo, saltem dimidio longius quam hi inter se distant, et eodem modo oculi 4 postici separati sunt; altitudo capitalis (vel clypeus una cum fronte) evidenter longior quam mandibulæ, saltem æqualiter longa; regio ante et circa oculos pilis brevibus validis parce vestita. Palporum pars patellaris acuminata, apice seta valida, sensim acuminata, fere bis flexa, duplo longiore quam ipse articulus instructa; seta, sub lente acuta inspecta, quasi subtilissime denticulata; lamina ordinaria cum membro genitali minus elongata, conjunctim globulum subsphæricum formantia. Thorax ut in ♀ plerumque linea media summoque margine nigris. Abdominis dorsum, ut in diagnosi pro *var. a.* ♀ memoratum est, pictum, pictura interdum obsoletior.

Mas junior, qui instrumenta genitalia, præter setam in parte patellari, æque explicata et constructa, sed capitis formam aliam habet atque in mare seniore, non nisi hæsitatione huc retuli; quare hæc araneola examinationi ulteriori omni jure est sujicienda.

Præsertim versus finem æstatis seniores ad radices plantarum in locis humidis vel umbrosis, interdum in ipsis plantis altioribus, nemoralibus, frequenter occurrunt ad Gothob. In Upl. *Sundevall, Boheman* et *Thorell*; in Blek. et Dovrefjell, *Boheman*; in Scan. *Sundevall*; in Ostrog., *v. Post.*

16. **L. pallescens**: *Femina* thorace pedibusque unicoloribus, brunneo-testaceis, in junioribus pallido-virentibus; metatarsis anterioribus in vicinitate medii aculei 3 sparsis, infra medium nullo; femoribus neque anticis neque succedentibus aculeo ullo; (tibiis vel metatarsis anticis haud brevioribus quam postici, sed contra longioribus quam hi); abdomine aut pallidius aut saturatius luteo-fusco; illo aut concolore aut serie laterali e maculis 2—3 ni-

gris, et sæpe supra anum macula griseo-albida notato; appendice sexuali, ex apertura porrecta, valde elongata, ultra medium ventris extensa, quam patellæ pedum saltem duplo longiore, vel æque longa ac dimidium tibiæ anticæ.

Mas. Thorace pedibusque plerumque saturatius rufo-testaceis, vel illo rufo-fusco; abdomine fusco, plerumque lineolis lateralibus quibusdam obliquis fuscioribus notato; oculis intermediis anticis ab ore circiter $^2/_3$ longius quam a posticis distantibus; palporum parte patellari minuta, globosa, parte tibiali illa duplo longiore, simul sumtis patellas pedum nonnihil superantibus, hac (tibiali) basi extus spina bi- vel trisetifera; lamina ordinaria breviter ovata, dimidio latiore quam diameter femorum pedum anticorum, et æque longa ac patellæ anticæ; membro genitali lamina arcuata rufo-brunnea, subdiaphana, et exterius calcari ejusmodi setaque nigra arcuata instructo; his instrumentis melius in siccatis discernendis.

WESTR. Enum. Ar. p. 87.

Femina. Thorax $1^2/_3$, pedes antici 7—8 mm.; oculi intermedii antici ab ore paullo longius quam ab oculis intermediis posticis distant, una cum fronte paullo tantum eminentes, ita ut clypeus minus evidenter impressus videatur; quæ notæ, ut et defectus aculei in femoribus primis eam a *L. alticipite* (15) mox distinguunt. Thorax et pedes in feminis junioribus, vel nuper perfecte explicatis, pallidi, languide viridi-tincti, subdiaphani; in senioribus thorax luteo-rufescens; caput saturatius coloratum; pedes testacei. Abdomen plus minus saturate luteo-rufescens, vel pallidum, circa mamillas plerumque fuscedine pictum, fuscedine interdum ut puncta nigricantia se repræsentante; quædam exempla macula supra anum albidescente notata; latera abdominis aut eodem colore ac dorsi, aut maculis vel lineolis, una ante, una in medio, unaque posterius sita, nigris notata. Vagina sexualis extus sensim incrassata, saltem in mortuis subclavata, a latere inspecta subtus pilosula. Femora neque antica neque insequentia aculeo ullo instructa, quod bene est observandum.

Pedum anteriorum patellæ apice aculeo 1, tibiisque 5—7 quoquoversus dispersis, saltem duplo longioribus quam diameter ipsius articuli; aculeus verticalis in apice patellæ, ante et pone medium tibiæ pedum anteriorum non ut in *L. rufa* (17) tam graciles, piliformes, sed fere æque robusti ac reliqui aculei; numerus aculeorum in metatarsis cum eodem atque in *L. domestica* (13) satis congruit, at aculei non solum ante sed etiam in ipso medio distributi sunt; metatarsi posteriores sæpe mox infra medium aculeo quarto instructi; in ipso apice nullus aculeus detegi potest. Pedes toti, etiam femora subtus, pilis ordinariis decumbentibus, evidentissimis vestiti. A *L. rufa*, cui in multis satis similis est, mox distinguitur tibiis vel metatarsis posticis non contra normam longioribus quam antici, vaginaque sexuali multo longiore.

Mas. Pedes saturatius rufo-testacei. Thorax rufo-brunneus. Abdomen fuscum. Clypeus similiter atque in ♀ haud evidenter impressus, circiter $^2/_3$ altior quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis 4 intermediis occupatur. Mandibulæ tenuiores quam in ♀, vix crassitiem femorum anticorum attingentes, vix ultra dimidio longiores quam clypeus. Macula albida supra anum ut in ♀ adest, in siccatis et forsitan in variantibus vivis obsoleta.

Mense Julio-Augusto in arbustis et plantis altioribus nemoralibus et umbrosis, in insula Hisingen et ad vicum Surtene, prope Gothob., excipulo sat copiose capta. Ad Qvickjock Lapponiæ mares duo a *Boheman* capti. In Upl., *Thorell.*

17. **L. rufa** (Wider?): *Femina* thorace pedibusque unicoloribus, aut saturatius aut pallidius brunneo-testaceis; pedum anticorum patellis in apice, tibiisque ante et pone medium superne seta vel pilo verticali; his articulis subtus in utroque latere aculeis duobus gracilibus, fere per paria dispositis, longitudine diametrum articuli perparum superantibus, metatarsis inter basin et medium subtus aculeis duobus; femoribus nec anticis neque reliquis aculeis ullis; abdomine fusco, macula supra anum oblonga

albida, post mortem evanescente notato; tibiis et metatarsis posticis longioribus quam antici. Epigyne sat brevis.

Mas palporum parte patellari long. $^{2}/_{3}$ patellarum pedum anticorum, parte tibiali perparum longiore quam illa, extus dilatata, utraque nullis setis solito longioribus vestita; lamina ordinaria breviter ovata, vix longiore quam patellæ anticæ, in basi introrsum tuberculo robusto instructa, hoc apice setis robustis nigris 6—7, non longioribus quam tuberculum, quasi extus incrassatis, apicibus porrectis nec patentibus, sæpe, sub lente minus acuta et fugaciter contemplatis, in vivis stilum obtusum assimilantibus.

Theridion rufum Wider, p. 223, pl. 15; f. 8? — *Argus rufus* Walck. Apt. II, p. 348. 5?.

Femina. Thorax, sub lente acutissima inspectus, subtilissime coriaceus, longit. $1^{3}/_{4}$—2, pedes antici 7—8 mm. Oculi intermedii antici ab ore perparum longius quam ab oculis intermediis posticis distant, vel æque longe atque efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur; oculi intermedii antici parum eminent, unde frons mox infra eos minus quam in multis aliis speciebus impressa evadit. Mandibulæ subrobustæ dicendæ, at nihilo minus vix crassiores sunt quam femora antica, quæ satis incrassata sunt. Pedes proportione 4, 1, 2, 3, ut in genere *Erigone*, ad quod genus *L. rufa* et insequens transitum præbent non solum respectu proportionis pedum sed etiam respectu defectus picturæ abdominis, et differunt fere unice pedum armatura aculeorum; patellæ posticæ minus evidenter quam anticæ $^{1}/_{4}$ longitudinis tibiarum attingunt, proinde etiam tibiæ eædem paullo longiores quam hæ videntur; tibiæ anticæ minus evidenter quam in *L. comata* (18) crassiores sunt quam posticæ; tibiæ ut et metatarsi posteriores aculeis et superne et subtus, inter basin et apicem dispersis instructa, ut in plerisque aliis speciebus; tibiæ anteriores, præter aculeos duos, et ante et pone medium subtus locatos, hic utrinque aculeo 1, vel totæ tibiæ aculeis simul 6 instructæ; pe-

dum pili vel setæ ordinariæ decumbentes evidentissimæ; setulæ sub femoribus satis crebræ, haud ut in multis speciebus numerandæ, æqualiter longæ, excepta una vel duabus basalibus; illæ breviores quam diameter femorum. Thorax subtus uti supra fusco-brunneus. Epigyne paullo eminens, a latere visa uncum subreflexum repræsentans.

Mas. Oculi intermedii antici evidenter longius ab ore quam ab oculis intermediis posticis distant. Mandibulæ paullo tenuiores, crassitiem femorum anticorum non attingentes, quæ differentia inter utrumque sexum cum pluribus speciebus est communis; oculi antici in eminentia communi distinctiore, prominente siti, vel clypeus satis evidenter impressus. Tibiæ posticæ et præsertim metatarsi evidenter longiores quam iidem articuli pedum anticorum. De cetero ut in diagnosi memoratur.

Mense Augusto ad prædium Gamlestaden et ad Jacobsdal, prope Gothob., inter plantas altiores nemorum et ad fossas crescentes, plura exempla capta. In Upl. *Thorell.*

18 **L. comata** (Wider): *Femina* thorace glabro pedibusque unicoloribus, brunneo-testaceis; pedum anteriorum patellis supra apicem seta erecta, tibiis superne 2—3 ejusmodi, his articulis subtus utrinque setis robustioribus vel aculeis gracilibus 3—4, fere per paria dispositis, diametrum tibiarum parum vel haud evidenter superantibus; metatarsis anterioribus neque supra, neque subtus aculeo ullo, superne tantum pilo verticali medio, sat distincto; femoribus anticis exterius aculeis 1—2 brevibus; abdomine fusco unicolore; epigyne brevi, tantum instar tuberculi brevis se repræsentante; tibiis et metatarsis posticis longioribus quam iidem articuli pedum anticorum.

Mas capite pilis erectis, æque longis ac patellæ pedum vestito; palporum parte patellari long. $1/2$ patellarum pedum anticorum, supra apicem seta longiuscula instructa, parte tibiali paullo longiore quam illa, subcylindrica, in basi extus tuberculo vel plica parum eminente, hac plica pilis robustis 10—12, subæqualiter longis, in seriem fere

dispositis vestita; lamella ordinaria tuberculo supra basin inevidentiore, nudo.

Theridion comatum WIDER p. 225, pl. 15, f. 4 (?) — *Argus comatus* WALCK. Apt. II, p. 353 (?).

Femina. Thorax, sub lente acuta inspectus, non nisi glaber, long. 1—1 ½, pedes antici 4 ½ —5 mm. Oculi intermedii antici evidenter minores quam laterales antici, ut in *L. rufa* (17) dispositi. Clypeus ut in illa haud impressus. Mandibulæ, et ab antice et a latere inspectæ, non crassiores videntur quam femora antica, quæ uti toti pedes magis robusta sunt; his proportione 4, 1, 2, 3. Patellæ posticæ ¼, anticæ parum, immo vix breviores quam ⅓ tibiarum; tibiæ anticæ paullo crassiores quam posticæ, omnes summa basi in vivis subpellucida; tibiæ posticæ aculeis 5—7, supra et subtus dispersis, metatarsisque aculeis 2—3, circa medium dispersis; aculeis in his tibiis evidenter longioribus quam efficit longitudo diametri articuli; quod e gracilitate tibiarum pendet; metatarsi antici non ullibi aculeo ullo evidente, seta tantum vel pilo medio supra sito, verticali, in exemplis illæsis instructi; pedes toti præterea setis ordinariis adpressis evidentibus vestiti. Femora antica exterius in latere antico et superne aculeo 1; hi non longiores videntur quam basis metatarsorum; saltem sunt breviores quam aculei inferiores tibiarum anticarum.

Mas. Oculi intermedii antici ab ore paullo longius distant quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, et simul ab eo longius quam ab oculis intermediis posticis distant. Frons evidentius quam in ♀ longe pilosa. Pedes ut in ♀ aculeati. Setæ basales in palporum parte tibiali radicibus haud concentricis, potius in seriem dispositis. Lamina supra basin tuberculum emittit, hoc nudo, vel brevissime et parce piloso; illa ut in *L. rufa* vix longior quam patellæ anticæ, et non latior quam femora antica.

Plerumque sub lapidibus in locis humidis vel umbrosis ad Gothob. capta. In Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post*,

§§ Metatarsi non solum anteriores sed etiam posteriores superne pone basin aculeo tantum 1, subverticali; inferius, neque ad latera neque subtus, aculeis ullis. confer divisionem §§§.

* Femora 6 posteriora superne aculeo 1. (Tarsi antici in specie cognita longit. vix ultra $^1/_4$ metatarsorum).

19. **L. socialis** (SUND.): *Femina* thorace pallido, linea dorsali maculisque 4 marginalibus nigris; palporum parte tibiali annulo basali angusto nigro, parte patellari et insequentibus crebre et fortiter aculeatis; abdomine pallido vitta laterali nigra, dorso in limbo sæpe fusco-punctato, in disco fuscescente, arcubus vel angulis transversis pallidis; pedibus pallidis, nigro-annulatis; metatarsis omnibus prope basin superne aculeo subverticali, solitario; tarsis anticis longitudine $^1/_4$ metatarsorum vix superantibus. Abdomen obovatum, vel pone medium latius.

Mas abdomine ovato, vel posterius sensim angustato; maculis thoracis sæpe languidis vel obsoletis; pictura dorsalis abdominis sæpius obsoleta. Pedes ut in ♀ aculeati et mandibulæ duplo longiores quam altitudo facialis.

L. socialis SUNDEV. A:o 1832, p. 260. — *L. tigrina* WIDER, p. 262, t. 17, f. 11. — KOCH XII, p. 180, T. 426, f. 1051—52. — *L. bucculenta* WALCK. Apt. II, p. 274 (quæ appellatur *Theridion gonflé* in Pl. 2, f. F 2 D, 2 G, 2 A, 2 B). — *L. tigrina* WALCK. Apt. II, p. 273.

Femina thorace long. $1\,^1/_2$—$1\,^3/_4$, pedes antici 8—9 mm.; illius macula lateralis antica fere lunata, insequentes tres cuneatæ; illa longitrorsum, hæ transversim positæ et sæpe cum colore nigro ipsius marginis confluentes. Oculi iride nigra cincti. Mandibulæ fere duplo longiores quam altitudo facialis, plerumque linea nigra, a basi ad medium ducta notatæ. Palporum pars patellaris superne aculeo 1, tibialis sub basi aculeis 4 et superne in apice 1, tarsalis in utroque latere aculeis 4—5, patentibus, omnibus, quæ subtus locati sunt, robustissimis. Abdomen pone medium latius, dein ad anum cito angustatum, ad formam fere subrhombicum vel obovatum; superne albido-cinereum, antice et latera versus

subtiliter fusco-punctatum vel irroratum; dorso antice pallido, arcu recurvo fusco notato, discus deinde uberius fuscus, arcubus 4—5 pallidis notatus; abdominis latera ornantur vitta lata nigra, hac posterius sæpe in lineas 2—3 obliquas abrupta, antice basin ambiente, hic punctis 4 albidis, plerumque distinctis, in seriem transversam dispositis signata. Venter pallide rufescens. Genitale instar vaginæ gracilioris ex apertura sexuali longissime extensum. Femora tantum annulum singulum, pone medium situm, repræsentant; apices articulorum etiam nigricant. Pedes toti, etiam femora subtus, inconspicue pilosi. Tibiæ vix ultra aculeos 4—5, metatarsi superne pone basin aculeum 1 tantum repræsentant; femora antica aculeo 1, reliqua haud ullo instructa; tarsi antici longitudine tantum $^1/_4$, postici fere $^1/_3$ metatarsorum; quæ nota per se speciem ab omnibus aliis *Linyphiis*, mihi cognitis, mox distinguit.

In truncis pini et aliorum arborum nemorum passim ad Gothob. capta; cursu celerrima; in reti ullo non a me visa; hoc forsitan in rimis vel sub muscis arborum suspenditur. In Scania, *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

** Femora 6 posteriora superne aculeo haud ullo. (Thorax in speciebus cognitis longit. $^3/_4$—1 mm.). Cave ne has cum speciebus divisionis §§§ confundas.

20. **L. pygmæa** (Sund.): *Femina* thorace, long. $^3/_4$- 1 mm., griseo-pallescente, post mortem fusco; abdominis dorso fusco, signaturis angulatis 3—4, lateribusque maculis duabus ferrugineis, his plerumque punctis albidis adspersis et tunc, obiter inspectis, maculas albidas assimilantibus; pedibus luteo-pallidis, unicoloribus; metatarsis omnibus pone basin aculeo singulo; aculeo altero in apice patellarum binisque tibiarum superis longiusculis, vel quam diameter tibiarum fere triplo longioribus; femoribus sex posterioribus superne aculeo haud ullo.

Mas plerumque abdomine unicolore, ut thorax fusco vel nigricante; palporum parte patellari nodosa, tibiali

illa $\frac{1}{2}$ longiore, crassiore, depresso-campanulata, una cum clava nigro-fuscis, parte patellari et femorali colore pedum; clava crassa vel quam femora antica duplo crassiore; clypeo profundius impresso; palporum præsertim parte tibiali superne seta longiore nutante ornata; mandibulis mediocribus.

Var. b: abdomine diffuse ferrugineo sive brunneo, dorso punctis albidis obsoletis, angulis transversis nigris notato; angulis anticis aut continuis aut medio interruptis, lineolas vel maculas oppositas formantibus.

Theridium pygmæum SUND. (secundum exempla quædam, in ejus collectione asservata. Descriptio araneolæ in ejus opere A:o 1831, p. 121 et A:o 1832, p. 263, sub nomine *Erigone pygmæa*, ad feminæ picturam abdominis quod attinet, adaptata est individuis, quæ non huc, sed ad *Singam Herii Fam. I:mæ* pertinent, quæ individua in collectionis eundem locum atque exempla *L. pygmææ* inserta sunt.) — *L. pygmæa* WESTR. Enum. Ar. p. 38 (fortasse excl. syn. *Wideri* et *Walck.*, *L. tenebricolæ*, etiamque syn. *Kochii*, *L. terricolæ*, quæ tamen sat similis est *var. b.* nostræ araneæ, vide KOCH XII, p. 125, T. 425, f. 1047 et 1048, ubi indumentum et armatura pedum — notæ non parvi momenti — neglecta sunt). — *L. arcuata* THORELL Rec. crit. p. 108.

Femina. Thorax longit. ad summum 1 mm.; pedes antici 4 $\frac{1}{2}$—5 mm.; ille tenerrimus, facile corrugandus, in siccatis fusco nigricans. Palpi pallidi. Clypeus evidenter impressus. Mandibulæ paullo crassiores quam femora antica, altitudinem facialem evidenter superantes. Abdomen supra anum plerumque arcubus 1—2, præter angulos 4 antejacentes, notatum, his angulis ad latera sæpe, similiter ac maculæ 2, in ipsis lateribus sitæ, punctis albidis adspersis; latera abdominis notantur macula oblonga l. rotunda, medium versus, alteraque juxta anum sitis, hac sæpe cum arcu supraanali connexa, in fundo brunneo-ferrugineis, sed, ut antea dicitur, obiter inspectis albidis. Præsertim angulus dorsalis, pone basin situs, sæpissime in medio abruptus et hic obsoletus est, remanente macula oblonga vel rotunda, quæ, interdum uberius albo-guttata, quasi maculam tertiam sub-lateralem albidam, altius quam macula media sitam re-

præsentat. Pedes prop. 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longit. $^1/_4$ tibiarum; femora antica aculeis 1—2, reliqua superne nullo; apex patellarum omnium ut in reliquis speciebus aculeo 1; tibiæ anteriores 1, basin et apicem versus sito, hic præterea 1, utrinque sito, simul tantum 4, tibiæ posteriores tantum basin et apicem versus aculeo 1 supero, et denique metatarsi omnes prope basin aculeo 1; femora subtus pilis longioribus patentibus, longitrorsum sparsis vestita, his paucis, ut in pluribus aliis speciebus. Aculeus, qui mox ante medium tibiarum superne, præsertim in tibiis posticis situs est, evidentius 3:plo longior quam efficit longit. diametri ipsius articuli.

Mas. Cavendum est ne hunc cum ♂ *Erigones rurestris* (48) confundas. Hæc araneola in pedibus quidem setis robustis aculeiformibus instructa, sed loco trium aculeorum versus apicem tibiarum anticarum adest tantum 1, superne situs, verticalis, pilo normali respondens, qui una cum altero basin versus in plerisque *Erigonis* ut in genere *Theridio* adesse solet; femora antica in illa aranea haud aculeo ullo, neque sunt metatarsi superne pone basin armatura ejusmodi muniti; tibiæ aut metatarsi postici evidenter longiores quam antici, nec ut in *L. pygmæa* breviores quam hi.

Inter gramina et radices plantarum, sub lapidibus et in foveis terræ retia suspendentes, sat frequenter capitur uterque sexus. In Scan., *Sundevall*; in Upl., *T. Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

21. **L. angulipalpis.** *Mas* thorace pedibusque unicoloribus, pallide testaceis; abdomine fusco-nigricante, unicolore, an semper?; palporum parte patellari triangulari, vel superne in tuberculum eminente, hoc pilo vel seta æque longa atque aculei tibiarum pedum instructo; metatarsis omnibus prope basin aculeo solitario; aculeo in apice patellarum et duobus tibiarum, superne sitis, vix ultra duplo longioribus quam diameter tibiarum; aculeo altero, in utroque latere, juxta aculeum superum, ante apicem tibiarum anticarum sito, gracillimo, setæformi; aculeo

ejusmodi in tibiis posterioribus deficiente, ideoque hæ aculeo tantum 1, basin et apicem versus superne sitis, armatæ sunt.

Westr. Enum. Ar. p. 38.

Magnitudo *Lin. pygmææ* (20), a cujus ♂ facile distinguitur structura palporum partis patellaris, quæ non nodiformis sed triangularis est. Partis hujus angulorum unus sursum spectat, pilo robustiore et evidentiore præditus. Numerus et situs aculeorum pedum anteriorum omnino ut in specie allata, at aculei et in apice patellarum et in tibiis vix ultra duplo longiores quam diameter ipsius articuli sunt; aculeus autem pone basin in tibiis posticis ut in illa evidenter 3:plo longior quam articulorum diameter; versus apicem tibiarum pedum posteriorum aculeus tantum 1 adest, an semper?. Thorax magis orbicularis, vel magis latus magisque depressus. Bulbus, ex instrumentis genitalibus compositus, in latere externo appendice arcuata vel calcari diaphano auctus, in siccatis forsitan evidentius procurrente. Abdomen in specimine lustrato, subcorrugato, unicolor, an etiam in vivis?. Pedes pallidi, paullo e colore brunneo, nec ut in *L. pygmæa* e colore luteo-rubicundo tincti, an semper?. Femora antica aculeo 1 pone medium, reliqua nullo.

Mense Aprili, sub foliis siccatis et quisquiliis in nemore Slottskogen ad Gothob. captus; in Upl., *Thorell.*

22. **L. index** (Thorell): *Mas* thorace, longit. 1 1/4 mm., saturatius, pedibusque unicoloribus pallidius rufo-testaceis, illius linea media longitudinali margineque summo nigricantibus; clypeo evidenter impresso, vix dimidio altiore quam efficit spatium, quod ab oculis 4 intermediis longitrorsum occupatur; oculorum serie antica recta, an paullo recurvata?, palpis colore pedum, lamina in summa basi bulboque genitali infuscatis, parte patellari in apice seta robusta nigra, recta, apice quasi oblique truncata, æque longa atque illa pars et pars tibialis, simul sumtæ; abdomine griceo-fuscescente; pedum articulo metatarsali

[illegible]

[illegible]

[illegible] quasi [illegible] ... orum [illegible] ... [illegible] ... mamillarum [illegible] sp- [illegible] ... arum una in basi [illegible] ... in latere [illegible] paulo longiores [illegible] ... femoris [illegible] pedum antico- [illegible] ... versum sparsis ve- [illegible] ... in *L.* [illegible] in *L. palle-* [illegible] ... saltem per [illegible] ... in hac specie longiusculas, [illegible] ... tibiæ antic... simul sumtæ, [illegible] ... pedum posticorum $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ mm.

[illegible] *Thorell.*

23. **L. decolor**: *Mas* thorace long. 1 mm., pedibusque brunneo-testaceis, unicoloribus; mandibulis gracilibus, sensim attenuatis, duplo longioribus quam patellæ anticæ; palpis totis brunneo-testaceis, parte patellari et tibiali nulla seta insigniore vestitis; abdomine (in specimine unico lustrato) luteo-pallescente, vestigiis angulorum transversorum, præsertim posterius sitorum, nigricantium; pedibus aculeo supero in patellis anterioribus et nonnullis in tibiis, non ultra duplo longioribus quam diameter tibiarum, in pedibus posterioribus fere triplo longioribus; metatarsis superne pone basin aculeo verticali.

A *L. pygmæa* (20) differt colore thoracis testaceo, semper permanente, mandibulis ultra duplo longioribus quam altitudo facialis, et palporum brunneo-testaceorum parte nec tibiali neque patellari in apice seta ulla tam evidenter longiore quam reliqui pili ibi sparsi vestitis, pictura abdominis fere nulla, an in vivis evidentius expressa?. — Femora anteriora magis robusta; tibiæ anticæ, ut mihi videtur, paullo crassiores quam posticæ; aculei in pedibus anterioribus non evidenter tam longi. A *L. indice* (22) differt thorace unicolore, clypeo respectu mandibularum breviore, vel vix altiore quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, et mandibulis fere triplo, nec tantum duplo longioribus quam illo, palporum parte patellari nullo aculeo armata, metatarsis anticis subtus non ullis pilis perpendicularibus. Palporum pars patellaris et tibialis ut in pluribus aliis constructæ; illa subnodiformis, hæc quam ea non evidenter duplo longior et crassior, breviter clavata. Lamina ordinaria et instrumenta genitalia paullo saturatius testacea quam articuli præcedentes, conjunctim duplo crassiora quam mandibularum basis; hæ vix tam crassæ ac femora pedum anticorum, quæ satis robusta sunt; sensim attenuatæ et satis hiantes. Abdominis dorsum præsertim posterius, utrinque, lineis obliquis nigricantibus obsoletis pictum, his per paria quasi in medio dorsi subcontiguis, conjunctim angulos tronsversos formantibus; dorsum pilis paucis solito

longioribus vestitum; latera abdominis nullam picturam repræsentant.

Ad Holmiam a *T. Thorell* inventa.

§§§ Metatarsi omnes non ullibi aculeati; interdum superne pone basin pilo tantum subtilissimo, qui quoad robustitatem neutiquam cum aculeis tibiarum adæquari possunt. Femora jam 2 aut 4 anteriora, jam omnia superne aculeo uno vel altero, præsertim in 4 posterioribus sæpe defracto et propter parvitatem animalculorum ægrius observando. Species cognitæ minutæ. thoracis longit. $^{2}/_{3}$—$1^{1}/_{3}$ mm.

24. **L. nigrina:** *Femina* thorace abdomineque fuscis vel nigris, hoc aut serie dorsali ex angulis vel arcubus transversis pallidis, anticis majoribus, liberis, posterioribus minoribus, connexis, aut vitta continua, utrinque dentata, pallida notato, hac pictura certo lumine perspienda, interdum satis obsoleta; pedibus unicoloribus pallide testaceis, parce at evidenter aculeatis; metatarsis nec pone basin neque inferius aculeo ullo; femoribus etiam posterioribus superne aculeo 1; tibiarum aculeis longitudine diametrum articuli evidenter, at non ultra dimidio superantibus; genitale haud longe appendiculatum, stipite, ex apertura proveniente, oblique dependente, vix dimidiam longitudinem patellarum pedum superante.

Mas abdominis pictura plerumque obsoletiore; palporum parte patellari apice pilo brevi erecto; parte tibiali quam illa paullo longiore et crassiore, depresso-campanulata vel semiglobosa, pilis tantum ordinariis paucis inæqualiter longis, præsertim versus basin vestita; articulis ultimis simul clavam maximam constituentibus, hac in siccatis latitudini frontis vix cedente; mandibulis glabris, altitudinem facialem parum ultra $^{1}/_{2}$ superantibus; oculis intermediis anticis ab ore evidenter longius quam a posticis distantibus.

WESTR. Enum. Aran. p. 38.

Femina. Exempla corrugata cum *L. concolore* (25) facile confundi possunt, si non longitudinem aculeorum in

tibiis bene observes. Thorax long. 1, pedes antici 5 1/2 mm.; ille in vivis fuscus, in siccatis niger. Clypeus non distincte longior quam spatium inter oculos intermedios anticos et posticos, evidenter æque altus atque efficit spatium, ab oculis 3 anticorum occupatum. Frons pilis pluribus erectis, distinctis, at brevibus vestita. Mandibulæ parum crassiores quam femora antica, non ultra duplo longiores quam clypeus. Palpi luteo-pallidi. Abdomen nigricans, superne anterius aut arcubus duobus liberis, dein maculis 5—6 triangularibus, connexis, deinceps minoribns, aut vitta tota continua, utrinque dentata, colore pallida notatum; color picturæ plerumque ad pallido-virescentem transit; latera abdominis aut unicoloria, aut vitta inæquali, e basi abdominis exeunte, pallida notata. Epigyne, ultra aperturam sexualem postice eminens, deorsum spectat, brevior quam patellæ pedum. Abdomen, a latere visum, breviter pilosum, pilis ultra cutem haud evidenter eminentibus. Pedes pallide testacei, immaculati, proportione 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ long. 1/4—1/5 tibiarum. Femora antica superne aculeo 1, in latere antico 2, reliqua superne ante medium aculeo 1; quod rogo ut bene observes; patellæ et tibiæ ut in *L. dorsali* (29) aculeatæ; tibiæ scilicet superne pone basin et ante apicem aculeo 1, præterea hoc utrinque 1, simul 4; metatarsi, ut in illa specie, aculeo haud ullo, nisi pilo subtilissimo verticali; aculei, ex. gr. in tibiis non tam multo superant longitudinem diametri articuli, saltem haud ultra dimidio longiores sunt. Pedes toti brevissime pilosi, femora subtus etiam haud ullis pilis insignioribus, nisi uno alterove basali vestita.

Mas cum ♂ *Lin. clathratæ* (2), *hortensis* (5) et *pusillæ* (6), exemplis corrugatis vel male præparatis, in quibus color abdominis haud extricare potest, non confundi queat, si numerum et situm aculeorum pedum et plures alias notas, pro iisdem speciebus allatas, bene observes. Palpi nullam notam insigniorem præbent; indumentum partis patellaris et tibialis huic cum plerisque speciebus commune.

Juxta radices cæspitum, in locis humidis, et mense majo sub lapidibus capta ad Gothob. In Upl., *Thorell.*

25. **L. concolor** (Wider): Abdomine unicolore fusco; thorace, pedibus immaculatis palpisque brunneo-testaceis; pedibus gracilibus, brevissime pilosis et aculeatis; patellis apice, tibiis ante et pone medium superne aculeo 1, in his præterea uno laterali, utrinque pone medium locatis, omnibus brevissimis, ægrius observandis, longitudine diametrum ipsius articuli haud superantibus; metatarsis omnibus nec basin versus neque inferius aculeo ullo; femoribus anticis superne et antice aculeis simul 2—3, insequentibus 1, hic illic sæpe defracto. *Femina* vagina sexuali longa. *Mas* palporum parte tibiali parte patellari dimidio longiore et multo latiore, extus seta 1 vel 2 longissimis, gracillimis, arcuatim flexis instructa; lamina ordinaria elongato-pyriformi, saltem dimidio longiore quam patellæ pedum anticorum.

L. concolor Wider p. 267, T. XVIII, f. 3. — Walck. Apt. II, p. 270.

Mas. Quoad brevitatem aculeorum pedum *L. pusillæ* (6), et quoad colorem corporis *L. rufæ* (17) et *comatæ* (18) similis. Thorax long. 1, pedes antici circiter 5 mm.; ille ovatus, fuscus, parte cephalica impressione normali laterali satis distincta; frons breviter pilosa, non latior quam $^1/_2$ latitudinis partis thoracicæ. Mandibulæ fusco-brunneæ femoribus anticis haud crassiores, ultra duplo longiores quam clypeus, at evidenter haud ut in *Lin. pusilla* (6) ultra triplo longiores. Oculi intermedii antici ab ore longius quam a posticis distant. Palporum setæ 2 in parte tibiali saltem æque longæ ac pars femoralis, deorsum arcuatæ; plerumque inter se tam arcte cohærentes ut setam solitariam referant; clava, ex articulis ultimis composita, in vivis subpyriformis, in siccatis appendices et calcaria diversa emittens, quorum stilus unus omnino rectus, diaphanus, rufus, intus locatus; lamina ordinaria extus angustata, æque longa ac pars femoralis, vel $^1/_3$ tibiarum anticarum, aut paullo ultra. Femora

antica superne et antice aculeis 2—3, secunda et tertia 1, quarta nullo, an semper?; aculei et ibi et in tibiis brevissimi, non nisi sub oculo optime armato facilius observandi; aculei, qui saltem in apice patellarum adsunt, diametrum tibiarum anticarum non superant. Pedes toti graciles, proportione 1, 4, 2, 3; patellæ anticæ long. $^1/_8$ tibiarum; breviter et non evidenter pilosuli; femora subtus pilis haud longioribus vestita. Tibiæ anticæ haud multo crassiores quam posticæ.

Femina. Mandibulæ etiam ultra duplo longiores quam clypeus. Oculi intermedii antici ab ore vix longius quam a posticis distant. Palporum articuli 2 ultimi infuscati. Epigyne longa, diaphana, fere ad medium ventris extensa, similiter atque in *L. sociali* (19) et *pallescente* (16); quæ nota eam præcipue a *L. parvula* (26) distinguit. Pedes ut in ♂ brevissime aculeati et obsolete pilosi.

Cum nulla specie generis *Erigonarum* confundi potest, si præsentiam aculeorum in femoribus una cum proportionem pedum bene observemus; in nulla specie *Erigonarum* epigyne feminæ tam longe ultra aperturam sexualem prominet (?), saltem quod sciam.

Mense Majo sub lapidibus, juxta rete tenerum, ad Gothob. sæpe capta. In Upl. *Thorell.*

26. **L. parvula**: *Mas* thorace fusco-lutescente, interdum nigricante, mandibulis, palpis, excepto bulbo fusciore, pedibusque immaculatis luteo-pallidis, abdomine nigricante, unicolore, patellis apice, tibiis ante et pone medium prætereaque hoc utrinque aculeo singulo, horum nullo nec ante medium tibiarum posticarum nec anticarum duplo, sed dimidio tantum longiore, rarius duplo longiore quam diameter articuli; femoribus anticis superne vel anterius aculeo 1—2 mediis, et inter medium et apicem 1, femoribus secundis mox ante medium aculeo supero, brevi, uno alterove deficiente; femoribus 4 posterioribus inermibus; palporum parte tibiali extus setis paucis parum longis, bulbo in latere externo baseos

calcari sive lamina falcata acuminata luteo-pallida, et in apice seta spiraliter flexa munito (saltem in siccatis). Thorax long. $^3/_4$, tibiæ et patellæ anticæ conjunctim 1—1 $^1/_4$ mm.; tibiis anticis saltem 5:plo longioribus quam patellæ; oculis 4 intermediis eminentiæ communi impositis, unde clypeus infra 2 anticos impressus videtur.

Femina colore et armatura pedum ut in ♂, mandibulis etiam tenuibus, sensim attenuatis, æqualibus, palporum parte tarsali maxima parte lineari, parte patellari et tibiali supra apicem aculeo, fere duplo longiore quam diameter partium; oculis ut in ♂ magnis et eminentibus.

WESTR. Enum. Ar. p. 59.

Mas et *Fem.* Cavendum est ne hanc araneolam cum diversis speciebus generis *Erigonarum* (præsertim *E. rurestri*), similiter coloratis, confundas. Ab illis facile dignoscuntur armatura pedum; in tibiis pone medium numquam, quantum scio, aculeus vel seta ulla lateralis sed unica supera tantum in illis observatur. A *L. convexa* (27) distingui potest in notis supra allatis. Thorax omnino glaber, non major quam in illa, sed pedes magis longi et graciliores; femora antica longit. 1 $^1/_4$ mm., tibiæ cum patellis differentia capillari paullo longiores quam illa; tibiæ anticæ evidenter 5:plo nec 4:plo tantum longiores quam patellæ. Oculorum series antica recta; clypeus in ♂ æque altus, in ♀ vix tam altus ac efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus ejusdem seriei occupatur. Palporum pars femoralis, ut in *L. convexa*, in ♂ longit. circiter $^1/_2$ femorum pedum anticorum, pars patellaris brevissima et bulbus genitalis fuscus crassior quam femora eadem. Aculeus superus ante medium tibiarum posticarum vix ultra $^1/_2$ longior quam diameter tibiæ, rarius duplo longior. Epigyne feminæ non evidenter eminet. Oculi intermedii, a latere inspecti, eminentiam communem exhibent, unde in clypeo mox infra 2 anticos quasi impressio se repræsentat, proinde etiam talis impressio minor pone 2 posticos exstat; hi oculi (postici) non humilius eminent quam summa convexitas occipitalis.

Mense Majo uterque sexus sub lapidibus ad fluvium Göta Elf prope Gbg. captus. In Upl., *Thorell*.

27. **L. convexa**: *Mas* thorace fusco-lutescente, in siccatis subnigricante, sub lente acuta subreticulalo at simul nitido, mandibulis, palpis, excepto bulbo fusciore, pedibusque immaculatis luteo-pallidis, abdomine nigricante immaculato, interdum lurido, fusco-maculato, patellis apice tibiisque ante et pone medium prætereaque hic utrinque aculeo singulo, uno alterove diametro tibiarum duplo longiore; femoribus anticis in latere antico, haud procul ab apice, aculeo singulo, longitudine diametrum femorum evidenter attingente, femoribus secundis pone medium aculeo altero supero, femoribus 4 posterioribus inermibus; palporum parte tibiali setis nonnullis sat longis, bulbo in latere externo baseos calcari sive lamina arcuata acuminata luteo-pallida (illo in apice nulla seta spiraliter flexa munito?). Thorax longit. $^3/_4$, tibiæ et patellæ anticæ conjunctim $^3/_4$, vix 1 mm., tibiis anticis vix 4:plo longioribus quam patellæ; pedibus satis robustis, vel femoribus anticis vix ultra 4:plo longioribus quam crassioribus, occipite paullo elevatiore quam locus, quo oculi interm. postici insistunt; clypeo, ut in fronte, evidenter piloso; illo non impresso, sive oculis intermediis anticis, similiter ac postici, quam minime ultra superficiem capitis elevatis.

Femina tibiis anticis, ut in ♂, vix 4:plo longioribus quam patellæ, femoribus ejusdem ordinis ut in illo constructis et aculeatis; thoracis dorso, sive regione occipitali, paullulum altiore quam oculi interm. postici, (clypeo nudo); abdomine satis evidenter piloso; palpis gracilibus, parte tarsali maxima parte lineari, parte patellari et tibiali supra apicem seta sive aculeo gracili, ultra duplo longioribus quam diameter partium; tibiis ut in ♂ aculeatis.

Erigone convexa Westr. Enum. Ar. p. 60. — *Erigone reticulata* ib. p. 59.

Ambo sexus differunt a *L. parvula* (26), similiter atque a *L. nigrina* (24) et *concolore* (25), tibiis anticis saltem haud ultra 4:plo longioribus quam patellæ, et femoribus non ultra 4:plo longioribus quam crassioribus; a *L. concolore* per se differt aculeis pedum multo longioribus, et a *L. parvula* aculeo saltem infra basin tibiarum posticarum ultra duplo longiore quam diameter tibiæ. Præter aculeum anticum, versus apicem femorum anticorum, mox juxta illum aculeus brevior superus sæpe adest. Aculeus supra femora secunda non ut in *L. parvula* ante sed pone medium situs, an in utraque specie semper ita (?). Tibiæ anticæ, a supra et perpendiculariter inspectæ, aculeum in utroque latere, prope aculeum superum, pone medium situm, repræsentant, qua in nota et præsentia aculeorum in femorib. anteriorib. et alibi, ut et proportione pedum ab *Erigone penicillata* (49), *parasitica* (45), *tessellata* (46) et subsimilibus dignoscitur. Clypeus in ♂ paullo longior quam frons, sive spatium, quod ab oculis 4 mediis occupatur. Bulbus genitalis duplo fere crassior quam femora antica. *Fem.* caret pilis in clypeo, quorum præsentia in ♂ ut nota satis characteristica est consideranda. Abdomen sat evidenter pubescens. Altitudo facialis vix brevior quam efficit latitudo clypei. Mandibulæ aut piceæ aut brunneæ, basi non insigniter convexæ, quam femora antica vix crassiores, quam altitudo facialis circiter $^1/_2$ longiores. Reticulatio thoracis, ægerrime perspicienda, non ut nota constans est consideranda. Occipitis convexitas summa evidenter altior quam locus, cui oculi 2 medii postici impositi sunt, hi non evidenter ultra superficiem eminent, similiter atque medii antici. Abdomen in nuper explicatis luridum, nigro-maculatum, aut nigricans dicendum, lurido vel sordide luteo-reticulatum.

Mense Majo ad litora prope Gbg. sub lapidibus et aliis sæpe capta. Ad Upsaliam, *Thorell.*

28. **L. gracilis**: *Femina* thorace testaceo- abdomineque nigro-fuscescentibus, hoc arcubus vel signaturis s-formibus oppositis, striolaque obliqua, basin versus utrinque sita,

flavescentibus; pedibus testaceis nigro-annulatis, patellarum apice, tibiisque ante et pone medium aculeo singulo, metatarsis, femoribusque sex posterioribus superne aculeo haud ullo instructis.

WESTR. Enum. Ar. p. 37.

Femina pullulis *L. domesticæ* (13) sat similis, a qua mox distinguitur defectu aculeorum in metatarsis; a *L. pygmæa* (20) distinguitur et eadem nota et præsentia annulorum pedum. Thorax longit. $^2/_3$—1, pedes antici $4\,^1/_2$ mm. Signaturæ s-formes in dorso abdominis in specimine unico lustrato intus in punctum flavum finitæ et apice antrorsum flexæ, extrorsum minus læte flavæ, vel potius colore testaceæ; lineola, utrinque, basin versus sita, tota flava; latera fusco- et nigro-maculata, fugaciter inspecta fusco-nigricantia, unicoloria; venter rufo-fuscus, unicolor. Pedes prop. 1, 4, 2, 3, pallide testacei; femora annulo medio et apicali; basin versus nullo aculeo; tibiæ annulo subbasali, latiore, et altero apicali angustiore, metatarsi antici in medio annulo obsoleto, vel plerumque vix ullo, omnes metatarsi autem annulo apicali distincto instructi; tibiæ, erga lucem contemplatæ, aculeum tantum singulum ante et pone medium, evidentiores repræsentant; metatarsi neque basi neque alibi aculeo ullo instructi; femora antica aculeo uno alterove, tria paria insequentia nullo.

Initio Junii in horto prope Gothob., juxta lapidem, cui rete affixum erat, capta. Rarius occurrere videtur.

29. **L. dorsalis** (WIDER): *Femina* thorace fusco, in siccatis fusco-nigricante; abdomine aut sordide luteo aut griseo-nigricante, fusco-punctato, aut præsertim in junioribus flavescente, dorso maculis oppositis nigris 1—5, sæpe propter colorem fusciorem in senioribus ægrius observandis; ventre fere semper nigricante; pedibus unicoloribus: aut extus dilute, at femoribus saturatius rufo-testaceis: aut plerumque in junioribus totis pallide testaceis; femoribus 4 anterioribus pone medium aculeis 1—2, reliquis 4 aculeo haud ullo; tibiis anterioribus pone basin acu-

leo 1, ante apicem 3, fere duplo longioribus quam diameter articuli; tibiis posterioribus superne aculeo 1 versus basin et apicem, metatarsis nec basin versus neque alibi aculeo ullo armatis. Epigyne patellis pedum haud longior.

Mas: clypeo ut in ♀ breviore quam spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum; pictura abdominis obsoletissima; capite pilis longioribus vestito; palporum parte patellari et tibiali globosis, hac majore illa, ambabus, simul sumtis, longitudine patellas pedum anticorum haud superantibus, una cum parte femorali colore femorum; articulis ultimis, clavam magnam constituentibus, fuscis, hac femoribus anticis 2:plo crassiore (subtus nulla seta spiraliter flexa aucta); mandibulis apice attenuatis, clypeo evidenter impresso haud ultra duplo longioribus. Pedum coxæ, femora et patellæ luteo-testacea, reliqui articuli pallidi, vix rubedine tincti.

Var. a: abdomine maculis dorsalibus nigris oppositis 5, aut omnibus ovatis, aut posterioribus arciformibus, pari antico, vel duobus anterioribus, sæpe confluentibus, maculam lobatam assimilantibus.

Var. b: maculis memoratis 4, anticis vel anterioribus confluentibus.

Var. c: maculis memoratis 3, anticis vel anterioribus confluentibus.

Var. d: maculis memoratis 2, anticis vel ambabus confluentibus.

Var. e? num forsitan interdum tantum macula opposita 1, his aut inter se liberis aut confluentibus? (in spiritu vini asservatum, specimen unicum in dorso fere impictum erat, et forsitan varietas talis in vivis ocurrit, quæ tunc *var. f.* constituit).

L. dorsalis WIDER p. 264, pl. 17, f. 12. — *Argus quaternus* WALCK. Apt. II, p. 358 (*var. d.* mihi).

Femina. Thorax longit. 1, pedes antici 5—6 mm. — Pedes graciles, rufescentes, in junioribus pallide lutei. Mandibulæ saturate fuscæ, basi modice convexæ, altitudine faciali duplo longiores. Oculi intermedii antici ab ore haud

distincte longius quam a posticis distant, vel non omnino tam longe atque efficit spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, ideoque clypeus humilis dicendus; hic evidenter impressus. Abdomen in varietatibus griseo-nigricantibus maculas dorsales nigras ægre repræsentat; cutis quasi pallido-reticulata, unde exstant puncta crebra fusciora, quæ in varietatibus fuscioribus adhuc obscuriora evadunt. Venter etiam in varietatibus flavidis s. luteis fere semper plus minus saturate nigricat. Pedum proportio 1, 2, 4, 3; femora 4 posteriora superne aculeo nullo, quod rogo ut bene observes; patellæ apice aculeo 1, tibiæ anteriores basin versus 1, ultra medium 3, horum 1 superne, 1 utrinque locato, hoc tenuiore; tibiæ posteriores superne versus basin aculeo 1, pone medium 1, hic utrinque nullo, metatarsi aculeo nullo. Patellæ anticæ long. vix $1/_{3}$ tibiarum. Epigyne subclavata, antice valvula magna circumdata, longitudine circiter patellas pedum æquat.

Exempla corrugata, abdominis pictura haud extricanda, a *L. nigrina* (24) differt clypeo paullo breviore quam spatium ab oculis 3 seriei anticæ occupatum, at præcipue femoribus 4 posterioribus haud aculeo ullo. A *L. concolore* (25) differt, similiter ac *L. nigrina*, aculeis pedum distinctioribus et evidenter longioribus quam diameter tibiarum. Cum *Erigonis* et quibusdam *Linyphiis* haud confundi potest, si in illis defectum aculeorum pedum, et in his situm et nnmerum aculeorum respicias.

Præsertim in arborum foliis, et sæpissime in pagina inferiore folii sedentes capiuntur; in Corylo vulgatissima ad Gothob., præsertim ad Ramberget in insula Hisingen capta. In Upl., *Thorell.*

II. TAPINOPA n.

Thorax (Feminæ) nudus, robustus, alte convexus, antice obtusus, ibique parum angustior quam in medio. Oculi intermedii antici ab oculis interm. posticis saltem triplo longius quam ab ore distant; oculi laterales antici a

margine clypei longe remotis, unde series, ab oculis omnibus 4 occupata, valde sursum curvata evadit; oculi iidem (laterales antici) a margine clypei duplo longius quam oculi duo intermedii distant; series quatuor posticorum antrorsum flexa; proinde omnes 8 in annulum ovalem dispositi esse videntur. Frons una cum oculis intermediis anticis ultra clypeum prominent. Clypeus propter horum oculorum propinquitatem ad os valde humilis, quæ structura clypei cum eadem atque in plerisque speciebus *Fam. 1:mæ* congruit, quæ autem mox dinstingui possunt serie oculorum 4 anticorum non evidenter recurva. Mandibulæ robustæ, basi duplo vel triplo crassiores quam femora antica, apicibus intus oblique attenuatæ, vel hic conjunctim excicæ vel quasi hiantes, in specie una cognita serie e dentibus 5 gracilibus longis armatæ, quorum medio longissimo, adjacentibus deinceps brevioribus. Maxillæ lineares, paralleliter directæ, apice rotundatæ, fere apicem mandibularum attingentes. Palpi articulo ultimo sensim attenuato vel subulato, setis robustis aculeiformibus erectis vestito. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, aculeis carentes; tibiæ, præter pilos ordinarios adpressos, pilis tantum 2—3 verticalibus superne vestitæ. Retia exigua (?) sub lapidibus visa, et forsitan in aliis locis umbrosis contruuntur. Araneola hæc propter armaturam mandibularum crassissimarum et propter dispositionem oculorum valde singularis est. Media inter *Linyphiam* et eas species *Drassidarum*, quæ pedum proportionem similem habent.

1. **T. longidens** (Wider): *Femina* testaceo-brunnescens, thoracis marginibus obsolete, abdominisque tribus paribus macularum distincte nigris; mandibulis robustissimis, basi crassissimis, apicibus dentibus longiusculis, gracilibus armatis; apertura genitalis per valvulam magnam, supra eam flexam, occultata.

Linyphia longidens Wider Mus. Senck. t. 1, p, 270, Pl. 18, f. 5 — Walck. Apt. II, p. 264. — *Theridion alveolum* Walck. Tabl. d. Ar. p. 76, N:o 62.

Femina: thorax longit. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$, pedes antici circiter $4\frac{1}{2}$ mm.; ille nitidus, glaber; caput pilis paucis brevibus vestitum. Oculi intermedii antici prope os siti, vel ab hoc vix tam longe distantes atque efficit longitudo diametri unius oculi, inter se parum magis approximati quam postici interm., cum his quadratum satis exactum formantes; capitis antica pars porrecta, unde oculi intermedii antici in elevatione ultra os prominent; hi oculi magis, laterales minus evidenter majores quam 4 postici, illis 4 in lineam valde sursum curvatam dispositi; omnes 8 in sua dispositione annulum ovalem describunt. Mandibulæ basi fere 4:plo crassiores quam femora antica, apicibus conjunctim rectangulariter excisæ, apicibus secundum partem excisam vel oblique truncatam serie e dentibus circiter 5 distinctioribus, gracillimis, intermedio longiore, adjacentibus deinceps brevioribus armatis; dentibus plerisque longe ultra unguem inflexum porrectis. Palpi robusti; pars tarsalis sensim attenuata, aculeis pluribus tenuibus instructa. Abdominis dorsum notatur maculis utrinque tribus ovatis vel subquadratis, plerumque punctis albidis circumdatis, arcubusque 2—3 supra anum, nigricantibus, his suis apicibus cum fuscedine laterali plus minus distincte confluentibus; abdominis superficie nitida, pilis paucis adspersa. Apertura sexualis per valvulam magnam, antice ortam, obtecta; valvula intus quasi vesiculam diaphanam amplectit; extus valvula angustata est, apice fere in formam litteræ s flexo, deorsum ad aperturam reclinatim descendente (apice summo exciso vel emarginato?); valvula, quæ a basi subverticaliter adscendit (animalculo subversim contemplato), ad summam altitudinem, vel ad locum retroflexionis, æque alta atque efficit longitudo mandibularum. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, deinceps perparum breviores; femoribus tibiisque in exemplis lustratis vestigio annuli fusci; breviter pilosi, setis paucis verticalibus ut in plerisque *Theridiis* vestiti; femora antica superne aculeis 1—2, femora succedentia mox ante medium aculeo solitario, brevissimo prædita; aculeo in his, sub lente bene investigato, satis dinstincto.

Sub lapidibus in nemoribus ad Lerje & Enggården, prope Gothob., inventa. In Upl., *Thorell.*

III. PACHYGNATHA Sund.

Thorax robustus, parum altus, antice truncatus, ibique latitudine $^2/_3$—$^5/_6$ thoracis medii; frons in plerisque 2:plo latior quam altior. Clypeus aut æque altus aut altior quam efficit distantia inter oculos intermedios anticos et posticos, similiter atque in reliquis *Theridiidis.* (Superficies thoracis supra subtusque plus minus distincte impresso-punctata vel coriacea). Oculi intermedii postici differentia capillari distantiores quam intermedii antici; oculi duo laterales inter se arcte approximati. Mandibulæ robustæ, 2:plo—3:plo crassiores quam femora antica, ovatæ, fere usque a basi divaricantes, intus pro receptione unguium longorum seriebus duabus e dentibus crassis instructæ. Maxillæ minus paralleliter procurrentes, potius convergentes, vel apicibus quasi circa apicem labii arcuatæ. Abdomen ovale vel breviter ellipticum; obsolete pubescens, vel, erga lucem contemplatum, nullos pilos evidenter ultra cutem eminentes repræsentat. Pedes graciles, pilis tenuibus, brevibus; plerumque densis vestiti, aculeis haud ullis instructi; proportione 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longitudine circiter $^1/_3$ tibiarum, vel paullo breviores; pedes tertii paris longitudine $^2/_3$—$^3/_4$ anticorum. Pictura abdominis constat e vitta magna dorsali fusca, utrinque plus minus sinuata; hæc vitta linea media longitudinali gemina, aut serie macularum albidarum ornata; pictura pedum nulla. Retia irregularia in gramine et ad plantas, libentius in locis humidis, suspenduntur, ægrius ab investigatore reperienda, nisi loca habitationis araneæ caute et solliciter perlustrentur.

1. **P. Clerckii** (Sund.): thorace longit. $2^2/_3$—3 mm. mandibulisque luteo-testaceis, illo linea media lateralique fuscis seu nigricantibus; superficie thoracis, exceptis regione laterali pone oculos lateribusque dorsi, impresso-punctata;

abdomine elongato-ovali, obsolete piloso, area dorsali in margine laterali parum vel vix undulata, fusca, luteobrunnea, vel virenti, linea media longitudinali gemina albida notata; mas unguibus mandibularum in medio intus angulo vel dente minuto, ipsis mandibulis dentibus quibusdam robustis, obtusis, pro receptione unguis in duas series digestis, et iisdem organis in ipso apice superne dente majore adunco instructis.

SUND. A:o 1829, p. 208. — *Theridion maxillosum* HAHN die Ar. II, p. 37, T. 53, f. 122. — *Linyphia maxillosa* WALCK. Apt. 2, p. 267 (excl. syn. HAHNII (*Th. vernalis*) et SUNDEVALLII). — *Pach. Listeri* KOCH die Ar. XII, p. 142, T. 430, f. 1064 (exclus. syn. WALCKENAERII). (*P. Listeri* SUNDEV. a DD. WALCK. et KOCH haud cognita fuisse videtur).

Differt a *P. Listeri* magnitudine majore. Patellæ anticæ et tibiæ conjunctim in ♀ longit. $3^3/_4$—4 mm. Mandibulæ haud piceo-nigricantes, sed colore thoracis; earum crassities media in ♀ non multo major quam earum longitudo. Pectus ut in duabus insequentibus impresso-punctatum. Thoracis latera et dorsum ut in *P. Listeri* impresso-punctata, punctis laterum ad partem in series (tres), ad centrum dorsi vergentes, digestis; occiput utrinque in *P. Listeri* evidentius punctatum, et margo basalis in hac evidentius transverse rugulosus videtur; in utraque specie dorsum utrinque ad partem glabrum est. *Pach:æ De Geerii* color thoracis nigricans et superficies fere ubique punctata, ut et magnitudo minor eam facile ab utraque distinguunt. Area dorsalis abdominis, vittam ovalem magnam referens, plerumque in ♂ nigro-fusca, ad latera a vitta altera albida limitata; margo areæ propter marginem internum vittæ lateralis subæqualem plerumque etiam æqualis evadit, interdum et rarius leviter sinuatus videtur. In *P. Listeri* et *De Geerii* area illa utrinque profunde bi-trisinuata est. Areæ linea media albida, vel continua vel maculatim divulsa. Tibiæ ut reliqui articuli pedum, ut mihi videtur, densius quam in speciebus insequentibus pilosæ. In ♀ mihi haud contigit detegere dentem ullum internum in unguibus mandibularum,

cujus autem præsentia a Dom. *Sundevall*, forsitan errore quodam visus, indicata fuit.

Habitat libentius in locis humidis, in plantis et ad radices graminum, ad Gothob. frequens; in Blek. et Ostrog., *Sundevall;* in Scania, *Boheman* et *Sundev.*, in Upl., *Thorell.*

Obs. *Pachygnatharum* marium (an omnium?) palporum structura valde similis eidem in genere *Tetragnatha;* etiamque est forma mandibularum harumque armatura non multo aberrantes; etiam in aliis notis, e. gr. in gracilitate pedum horumque indumento subtiliore *Pachygnatha* transitum ad id genus præbere videtur. Palporum pars tibialis conica, longit. circiter $^3/_4$ patellarum anticarum, ad apicis latus externum in lamellam gracilem producta; lamina ordinaria etiam angusta, apice longius ultra bulbum genitale porrecta; hic globosus, nitidissimus, diametro crassitudini mandibularum vix cedente, apice stilo fusco, æque longo ac laminæ apex, aucto.

2. **P. Listeri** (Sund.): *Femina* thorace longit. 2 mm., luteo-brunneo, linea media lateralique nigris; mandibulis piceo-nigricantibus, in ♀ breviter ovatis, fere æque crassis atque efficit spatium, ab oculis 4 anticis occupatum, vel latitudine æque magna atque efficit $^3/_4$ longitudinis organorum; superficie thoracis impresso-punctata, etiamque in dorso punctis pluribus notata; abdomine superne rufo-brunneo seu fusco, area dorsali limitibus lateralibus profunde bi-trisinuatis; *mas* unguibus mandibularum intus dente minuto, ægrius observando: mandibulis in apice ipso supra insertionem unguis inermibus.

Sund. A:o 1829, p. 210 (secundum typum, a Dom. Prof. Sund. mihi communicatum).

Thorax omnino ut in specie præcedente constructus, scilicet: antice latus, vel $^3/_4$ latitudinis medii, et in occipite depressiusculus, hic fovea lata vadosa, ut et impressione normali obliqua partis cephalicæ satis profunda præditus. Ab illa specie distinguitur colore mandibularum piceo, nec luteo-brunneo, horumque crassitudine et brevitate; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim longit. tantum $2^3/_4$ - 3 mm.; area dorsalis abdominis ad latera profunde sinuata. Latera mox juxta occiput et dorsum partis thoracicæ non omnino gla-

bra, sed punctis nonnullis adspersa. Ab insequente differt colore thoracis luteo-brunneo nec nigro seu nigro-piceo, superficieque non evidenter tam dense ad latera dorsi impresso-punctata; pars cephalica depresso-plana nec transverse convexa, et impressio lateralis obliqua paullo profundior. Clypeus ut in *P. Clerckii* in medio marginis paullo retusus, quæ retusio in *P. De Gérii* non tam evidenter adest (?); mandibulæ, bene inspectæ, æque crassæ atque efficit 3/4 earum longitudinis, vel crassitie media non multo minore quam spatium, quod ab oculorum serie antica occupatur.

In Scan. et Blek. a *Sundevall* inventa; mense Junio ad prædium Jonsered, prope Gothob. a me ipse capta. Ut videtur, minus frequenter ocurrit; in Ostrog., *v. Post.*

3. **P. De Gérii** (Sund.): thorace longit. 1 1/2 mm., unicolore, nigricante, ubique impresso-punctato, etiam in lateribus occipitis; mandibulis colore thoracis, vel interdum piceis, elongato-ovatis, vix crassioribus quam efficit spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum; abdomine superne colore variante, area dorsali limitibus lateralibus profunde sinuatis, in medio linea longitudinali gemina alba, sæpe maculatim divulsa notata; patellis anticis in ♀ longit. 1/3 tibiarum evidenter attingentibus.

Sundev. A:o 1829, p. 211. — *Theridion vernale* Hahn die Ar. II, p. 38, T. 53, f. 123. — *Linyphia De Gérii* Walck. Apt. II, p. 269. — *Pach. De Gérii* Koch XII, p. 143, T. 430, f. 1065.

Pullus: linea media gemina in area dorsali abdominis et vitta maculari laterali, areæ dorsali adjacente, colore argenteis, nitidissimis; thorace pallidiore vestigiis lineolarum fuscarum.

An hic ad *Pach. De Gérii* vel *Listeri*, præsertim ad hanc referendus sit nec ne, non certo dijudicare queo; potius crederem illum ad *P. De Gérii* pertinere.

Pach. Clerckii Koch loc. cit. p. 146, T. 430, f. 1067.

Maris palporum pars tibialis extus cum lamella acuminata, sub apice affixa, paullo iufuscatæ; hæc apice eviden-

ter longius ultra apicem bulbi genitalis descendit; bulbus ut in ♂ *P. Clerckii* globosus et nitidus; paullo minus, ita ut crassitiem mandibularum non attingere videatur. In utroque sexu retusio media in margine clypei supra os quam in præcedentibus multo vadosior est, vix ulla (?), saltem ægerrime observanda.

Habitat sub foliis deciduis et lapidibus; sæpissime in plantis excipulo capta ad Gothob., præsertim in locis humidis. In Gottl. *Sundevall;* in Scania *Id.* et *Boheman;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

IV. ERO Koch.

Thorax ovatus, dorso semigloboso-fornicatus; fovea ordinaria non centralis sed pone medium sita, exigua. Oculi duo intermedii antici saltem æque longe ab ore atque ab oculis duobus intermediis posticis siti, omnes quatuor in quadratum dispositi; duo oculi laterales inter se arcte approximati. Clypeus decliviter ad basin mandibularum descendens, propter prominentiam oculorum 2 intermediorum anticorum quasi infra hos impressus. Mandibulæ ut in *Theridiis* tenues et breves, evidenter angustiores quam femora antica. Maxillæ ut in eodem genere extus attenuatæ, apicibus convergentibus. Abdomen globosum, pictum, pilis vel setulis rigidis, erectis, rarioribus indutum. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, tibiis anticis 4:plo longioribus quam patellæ; anteriores in *Erone variegata* seriatim, posteriores sparsim aculeati, his præsertim aculeo uno apicali in patellis, unoque versus basin et apicem tibiarum, superne positis instructis. Retia irregularia in locis umbrosis, inter plantas, ramulos et alia construuntur; sæpe sub foliis et quisquiliis juniores versantur.

Exceptis forma thoracis et armatura pedum, parum a *Theridio* differt. Abdomen in specie una, mihi cognita, anterius in dorso tuberculis duobus instructum. *Aranea tuberculata* De Géer, hactenus, a me non capta, tuberculis quatuor instructa, forsitan etiam ad genus *Ero* pertinet.

1. **E. variegata** (KOCH): Thorace pallido, margine, capitis lunula laterali, lineaque media dorsi nigris; abdomine globoso, pallide lutescente, fusco-punctato et nigro-maculato, ante medium superne tuberculis duobus minoribus, transverse positis instructo; pedibus pallidis, regulariter fusco- vel nigro-annulatis, setis rigidis aculeisque gracilibus vestitis, horum præsertim 5 in metatarsis anticis et 3 in secundis insigniter longioribus et in seriem regularem in latere antico dispositis, patentibus.

E. variegata KOCH in Herrich Schaffer Deutschl. Jns. 188, 5 & 6, Deutschl. Crust. Myr. und Arachn. N:o 6 & 7, et Uebers. des Ar. Syst. I, p. 8. — *E. variegata* WALCK. Apt. II, p. 332, 42. — *Theridion thoracicum* WIDER Mus. Senck. I, p. 218, T. 14, f. 11.

Femina. Thorax longit. 1½, pedes antici 6—7 mm.; illo ovatus, dorso valde convexus, fornicatus, a latere contemplatus fere hemisphæricus; linea media nigra thoracis sæpe postice quasi hastata et antice una cum lunala vel lineola laterali partis cephalicæ formam tridentis refert; thorax subtus maculis connexis fuscis juxta coxas notatus; altitudo clypei vix major quam spatium, ab oculis 4 intermediis occupatum; oculi intermedii antici inter se non longius quam a lateralibus distant. Abdominis latera notantur anterius punctis, in maculam congregatis, nigris, posticeque signatura ejusmodi, quæ cum opposita per striolam transversam in dorso connectitur; inter hanc striolam et tubercula dorsalia striola altera transversa observatur; hæ signaturæ in *var. b.* obsoletiores, vel ad partem obliteratæ, et tunc abdominis pictura pallidius et magis diffuse lutescit seu flavescit. Tubercula minuta, simiglobosa, inter basin et medium dorsi sita, vel unicoloria vel seminigra sunt. Pedes prop. 1, 2, 4, 3, colore thoracis; femora nigro-, tibiæ et tarsi nigro-piceo-annulata; patellæ anticæ longit. ⅓ tibiarum; aculei 5 in metatarsis anticis et 3 in secundis ad medium leviter arcuati, non pedibus adpressi sed patentes; tibiæ anteriores, bene inspectæ, etiam in latere antico aculeis 6—7, in eandem directionem atque in metatarsis seriatim digestis; hi aculei autem et breviores et graciliores sunt; pedes, aculeis

seriatis exceptis, nonnullis alteris verticalibus seu erectis instructi, quorum 1 in apice patellarum, 1 versus basin et apicem tibiarum situs est; hi aculei, qui robusti sunt, illis setis verticalibus respondent, qui in iisdem locis in plerisque *Theridiis* adsunt; præter eos aculeos observandi sunt aculei duo alteri versus medium metatarsorum posteriorum, in annulo nigro radicati, et denique aculeus brevior superne in femoribus, in annulo medio situs. Pedum annuli fusci consistunt: in tribus in femoribus et tibiis, quorum 1 basalis, 1 apicalis et 1 medius: in duobus in metatarsis, quorum 1 medius et 1 apicalis. Abdomen setis rigidissimis parce vestitum.

Mas. Clypeus evidenter longior quam spatium inter oculos intermedios anticos et posticos. Mandibulæ tenues, angustiores quam femora antica. Palporum pars patellaris nodosa, vel paullo ovata, dimidio brevior quam pars tibialis; hæc superne subgibba, vel sensim incrassata, pilis quibusdam patentibus sublongis vestita; bulbus vix crassior quam femora antica, juxta basin superne tuberculo fusco-nigricante, et apicem versus calcaribus quibusdam minoribus armatus. Abdominis pictura ut in ♀; in exemplis lustratis anus superne luteo-rufescens; tubercula dorsalia ut in ♀ adsunt.

Mense Augusto-Septembri sub muscis montium et lapidum, in locis montosis, ad Gothob. capta. Sub foliis deciduis etiam lecta. In Upl.. *Thorell.*

2. **E. tuberculata** (De Géer): sordide pallida, parte cephalica macula laterali, parte thoracica linea media et marginali nigris, hac introrsum sinuata; abdomine rufescenti-tincto, dorso medium versus tuberculis 2 majoribus et pone medium 2 alteris minoribus, per paria dispositis, posticis inter se distantioribus, pedibus pallidis nigro-annulatis, tenuiter aculeatis (secundum descriptionem Dom. *Koch*).

Ar. tuberculata De Géer VII, p. 226, Pl. 13, f. 1—9. — *Theridion aphane* Walck. Apt. II, p. 330, 41. — *Ero tuberc.* Koch in Herrich-Schäff. Crust. Myr. und Ar. H. 5, t. 3 et 4 et Die Ar. XII, p. 107, T. 420, f. 1034.

Femina (secundum descriptionem *Kochii*) thorace pallido (linea marginali forsitan interdum in maculas divulsa). Abdomen rubicundum fusco-mixtum, antice macula albida, rubedine tincta, hic linea longitudinali fusca notatum; ante tubercula maculis annuliformibus albidis maculatum; abdominis tubercula posteriora et declivitas postica albidescentia, hæc medio colore fusco et lutescente variegata, maculis transversalibus fuscis picta. Venter rubicundus. Pedes albidi, patellis rufo-brunneis, femoribus tibiisque nigro-annulatis. Tibiæ anticæ secundum figuras, a Dom. *Koch* datas, aculeis paucioribus et brevioribus quam in *E. variegata* armatæ, aculeis in tibiis et metatarsis, in latere antico sitis, etiam paucis et brevibus.

Mas interdum minus læte coloratus; minor quam ♀. Palpi pallidi, lamina ordinaria testacea, membro genitali castaneo.

Secundum Dom. *Koch* habitat in ædificiis hortensibus et rurestribus. Post ætatem Dom. *De Géeri* non in Svecia, quantum scio, inventa.

V. THERIDIUM WALCK.

Thorax humilis, fovea ordinaria plerumque centralis; pars cephalica plerumque parva, per impressionem lateralem plus minus distincta; frons in plerisque latitudine tantum $^1/_3$ thoracis medii. Oculi 4 intermedii in quadratum dispositi, postici tamen in *Th. cellulano* et *serratipede* inter se paullo magis separati, in *Th. tristi* et *flavo-maculato* paullo magis approximati. Clypeus aut æque altus aut altior quam efficit distantia inter oculos intermedios anticos et posticos, plerumque infra illos impressus, vel iidem oculi eminentiæ communi impositi. Mandibulæ tenues, plerumque angustiores quam femora antica et raro longiores quam efficit altitudo facialis. Maxillæ extus angustatæ, ad apicem labii convergentes, (an etiam in *Th. cellulano*?). Abdomen parce pilosum, pilis satis longis, evidenter ultra cutem eminentibus vestitum, exceptis paucis speciebus, quæ

abdomen minus evidenter pilosulum habent; quoad formam varians, scilicet: jam pyriforme, sub medio, immo tertia parte ab ano thoraci affixum: jam globosum: jam ovatum: jam breviter ellipticum, sub tertia parte antica thoraci affixum; plerumque varie pictum. Pedes proportione 1, 2, 4, 3, vel 1, 4, 2, 3; in *Th. serratipede* nec non *flavo-maculato* 4, 1, 2, 3, vel antici et postici fere æquales; in illius speciei mare subtus denticulati sunt; in omnibus reliquis pilosi tantum, haud una aculeati; tibiæ superne pilis 2—3 verticalibus, ultra pilos ordinarios decumbentes evidenter eminentibus, instructæ. Femora subtus, erga lucem contemplata, pilis longitrorsum sparsis, plerumque crebrioribus quam, ex. gr., in genere *Linyphia*, ita ut rarius numerari possint. Retia irregularia, rarius tam densa, ut telam referant (ut rete *Th. bipunctati*, quod plerumque in domibus, rarius sub lapidibus et in rimis arborum observatur). Ova in globo, aut e lana molli, aut in sacculo duriusculo submembranaceo asservantur; sacculus interdum in cubiculo campanulato, in rete matris suspenso asservatur, in quo cubiculo mater indisinenter sacculum custodit.

Cave ne forsitan huc referas species quasdam minores Fam. I:mæ, ex. gr. *Zingam albovittatam*, *Herii* et *melanocephalam*, quæ differunt alia structura mandibularum et maxillarum, ut et tibiis aculeo uno alterove instructis, fronte latiore, clypeo minus alto, cet.

SECTIO I.

Feminæ pedes graciles; femora antica linearia vel superne haud longitrorsum convexa, longiuscula, vel thorace plerumque dimidio longiora et ultra. Mas Th. formosi, femoribus anticis leviter incrassatis, huc relatus; ille a specie una Sect. II:dæ, cui quoad colorem pedum thoracisque subsimilis est, scilicet Th. pulchello, differt fronte evidenter angustiore quam $^1/_2$ *partis thoracicæ, mandibulis non duplo longioribus quam altitudo facialis, tibiisque posticis apicibus evidenter nigro- seu fusco-annulatis.*

c) **Pedum anticorum patellæ longit. tantum 1/5—1/4 tibiarum, ut in perpaucis divisionis *b*), at simul sunt patellæ posticæ non longiores quam 1/4 tibiarum, saltem evidenter non 1/3 attingunt. Frons minus angusta, vel quam dimidia latitudo partis thoracicæ non angustior. Altitudo facialis dimidio brevior quam mandibulæ. (*Th. cellulano* Clerck, quod ipse non vidi, oculis intermediis posticis inter se magis distantibus quam interm. antici, huc relatum).**

1. **Th. lineatum** (Clerck): pallide flavescens; abdomine aut unicolore, utrinque serie punctorum nigrorum, aut dorso vitta ovata flava, annulo rubro vel fusco circumdata, aut toto rubro vel fusco; pedibus unicoloribus, excepto summo apice tibiarum præsertim anticarum nigricante; ♂ mandibulis longiusculis, hiantibus, introrsum prope medium dente valido armatis.

Var. a: abdominis dorsum unicolor.

Ar. lineatus Clerck p. 60, pl. 3, T. 10. — Walck. F. par. II, p. 210, et Tabl. p. 73.

Var. b: abdominis dorsum vitta media, utrinque sinuata, flava, annulo ovali, sæpe juxta anum aperto, rubro vel sæpe in ♂ fuscescente cincta.

Ar. redimitus Clerck p. 59, pl. 3, T. 9. — *Ar. redimita* Linn. Faun. Sv. ed. 2, p. 488, 2004. — *Ar. coronata* De Géer VII, p. 242, N:o 11. — *Ar. redimita* Walck. Fn. par. II, p. 211. — *Ther. redimitum* Walck. Tabl. p. 73. — Latr. Gen. Cr. et Ins. I, p. 97.

Var. c: abdominis dorsum vitta ovata magna rubra aut fusca, unicolore.

Ar. ovatus Clerck p. 58, pl. 3, t. 8. — Walck. F. par. II, p. 211, et Tabl. p. 73.

Adde: *Th. ovatum* Sund. A:o 1831, p. 113 (omnes varietates). — *Ther. redimitum* Hahn die Ar. I, p. 86, T. 21, f. 65 et Mon. Ar. 4, pl. 4 C (*Var. c*). — Koch XII, p. 133, T. 427, f. 1053—55 (*Var. a* et *c*). — *Th. lineatum* Walck. Apt. II, p. 285. — Thorell Rec. crit. p. 29 (omnes varietates).

Oculi intermedii antici inter se haud distantiores quam efficit spatium inter eos et laterales anticos. Patellæ anticæ longit. 1/5 tantum tibiarum; posticæ evidenter breviores quam

$\frac{1}{3}$ harum. Thorax longit. 2, tibiæ et patellæ anticæ conjunctim 4—5 mm.

Ad Gothob. frequens. Nidus aut inter duo folia, aut in uno folio convoluto comparatur. Saccus ovorum glaucus, lanatus, haud membranaceus; ova, ad 100—130 numerata, fine æstatis excluduntur. In Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Scan. et Blek., *Boheman;* in Scan., Blek., Bahus., Gottl. Oeland. et Upl., *Sundevall;* in Ostrog., *v. Post.*

2. **Th. cellulanum** (Clerck): *Femina* longit. circiter 4 mm., fusco-testacea, vitta cephalo-thoracis in medio angustata pedumque annulis nigro-fuscis, abdomine nigro-fusco, longius flavo-piloso, macula supra anum flava aliaque utrinque in latere testacea.

Araneus cellulanus Clerck, Aran. svec. p. 62, pl. 4, tab. 12. — *Ther. idem* Thorell, om Clercks original-spindelsamling, p. 150.

Descriptio Dom. Thorellii. "Femina adulta: cephalothorax 2 mm. longus, obovato-cordatus, longitudine parum angustior, lateribus æque rotundatis, postice subtruncatus, parte cephalica parum expressa. Sternum nigrum, rotundato-ovatum, subconvexum. Oculi medii antici minimi, medii postici maximi; hi inter se dimidio longius distantes quam illi; oculi laterales inter se contingentes. Series oculorum anticorum a margine frontis spatio distat, quod dimidiam longitudinem (certo lapsus calami, nonne rectius *latitudinem?*) areæ oculorum æquat. Mandibulæ femore paullo angustiores, latitudine duplo longiores. Maxillæ magnæ, ovatæ; labium transversum, apice truncatum. Palpi graciles, cephalothorace dimidio longiores, pilosi, aculeis nullis. Pedes longi, graciles, proportione 1, 2, 4, 3: secundi et quarti paris eadem fere longitudine; primi paris cephalothorace 8:plo longiores (16 mm.), tibia $4\frac{1}{2}$ longiora quam patella; tertii paris 9 mm. longi: omnes dense pilosi, nullis aculeis. Abdomen sat parvum, ovatum, pilis longioribus sub-villosum.

Cephalothorax fusco-testaceus, vitta dorsali lata, in medio valde angustata, summoque margine nigro-fuscis. Sternum et oris partes fusco-testacea; mandibulæ in dorso

sub-infuscatæ. Palpi testacei, vix fusco-annulati, parte tarsali fusciori. Pedes fusco-testacei; femora et tibiæ annulis trinis fuscis, ad apicem, medium et basin: metatarsi binis tantum, in medio et ad apicem; tarsi testaceo- fusci. Abdomen nigro-fuscum, pilis longis flavis vestitum et macula flavissima, piro simili supra anum notatum; ante hanc maculam transverse rugosum est, rugarum interstitiis in medio flaventibus; postice in lateribus abdominis adest præterea macula utrinque testacea, et in dorso ejus antico plaga, ea quoque testacea, quum viveret aranea, adfuisse videtur. Maculæ pulmonales et regio circa epigynen plagam formant testaceam, fere glabram. Mamillæ subtestaceæ.

Unum exemplum femineum, siccatum, in thesauro Clerckii asservatum vidi. — *Linyphia cellulana* Sund. (Acta Holm. 1831, p. 108) et *L. crypticola*, cui Walck. *Ar. cellulanum* Clerck subjunxit (Ins. Apt. II, p. 278), aliæ sint species necesse est. Nec *Metam cellulanam* Koch (Die Ar. VIII, p. 123, figg. 691—692) nostræ araneæ subjicere audeo; nimium enim differe videtur, præsertim colore abdominis."

b) *Feminæ* patellæ anticæ longitudine $1/3$ tibiarum, vel longiores, rarius tantum $1/4$—$1/5$ harum, simulque sunt patellæ posticæ saltem $1/2$ tibiarum longitudinis, plerumque longiores. Abdomen in plerisque dorso altius fornicatum, longe supra basin thoracis prominens; ovatum vel globosum, interdum subpyriforme et tunc cum ano perpendiculariter deorsum pendens. Pictura plerumque lætior.

3. **Th. tepidariorum** (Koch): *Femina* thorace pallido-grisescente vel pallido-lutescente; abdomine luteo plus minus e punctulis vel undulis nigris infuscato, et præterea sæpe albo-punctato, macula laterali nigra, postice albido-cincta, area supra anum ovata nigro-limitata, introrsum arcus pallidos et nigros alternantes includente; ventre juxta mamillas macula triangulari nigra; pedibus pallidis, coxis concoloribus; illis fusco-annulatis; tibiis, excepto annulo apicali, ut in reliquis articulis annulo medio distincto; femoribus anticis longit. $4\,1/2$—5, patellis et tibiis

$^1/_3$ harum. Thorax longit. 2, tibiæ et patellæ junctim 4—5 mm.

Ad Gothob. frequens. Nidus aut inter in uno folio convoluto comparatur. Saccus ovi lanatus, haud membranaceus; ova, ad 100—1 fine æstatis excluduntur. In Upl., *Clerck* et *Tho* et Blek., *Boheman;* in Scan., Blek., Bahus., C et Upl., *Sundevall;* in Ostrog., *v. Post.*

2. **Th. cellulanum** (Clerck): *Femina* longit. c fusco-testacea, vitta cephalo-thoracis in me pedumque annulis nigro-fuscis, abdomine longius flavo-piloso, macula supra anum utrinque in latere testacea.

Araneus cellulanus Clerck, Aran. svec. p. 62, *Ther. idem* Thorell, om Clercks original-spindels

Descriptio Dom. Thorellii. "Femina a lothorax 2 mm. longus, obovato-cordatus, lon angustior, lateribus æque rotundatis, postice parte cephalica parum expressa. Sternum nigr. ovatum, subconvexum. Oculi medii antici postici maximi; hi inter se dimidio longius illi; oculi laterales inter se contingentes. S anticorum a margine frontis spatio distat, quod tudinem (certo lapsus calami, nonne rectius lat oculorum æquat. Mandibulæ femore paullo titudine duplo longiores. Maxillæ magnæ, transversum, apice truncatum. Palpi graci race dimidio longiores, pilosi, aculeis nulli graciles, proportione 1, 2, 4, 3: secundi eadem fere longitudine; primi paris cepl longiores (16 mm.), tibia $4^1/_2$ longiora qua paris 9 mm. longi: omnes dense pilosi, nu domen sat parvum, ovatum, pilis longioril

Cephalothorax fusco-testaceus, vitta medio valde angustata, summoque marg Sternum et oris partes fusco-testacea; ma

m obsole-

omo, quæ
m; inter-
Ost Indi-
reti libe-
molliore,
n, diame-
ur, paullo
liæ species
a *T. Tho-*

race abdo-
sin macu-
n curvatis,
ræjacentem
ula magna
seu luteo-
us pallidis,
n extus ni-
, in siccatis
medio fusco
.
te luteo; co-
nte; tibiarum

ntibus, his ar-
♂.
llidius
icis tan
6 poster
to, femorib
incrassati
femoribu
(conf.

conjunctim $4^3/_4$, his ambobus articulis una cum tarsis 11, totis pedibus 15—16 mm.

Mas: thorace pedibusque rufescentibus, his obsolete annulatis, paullo longioribus.

Juniores: variant abdomine nigricante, lunulis duabus lateralibus, punctisque 3—4 supra anum, longitudinaliter seriatis, flavis.

KOCH VIII, p. 75, T. 273, f. 646 et tab. 274, f. 647—48. — *Th. lunatum* SUND. A:o 1829, p. 111. — (*Ar. lunatus* CLERCK p. 52, pl. 3, T. 1 videtur esse specimen junius; confer THORELL Rec. crit. p. 28, et descriptionem nostram *Th. formosi* (4)).

Femina major in hoc genere. Thorax longit. $2^2/_3$—3 mm., patellæ et tibiæ posticæ conjunctim $3^3/_4$, una cum tarsis $8^1/_2$—9 mm. Color thoracis pallidus vel languide lutescens, in mortuis plerumque lurido-nigricans. Abdomen præsertim post expansionem per ova magis nitidum; in senioribus tantum magis perpendiculariter cum mamillis deorsum spectans, subpyriforme, versus basin densius nigropunctatum vel maculatum, spatio medio vel regione circa venam, e corde exeuntem, sub epidermide translucentem, pallidiore, minus infuscato; versus latera etiam ita pictum, punctis congregatis nigris, maculam magnam formantibus notatum; hæc macula linea procurva, punctatim abrupta, postice circumdata est, et sæpe observatur linea altera ejusmodi, propius basin sita, ut in *Th. saxatili* (5); hæ lineæ sæpe, præsertim in senioribus, ovis repletis cuteque expansa, valde obsoletæ; mox supra anum neque macula neque punctum ullum luteo-rubicundum observatur; regio postica ad tertiam partem dorsi cingitur arcu majore, e punctis vel lineolis formato, et supra anum observantur lineæ nonnullæ arcuatæ nigræ et pallidæ, alternantes; hæc pictura in junioribus et subadultis magis conspicua; latera inferius punctis vel undulis nigris picta. Pedes pallidi, coxis concoloribus; femora et reliqui articuli annulo medio et apicali fuscis; patellæ luteo-testaceæ, harum anticæ fere longiores quam $^1/_3$ tibiarum; tarsi antici $^1/_3$ metatarsorum haud evi-

denter superant; annulus femorum medius interdum obsoletior, præsertim in femoribus posticis.

In ædificiis tepidariis hortorum, ex gr. in domo, quæ vocatur "*Victoria Regia*", ad Gothob. capiose lectum; interdum in angulis portarum in domo, quæ vocatur *Ost Indiska Huset*, ibidem inventum. Saccum ovorum, in reti liberum suspensum, 5 Septembris inveni, e textura molliore, parum membranacea, grisea seu cinerea contextum, diametro longit 8—9 mm.; locus, quo saccus reti affigitur, paullo productus esse solet. Aranea non ut nonnullæ aliæ species cubiculum campanulatum sibi comparat. In Upl. a *T. Thorell* inventum.

4. **Th. formosum** (Clerck): *Femina var. a.* thorace abdomineque nigricantibus, hoc supra versus basin maculis nonnullis et in lateribus lineis, antrorsum curvatis, albissimis, harum antica longiore, maculam præjacentem rufo-castaneam cingente; dorso postice macula magna ovata, ad anum extensa, pallide flavescente seu luteofulvescente; palpis maxima parte nigris; pedibus pallidis, coxis totis, femoribus tibiisque omnium pedum extus nigricantibus, tibiis anticis ultra medium piceis, in siccatis fere totis fusco-nigricantibus; tibiis annulo medio fusco nullo; femoribus anticis longit. $2^2/_3$—3 mm.

Var. b. ♀: abdominis fundo maxima parte luteo; colore pedum fusco in pallide rufum transeunte; tibiarum præsertim posticarum apice nigro.

Var. c. ♀: thorace pedibusque rufescentibus, his articulis annulis obsoletis, ut in *var. b.* et ♂.

Mas thorace saturatius, pedibus pallidius rufescentibus, his annulis obsoletis, tibiis posticis tamen annulo apicali nigro seu piceo; femoribus 6 posterioribus, ut anticis, annulo apicali nullo distincto, femoribus anticis ad medium sensim at tamen leviter incrassatis, nec omnino linearibus; pedum anticorum femoribus longit. $2^1/_4$, patellis et tibiis conjunctim 2 mm. (conf. *Th. saxatile* ♂).

Ar. formosus CLERCK, p. 56, Pl. 3, t. 6. — *Ar. sisipha* WALCK. F. par. II. p. 206. — *Th. sisiph.* IDEM Tab. d. Ar. 74. — HAHN Mon. Ar. 8, 2, f. e. et die Ar. II, p. 47, T. 58, f. 132. — *Th. lunatum* KOCH VIII, p. 74, T. 273, f. 645 et XII, p. 137, T. 429, f. 1660—61. — *Th. sisyphum* WALCK. Apt. II, p. 298 (excl. syn. *Th. pallidi* KOCH, cujus figura in opere KOCHII, P. III, p. 64, T. 94, f. 216 speciem distinctissimam generis *Linyphiarum* repræsentat et certe lapsu calami a Dom. KOCH nomine generico "*Theridio*" designata). — *Steatoda lunata* THORELL Rec. crit. p. 28. (*Ar. lunatus* CLERCK p. 52, pl. 3, t. 7 incertum synonymon esse videtur; an ad *Th. tepidariorum, formosum* vel *saxatile* referendum? Figura et descriptio *Th. formosi*, a CLERCK datæ, inter optimas sunt, quam ob rem in eligendis synonymis nomen *lunatum* neutiquam est præferendum. Specimen junius *Th. tepidariorum* juxta seniores inveni, quod cum figura *Ar. lunati Clerck* valde congruit).

Femina. Thorax long. $1^2/_3$—2, pedes antici 9, femora $2^2/_3$—3, metatarsi et tarsi conjunctim $3^3/_4$—4 mm.; thorax niger vel piceus, glaber, nitidus. Abdomen notatur: supra basin plerumque maculis vel lineolis duabus distinctioribus, oppositis, et sæpe præterea punctis nonnullis adjacentibus: tum versus medium dorsi lineis 3 lateralibus, antrorsum arcuatis, antica majore, in sinu colore rufo-castaneo seu fulvo repleta; hujus lineæ apice superiore cum linea opposita in summo dorso convergentibus, duabus pone eam brevioribus inter se fere contiguis, intervallo sæpe fulvo contaminato: porro punctis duobus pone apices convergentes linearum anticarum, omnibus iis signaturis colore albissimis, hoc continuo nec punctatim divulso: denique, in parte postica abdominis dorsi, macula magna ovata, ad anum extensa, flavo-albida; color basalis, lateralis et regio ante hanc maculam in fundo in *var. a.* nigricans, obsoletius luteo-punctatus; pictura alba et lutea seu rufescens distinctior est; in *var. b.* est color idem pallide luteus, punctis striolisve paucis nigris passim intermixtis, signaturis albidis minus lætis seu languidius provenientibus. Pedes prop. 1, 4, 2, 3; patellis anticis long. ultra $1/_3$ tibiarum, tarsis paullo ultra $1/_3$ metatarsorum; *var. a.* coxis, patellis et apicibus reliquorum articulorum plus minus late nigro- vel rufo-piceis, tibiis anticis plerumque maxima parte pictura eadem; tibiis posticis, in permul-

tis exemplis lustratis, etiam in *var. b* et *c*, semper late nigris; metatarsorum eorundem pedum summo apice etiam eadem pictura. Palpi maxima parte nigricant, in *var. b.* et ♂ plerumque picei. In exemplis pluribus fuscioribus venter macula lutea juxta mamillas notatus. *Mas* notis, in diagnosi allatis, facile dignoscitur a ♂ *Th. saxatilis* (5).

Rete plerumque amplum, e filis multis irregularibus contextum, in cujus media parte ipsum cubiculum campanulatum, cum foliolis et quisquiliis intertextum, suspenditur. Numerus saccorum ovorum variat ab uno ad tres, vel sæpe plures, diametro saccorum longit. $3^{1}/_{2}$, usque 6 mm.; hi membranacei, brunnei s. corticini, superficie plus minus inæquali, subrugulosa; ova 50 usque ad 130 numeravi.

Ad Gothob. inter rimas majores montium et lapidum majorum, in sæpibus lapideis et inter truncos arborum frequenter inveniuntur retia suspensa, in quibus araneola aut subversa pendet, aut in cubiculo latitat. In Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

5. **Th. saxatile** (KOCH): *Femina* thorace aut nigricante aut piceo; abdomine in fundo aut lutescente aut rufo-ferrugineo, e punctis vel undulis nigris plus minus infuscato, lineolis utrinque duabus antrorsum arcuatis, distantioribus, superne convergentibus, e punctis crebris albidis, vix ex albedine cohærente formatis; declivitate postica arcu majore nigro cincta, hoc plerumque angulos vel arcus quosdam nigros et luteos alternantes, et denique maculam vel punctum rubicundum supra anum includente; pedibus pallidis, apicibus femorum et tibiarum, una cum patellis, aut rufopiceis aut nigris; tibiis anticis annulo ante medium fusco, sæpe obsoleto; femoribus anticis longitudine $2^{1}/_{2}$ mm.

Mas thorace dilutius rufo-piceo vel ferrugineo, in siccatis sæpe nigricante; pedibus pallide testaceis, apice femorum una cum patellis rufo-ferrugineis; tibiis anticis ut in ♀ apicibus tantum pictis, et loco nigredinis in apice tibiarum posticarum his ibi sæpe rufo-ferrugineis;

apice femorum posticorum distincte rufo- vel piceo-annulato, nec ut in *Th. formoso* unicolore; femoribus anticis linearibus, nec ut in illa specie paullo crassioribus quam reliqua; abdomine fusco-rufescente, posterius longitrorsum luteo-rufescente, lineis in medio dorsi arcuatis albidis distinctioribus; in siccatis abdomen sæpe uberius nigricans videtur, pictura albida anteriore læte proveniente.

Var. a. ♀ thorace cum coxis saturate piceis, abdomine in fundo rufo-ferrugineo vel cinnamomeo, minus crebre fusco-punctato; pedum patellis apicibusque articulorum pallide rufo-ferrugineis, tibiis autem posticis apice saturate nigris; tibiis anticis ante medium annulo obsoleto aut nullo; abdominis arcubus albidis plus minus distinctis.

Th. saxatile KOCH IV, p. 116, t. 141, f. 324, 325. — WALCK. Apt. II, p. 328.

Var. b. ♀ thorace cum coxis piceo-nigris, abdomine in fundo lutescente, punctis vel undulis crebris nigris infuscato; pedum pictura nigra; tibiis anticis ante medium annulo distinctiore nigro; abdomine arcubus 2 lateralibus albidis plus minus evidentibus (in exemplis ovis distentis plerumque obsoletioribus); ♂ thorace, pictura pedum et abdomine nigricantibus, hoc, præter punctum et signaturam angulatam in dorso, albissima, nulla alia pictura notato.

Femina structura fere præcedentis, a qua differt magnitudine nonnihil minore et pictura abdominis longe alia. Thorax 1½, pedes antici 7—7½, femora 2½, metatarsi una cum tarsis 2¾ mm. Cum *Th. tepidariorum* (3), quo dimidio minor est, exempla fusciora quoad colorem abdominis satis congruunt. Lineæ abdominis arcuatæ tantummodo e punctis congestis albidis constant, postica longiore, in summo dorso quasi retrorsum geniculata, geniculis in uno specimine lustrato *varietatis a.* maculam subcordatam nigram includentibus; (ut in figura, a *Koch* delineata,). Pedes proportione 1, 4, 2, 3; patellæ anticæ vix ultra ⅓ tibiarum et tarsi evidenter longiores quam ⅓ metatarsorum; tibiæ anteriores non longius quam ad tertiam partem nigro-pictæ, annulo ante

medium præsertim in senioribus distinctiore; color patellarum in utraque varietate rufo-piceus; venter in *var. b*, uno specimine lustrato, niger unicolor, an semper?

Mas a ♂ *Th. formosi* (4), cui satis similis est, mox distinguitur gracilitate femorum anticorum; hæc linearia, nec ad minimum versus medium magis incrassata; apex femorum posticorum in *Th. saxatili* semper aut rufo-piceo- aut nigro-annulatus, in *Th. formoso* autem concolor est; pedes, accuratius comparati, in *Th. saxatili* longiores, ita ut femora antica 2 $^3/_4$, patellæ cum tibiis 2 $^1/_3$, in *Th. formosi* autem illa tantum 2 $^1/_3$, hi 2 $^1/_4$ mm. attingere mihi videantur.

Var. a, ambo sexus, 4 Julii ad Prædium Steka, prope Gothob., in gramine juxta truncum arboris, *var. b*. 13 Augusti ad Prædium Jonsered excipulo lecta. *Mas* ad Prædium Särö Hallandiæ captus.

6. **Th. pictum** (WALCK.) *Mas* et *Fem.* (in spiritu vini asservata) thorace pallide luteo, linea media marginibusque brunneis; abdomine ovato fusco, vitta dorsali latiore, sensim attenuata, aut pallida rufo-reticulata, aut fere tota rubicunda, marginibus albidis acutissime angulata, angulis anterioribus sæpe ad latera productis, vitta anterius latitudine $^3/_4$ latitudinis thoracis attingente; pedibus pallide testaceis, articulorum apicibus et medio brunneo- vel fusco-cinctis.

Ar. picta WALCK. Faun. par. II, p. 207. — *Ther. pictum* WALCK. Tabl. p. 74. — HAHN die Ar. I p. 90, T. 22, f. 68. — WALCK. Apt. II, p. 304. — *Th. ornatum* HAHN Mon. Ar. 6. 8, f. 6? — *Th. pictum* KOCH XII, p. 139, T. 429, f. 1062—63.

Thorax longit. 1 $^1/_2$, pedes antici 7 $^1/_2$ mm., vel paullo longiores quam in *Th. denticulato* (7), patellæ cum tibiis anticis conjunctim long. 3—3 $^1/_4$ mm. Ab illa specie constanter differt forma et latitudine majore vittæ abdominis ut et annulis pedum, qui picei vel brunnei nec nigri sunt, an etiam in vivis?; apex autem tibiarum et metatarsorum pe-

dum posticorum, ut in pluribus aliis speciebus, saturatior, nigricans; femora non infra apicem nigro-maculata. Vitta abdominis incipit stipite longiore, e summa basi pallida excurrente; anguli vittæ circiter 6, deinceps obsoletiores; anguli anteriores fere semper evidenter ad latera producti; vitta anterius duplo latior quam prope anum, vel sensim acuminata, nec ut in *Th. denticulato* ubique subæqualiter lata; vitta postice sæpe divulsa est, relictis maculis subliberis rubicundis vel albidis. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, vel deinceps longit. 7 $^1/_2$—5 $^1/_2$—4—6 mm.; patellæ anticæ longit. $^1/_3$ tibiarum; tarsi non evidenter breviores quam dimidium metatarsorum, saltem quam $^1/_3$ horum evidentissime longiores. Pectus colore dorsali, linea brunnea juxta coxas circumdatum. *Maris* venter antice inter scutula pulmonalia elevatione tumida oblonga, nitida præditus, similiter atque in nonnullis aliis *Theridiis*, usque ad medium ventris extensa; an in exemplis vivis minus alte tumida?

Anno 1843 ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* captum.

7. **Th. denticulatum** (WALCK.): *Femina* thorace aut pallido, lateribus et vitta media nigris, aut præsertim in senioribus et exemplis siccatis fere toto nigricante; abdomine globoso, vitta in medio dorsi angustiore, e maculis quadratis seu rhombicis, connexis, colore aut rubris, plus minus evidenter flavo-marginatis, aut præsertim in junioribus vitta tota albida, ubique subæqualiter lata, vel nullibi vix dimidiam latitudinem thoracis attingente; pedibus pallidis; articulorum apicibus et medio late nigro-annulatis, annulo juxta medium femorum plerumque linea obliqua aucto; interstitiis pallidis in tibiis quam annuli nigri angustioribus.

Aranea dentic. WALCK. F. par. II, p. 208, 37, *Ther. id.* Tab. d. Ar. p. 74, 12, et Apt. II, p. 305. (Figura in Tab. 21, F. 3 D, a WALCK. data, vittam abdominis nimis latam demonstrat, hanc magis similem vittæ *Th. picti*, fac, angulos anticos ad latera magis productos fuisse).

Femina: thorax longit. 1—1⅓, pedes antici 5½—6, patellæ anticæ et tibiæ conjunctim 1¾ mm.; thoracis color in mortuis et subsiccatis magis unicoloriter nigricans videtur, in vivis, erga lucem inspectis, magis diaphano-pallidus, præsertim in junioribus; laterum margo et dorsi vitta media nigra; pectus nigro-cinctum. Dorsum abdominis ornatur serie longitudinali cohærente e maculis 6—7 subrhombicis, deinceps connexis, rubris l. sanguineis; macularum margo anticus aut totus aut exterius tantum flavescens, quo colore maculæ ultimæ minutiores plerumque totæ pictæ sunt; vitta macularis in variantibus obsoletior, remanente ipso margine, qui lineam utrinque sinuatam vel in ziczac digestam repræsentat; in junioribus vitta tota albida seu pallide flavescens est. Latera aut obsoletius aut evidentius signantur lineis, antrorsum arcuatis, fuscis, e maculis dorsalibus versus ventrem ductis, interjectis punctis nonnullis flavescentibus s. pallidis, in eandem directionem seriatis,plus minus constanter remanentibus, saltem relicto intervallo arcuato pallidiore; lineæ arcuatæ fuscæ interdum in puncta dissolutæ; versus anticam partem laterum observatur, ut in *Th. tincto* (9), arcus niger, deorsum flexus, præsertim in exemplis pallidioribus et junioribus evidentior. Venter juxta anum punctis congestis flavo-albidis, maculam communem fere semper constantem formantibus, notatus. Pedes prop. 1, 4, 2, 3, pallide diaphani; femora extus annulis 2—3, aut subdistinctis aut plus minus confluentibus, præsertim subtus; annulus pone medium plerumque fasciam obliquam format; patellæ apice, tibiæ et metatarsi in basi, apice et medio, tarsique in medio annulo nigricante notata; hic nigror dilatatus, unde interstitia ex annulis pallidis in tibiis et extus in metatarsis angustiora quam annuli nigri evadunt; patellæ anticæ longit. ⅓ tibiarum; tarsi saltem dimidiam longitudinem metatarsorum disticte attingunt, nec ut in pluribus aliis speciebus breviores sunt quam ½ eorum articulorum.

Seniores in rimis truncorum arborum ad Gothob. inventi; saccus ovorum, supra quem araneola sedebat, globosus, ex indusio lanato, molli, albido- vel languido-cinera-

scente contextus; ova griseo-albida. In Upl. a *Thorell* inventum.

Mense Aprili et Majo exempla plura juniora sub muscis in quercubus inventa; omnia thorace pallido, lateribus et vitta media nigris; abdomen aut pallide rufescens, seriebus lateralibus arcuatis e punctis nigris distinctis, vitta dorsali utrinque flexuosa albida, in antica parte per nervum vel venam rufo-pallidam, sub epidermide translucentem bipartita; aut in variantibus dorso uberius nigricante, vitta dorsali tantum quoad margines albidos remanente; in altera varietate vitta albida maculatim divulsa erat, remanentibus aut arcubus, transversim positis, aut maculis oppositis, oblique directis.

8. **Th. simile** (Koch): *Femina* thorace concolore abdomineque ferrugineis, hoc lateribus albo-punctulatis, dorso vitta rubicunda sinuata, albido-marginata, hujus parte antica in maculam subpyramidalem vel triangularem, ad maximam partem albidam amplificata; pedibus luteo-testaceis, apicibus articulorum ferrugineis.

Th, simile Koch Die Ar. III, p. 62, T. 94, f. 215, ♀; ibid. VIII, p. 79, T. 275, f. 649, ♂. — Walck. Apt. II, p. 314, 20.

Femina (specimen in spir. vini asservatum) paullo minor quam *Th. denticulatum* (7). Abdomen ut in illo globosiusculum, vittaque dorsalis e maculis subrhombicis vel ovatis connexis formata, at pars antica vittæ in maculam magnam triangularem vel subpyramidalem amplificata; hæc macula præsertim posterius colore albido picta; pars insequens angusta, colore rubicundo-brunnea, margine undulato lineaque tenui longitudinali media albidescentibus; abdominis latera albido-punctata, relicto spatio superiore, juxta vittam dorsalem, immaculato, ferrugineo-fusco, et quod instar vittæ latioris vittam interjacentem dorsalem cingit. Thorax unicoloriter ferrugineus, pectore luteo-brunneo, hujus limbo fusciore. Pedes luteo-testacei, apicibus articulorum tantum fuscioribus, tibiis metatarsisque haud annulo medio fusco cinctis. Patellæ anticæ longit. circiter $1/4$ (?) tibiarum, tarsi

$\frac{1}{2}$ metatarsorum, saltem evidenter longiores quam $\frac{1}{3}$ horum.
Specimen unicum in Scania a *Boheman* captum.

9. **Th. tinctum** (WALCK.): Thorace pallido, summo margine abrupte nigro, vel lineola punctove supra coxas tres anteriores picto; macula cuneata capitis, margine clypei annuloque pectorali, hoc striolam longitudinalem includente, nigris; abdomine globoso albido-flavescente, pictura variante; pedibus pallidis, femoribus tibiisque anterioribus nigro-punctatis maculatisque, tibiis posterioribus et metatarsis omnibus annulo medio et apicali nigris, patellis anticis evidenter brevioribus quam $\frac{1}{3}$ tibiarum.

Var. a: abdomen pallide subflavescens, fusco-venosum, macula basali magna, plerumque antice excisa vel sæpe in maculas duas divisa, nigra; post hanc maculam serie utrinque e lineolis obliquis nigris, his seriem dorsalem mediam, e maculis citrinis formatam, includentibus; hac serie (citrina) ex arcubus transversis aut e lineolis obliquis oppositis, approximatis, præsertim anterius formata, quaque signatura citrina latus versus cum lineola nigra seriei memoratæ plerumque connexa; latera anterius pone maculam magnam basalem nigram colore subsanguineo tincta.

Var. b: abdominis dorsum propter signaturas nigras, uberius diffusas et confluentes, ut et propter reticulationem latiorem fuscam minus læte pictum; series igitur macularis citrina plus minus obliterata, tamen supra anum plerumque remanens; latera pallidiora, vel unicoloria vel languide rubicunda.

Inter has varietates plures occurrunt, quæ plus minus inter se discrepant.

Ar. tincta WALCK. F. par. II, p. 208 et *Theridion id.* Tabl. p. 75. — *Th. longimanum* SUND. A:o 1831, p. 110 (secundum typum ad me missum). — *Th. irroratum* KOCH IV, p. 120, T. 141, f. 327. — *Th. tinctum* WALCK. Apt. II, p. 308 (excl. syn. *Th. pectiti* SUND.).

Femina. Thorax longit. vix $1\frac{1}{2}$, pedes antici 8, patellæ anticæ una cum tibiis conjunctim $2\frac{2}{3}$—$2\frac{3}{4}$ mm.; tho-

rax lineolis marginalibus saltem tribus, singula supra coxas 3 anteriores sita, nigris; margo in corrugatis anguste niger videtur; pars cephalica macula cuneata, et pectus annulo, vel continuo vel maculari, nigris notata; hoc annulo in medio striolam, vel continuam vel in puncta duo abruptam includente; ipse margo supra os plerumque nigrescit, et mandibulæ lineola longitudinali, ut et palporum pars tibialis punctis ejusdem coloris notatæ. Abdominis latera, in exemplis normaliter pictis, versus basin inferius notantur arcu minore libero, et juxta medium laterum lituris subarcuatis e punctis quibusdam seriatis nigris, his e dorso deorsum ductis et sæpe tantum per puncta minutissima designatis; venter plerumque notatur macula juxta anum subtriangulari, apice uno antrorsum versa, aliaque macula difformi inter saccos pulmonales, nigris; in utroque latere maculæ triangularis præterea observatur punctum 1 vel 2—3 ejusdem coloris; venter non ut in *Th. pulchello* (16) a vitta media lata occupatur. Pedes pallido-diaphani, femoribus nigro-punctatis vel lineatis, apicem versus plerumque densius; puncta 2—4 ante medium, subtus sita, instar annuli superne translucent; tibiæ et metatarsi nigro-annulati, vel ad partem tantum subtus punctati; tibiæ anteriores plerumque subtus punctis 2—4, posteriores cingulo tantum solitario medio, præter apicalem obsoletum, notatæ; coxæ plerumque subtus nigromarginatæ. Pedum proportio 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longit. $\frac{1}{4}$ tibiarum; tarsi $\frac{1}{3}$ metatarsorum vix longiores.

Mas quoad picturam similis feminæ; puncta media nigra sub tibiis anticis sæpe in lineam communem confluentia. Mandibulæ altitudine capitali duplo longiores, prope basin subangulatim elevatæ. Clava palporum ovata, subgracilis, vel femoribus anticis vix crassior, rufo-fusca; instrumenta genitalia seta vel stilo subulato, mox pone medium clavæ exeunte armata, hoc interdum non in lucem proveniente.

A *Th. variante* (10), cui ad picturam dorsalem abdominis valde similis est, differt hujus lateribus non unicoloribus, femoribusque cum tibiis anterioribus non solum in apice sed etiam ante hunc nigro-maculatis.

Mense Majo, Junio, in fenestris et sub tectis domuum, interdum etiam in arbustis hortorum ad Gothob. inventum. In Scan. a *Sundevall & Boheman*, in Upl. a *Thorell* captum. In Ostrog., *v. Post.*

10. **Th. varians** (HAHN). *Femina* thorace pallido, parte cephalica macula cuneata fusca; pectoris margine discoque interdum nigro-punctatis; abdomine pallido, lateribus totis ventreque, præter locum genitalis sæpe fuscum, concoloribus; dorso vitta antice fere latiore quam thorax, posterius sensim angustata, plerumque antice nigra, posterius flavescente vel rufo-flavescente, hic nigro-marginata, marginibus sinuatis, in variantibus interruptis, et tunc lineolas obliquas oppositas formantibus; pedibus pallidis, patellis apice, tibiis metatarsisque annulo medio et apicali fuscis, his annulis quam intervalla pallida angustioribus, femoribus apicibus tantum fuscis, inferne immaculatis.

Mas? palporum lamina ordinaria late ovali, quam femora pedum anticorum duplo latiore, femoribus anticis ut in ♀ gracilibus, linearibus.

Th. varians HAHN die Ar. I, p. 63, T. 22, f. 71 & 72. — *Th. leuconotum* IDEM Monogr. Ar. VI, 3, f. B. 2. — *Th. varians* KOCH die Ar. XII, p. 134, T. 428, f. 1055—1058. — WALCK. Apt. II, p. 314.

Femina a *Th. tincto* (9) differt abdominis lateribus omnino unicoloribus ventreque tantum, ubi genitale locatum est, sæpe maculam fuscam repræsentante; pedes parcius nigro- seu fusco-maculati, qua in nota ut et latitudine majore vittæ abdominis a *Th. denticulato* facile distinguitur. A *Th. pulchello* (16) differt, ut reliqui hujus divisionis, femoribus anticis haud incrassatis, abdominisque lateribus haud vitta fusca notatis, an semper?, pictura thoracis et pedum longe alia. A *Th. minimo* (11), cui valde similis est, differt thoracis margine non evidenter fusco, abdominis vittæ antica parte latiore quam dimidia latitudo thoracis, lateribusque abdominis nec nigro-punctatis neque arcubus fuscis, e vitta dorsali

emissis notatis; puncta albida circa mamillas nulla. Thorax long. circiter $1\frac{1}{2}$ mm., et supra et subtus ut in *Th. tincto* pictus; pectus in specimine uno lustrato, in spir. vini asservato, lineola vel punctis discoidalibus caret; macula nigra in medio marginis clypei adest, aut, præsertim in exemplis in spiritu vini asservatis, deest. Vitta dorsalis abdominis antice, ut in *Th. tincto*, lata, immo plerumque latior, et tunc latitudinem thoracis fere superans, ut in illo sæpe in margine antico emarginata, vel sinu magno acuto pallido notata, haud ut in *Th. pulchello* in lineam versus declivitatem basalem producta; vitta præsertim anterius nigra, posterius quasi e maculis ovatis vel cordiformibus, connexis, flavidis formata, marginibus sinuatis nigris sæpe, ut in *Th. tincto* et varietatibus *Th. pulchelli*, maculatim abruptis, restantibus lineolis obliquis, in seriem utrinque digestis, partem flavidam posticam vittæ includentibus; pars antica vittæ ut in *Th. tincto* maculam adhuc majorem format; hæc ut in figura *Kochii*, N:o 1058, antea allata, valde lata, postice emarginata vel furcata, vel etiam truncata, plerumque solitaria, sæpe autem postice paullo continuata, et ad latera semel, bis, an interdum ter (?) dentata vel sinuata; antice in disco sæpe macula, lineola vel puncto flavo notata. Latera abdominis in pluribus exemplis lustratis unicoloria, arcu neque minore neque majore fusco signata; venter etiam unicolor, an umquam infuscatus?, quo colore locus pro genitali pictus erat. Patellæ anticæ long. $\frac{1}{4}$ tibiarum. Varietates occurrunt, in quibus apex femorum concolor est, et annulus medius et apicalis tibiarum et metatarsorum, præsertim 4 anteriorum, languidiores vel subobsoleti.

Specimen masculinum, in Scania a Dom. *J. A. Carlsson* captum, certe huc pertinens, differt a ♂ *Th. tincti* palporum lamina ordinaria fere duplo latiore quam femora antica, longius setosa, femoribus et reliquis anticulis etiam longius setosis, setis ex. gr. sub femoribus anticis quam diameter articuli longioribus, abdomine etiam solito longius piloso. Mandibulæ adhuc tenuiores, ita ut crassitiem femorum anticorum haud attingere videantur; breviores, vel saltem

haud longiores quam clypeus, qui in specimine lustrato, corrugato, tam altus videtur atque efficit longitudo spatii, ab oculis omnibus 4 seriei anticæ occupati? — A ♂ *Th. pulchelli*, similiter ac ♀ differt femoribus anticis linearibus, haud incrassatis. Tibiæ anticæ vix ut in *Th. tincto* plane 4:plo longiores quam patellæ; tarsi antici, qui in ♂ hujus speciei $^1/_3$ metatarsorum haud evidenter superant, in *Th. variante* hanc mensuram, similiter atque in ♀ *Th. denticulati* (7), superare videntur. Secundum figuram 1056, a *Koch* datam, punctum medium fuscum sub femoribus observatur, quod autem non in specimine nostro adest.

In Scania a *Boheman* ♀ inventa est.

11. **Th. minimum** (Wider?): *Femina* thorace, longit. 1 mm., pallidius, linea media marginalique saturatius luteo-brunnescentibus; abdomine globoso, crebre albido-punctato, vitta dorsali basin versus fusca seu nigricante, dein usque ad anum albida seu flavescente, posterius utrinque sinuata vel e maculis connexis 3—4 formata; dorso pone medium utrinque arcubus fuscis, præsertim e sinubus vittæ albidæ exeuntibus notatis; lateribus ventreque guttulis crebris albidis adspersis, præter locum fuscum, qui organa sexualia excipit, non alia pictura notatis; ano circa mamillas fusco, utrinque punctis duobus albidis; pedibus pallide testaceis, articulorum apicibus et præterea tibiarum metatarsorumque medio annulo piceo seu luteobrunneo cinctis. *Varietas a.*

Var. b: abdomine non ut in *var. a.* in fundo fuscescente sed brunneo-lutescente; quare reticulatio circa guttulas albidas etiam lutea videtur; vitta dorsalis abdominis ad basin haud nigro fusca, sed plus minus brunneo-lutescens, an interdum ibi satis obsoleta?; arcus pone medium dorsi, ad latera directi, etiam laguidius colorati, interdum unus vel alter omnino deletus; vittæ dorsalis pars albida pone medium plerumque remanet.

Wider Mus. Senck. I, p. 249, T. XVII, f. 2? — *Th. Heloisii* Walck. Apt. II, p. 317?

Magnitudo fere *Th. tincti* (9); patellæ et tibiæ anticæ conjunctim longit. 2 mm. Color thoracis et pedum similis atque in *Th. sisyphio* (12), sed tibiæ et metatarsi præterea annulo medio cincta. A *Th. denticulato* (7) et *tincto* differt pictura pedum, forsitan rarissime ad colorem pure nigrum transeunte, femoribus in ipso apice tantum pictis, nec ante hunc lineatis vel punctatis; linea media thoracis haud ut in *Th. tincto* nigra, sed luteo-brunnea, et pectore non, nisi in ipso ambitu, subfusciore. Abdominis vitta supra anum fere ut in speciebus memoratis formata et colorata; scilicet colore albida seu flavescens, ad formam aut continua, utrinque sinuata, aut forsitan interdum e maculis connexis formata. Abdominis dorsum basin versus in *var. a.* vitta breviore fusca notatum, hac postice paullo dilatata et sæpe apice bifurcata seu fissa; pone medium dorsi sæpe adest macula transversa fusca evidentior, ex qua et e sinubus vittæ succedentis albidæ exeunt arcus 2—3 fusci seu nigricantes, ad latera vel, si mavis, retrorsum ad extremitatem analem ducti. In *var. b.* signaturæ fuscæ plus minus dilute designatæ, restante forsitan semper vitta sinuata, inter medium dorsi et anum sita, albida vel flavescente. Latera et venter in exemplis, in spiritu vini asservatis, unicoloria, tamen in lateribus adest vestigium umbræ fuscæ, e basi exeuntis, quæ forsitan etiam in vivis non multo magis saturata est (?) — Fuscedo analis sæpe ad partem deleta, et spatia inter puncta pallida sæpe ut puncta fusca libera 4—6 se repræsentant. Annulus fuscus medius in tibiis et metatarsis sæpe deest, præsertim in *var. b.* vel in exemplis dilutioribus.

Ad Trondhjem Norvegiæ a *Boheman* inventum.

12. **Th. sisyphium** (Clerck): thorace longit. 1½ mm., luteo-testaceo, margine lineaque media rufo brunneis; abdomine globoso, dorso vitta magna ovata fusca, a vitta altera in medio longitrorsum persecta, lutea vel rubicunda, in medio dorsi bis amplificata, albido-marginata, anum versus in lineam simplicem albidam decurrente; spatio bis amplificato utrinque radios tres albidos obliquos

emittente, his limbum vittæ fuscæ in maculas persecantibus; lateribus luteo-brunneis, prope vittam dorsalem fuscam albidescentibus, in medio unicoloribus, vel nulla vitta seu arcu fusco evidenter pictis.

Mas: palporum parte femorali inter basin et medium in angulum obtusum flexa, hic nonnihil incrassata (confer *observ.* in fine descriptionis).

Ar. sisyphius CLERCK p. 54, pl. 3, t. 5. — *Ar. notata* LINN. F. Sv. Ed. 2, p. 489, 2008. — *Ar. nervosa* WALCK. F. par. II, p. 207, et *Ther. nervosum* Tabl. p. 74. — HAHN die Ar. II, p. 48, T. 58, f. 138. — *Th. sisyphus* SUND. A:o 1831, p. 115. — KOCH VIII, p. 73, T. 273, f. 644. — *Th. nervosum* WALCK. Apt. II, p. 301. — *Th. sisyphium* THORELL Rec. crit. p. 29.

Pedes antici longit. 7—8, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 2 $^1/_3$ mm.; patellæ longit. $^1/_3$ tibiarum; metatarsi ejusdem ordinis tarsis fere 3:plo longiores. *Mas* a ♂ *Th. saxatilis* (5), qui femoribus anticis adhuc gracilioribus et magis linearibus præditus est, differt distantia inter oculos duos intermedios anticos haud evidenter majore quam spatium inter illos et laterales anticos; clypeus infra oculos anticos levissime impressus. A masculis *Th. formosi* (4) et *pulchelli* (16) dignoscitur femoribus linearibus nec tam incrassatis, unde hæc in medio ne ad minimum crassiora quam in apice esse dici queant. Ab omnibus distinguitur ♂ structura palporum partis femoralis. Mandibulæ in hoc sexu basi evidenter incrassatæ, et maxillæ in basi in callum evidentiorem inflatæ.

Habitat ubique vulgatissima, in arbustis, præsertim in silvis acerosis. Saccus ovorum glaucus, lanatus, nec membranaceus, in ipso cubiculo matris suspensus et ab hac, pedibus amplexus, indesinenter custoditur, matre eum inter pedes huc illuc crebro volvente; unde forsan nomen a *Sisypho* sumtum fuit; ejus diameter longit. 3—3 $^1/_2$ mm. Habitat in Scania usque ad Trondhjem Norvegiæ, *Sundevall* et *Boheman;* in Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

Obs. Individuum masculinum mortuum et abdomine corrugatum legi sub foliis siccatis ad Prædium Särö Hallandiæ, quod mari *Th. sisy-*

phii valde simile videtur, at thorax longit. 2 mm., unicoloriter ferrugineo-rufescens; femora antica superne paullo evidentius incrassata, long. $2^2/_3$ mm.; patellæ et tibiæ conjunctim $2^3/_4$, metatarsi et tarsi $3^1/_3$ mm., toti pedes antici $8^3/_4$ mm. Tibiæ anticæ, certo situ inspectæ, quasi flexæ, nec omnino rectæ; illæ scilicet superne ad basin paullo inflexæ, extrorsum sensim incrassatæ, paullo deorsum arcuatæ; rogo autem quod hanc notam non ut essentialem consideres. Palporum pars femoralis geniculata et maxillæ basi inflatæ ut in *Th. sisyphio*. Forsitan ut specimen *Th. sisyphii* majus considerandum, quod hiemem supervixit, et anno succedente ulterius accrevit?

13. **Th. bimaculatum** (Linn.): *Femina* thorace abdomineque rufo-fuscis, hoc plaga dorsali, anterius lata, retrorsum sensim angustata, interdum interrupta, albida ornato; palpis pedibusque pallidis.

Ar. bimaculata Linn. Syst. nat. Ed. 12, p. 1033, 26. — *Ar. carolina* Walck. Fn. par. II, p. 208, N:o 40, et *Theridion idem* Tabl. p. 75 N:o 15 et Apt. II, p. 315. — *Th. dorsiger* Hahn Mon. Ar. VI, fasc. 6, pl. 4, f. B. b. 2 et die Arachniden I, p. 82, T. XX, f. 61 (60 in Tabula). — *Linyphia bimaculata* Koch Uebers. des Arachn. Syst. V, p. 19. — *Th. bimaculatum Linn.* Thorell Rec. crit. p. 94.

Femina (non perfecte adulta): thorax longit. $^3/_4$—1, patellæ una cum tibiis anticis conjunctim $1^1/_2$ mm. Color thoracis rufo-fuscus; mandibulæ pallidiores. Palpi et pedes pallide lutescentes; hi proportione 1, 4, 2, 3; patellæ anticæ longit. $^1/_3$ tibiarum. Abdomen rufo-fuscum, in dorso vitta elongato-ovata, mox pone extremitatem anticam abdominis inchoata, sensim ad anum angustata, colore albida ornatum; hæc vitta aut longe ultra medium dorsi extensa, aut in variantibus mox pone medium in maculas aut duas aut nonnullas divulsa. Hæ maculæ in nonnullis exemplis lustratis simplices, nec, ut scripsit *Linnæus*, geminæ; verosimile autem est, maculas in specimine, quod descripsit, per venam, e corde exeuntem et sub epidermide translucentem, in duas partes longitrorsum fuisse divisam. Seta in apice patellarum aliaque ante et pone medium tibiarum crassiusculæ et longæ adsunt. Pedes tenues et femora antica non incrassata, sed linearia.

Ad prædium Örby Westrogothiæ a *Thorell* inventum. Exempla quædam, in spiritu vini asservata et a *Boheman* in Scania capta, thoracem luteo-fuscum et abdominis latera linea albida notata habebant; hæc linea aut continua aut in puncta interrupta. Etiam in Upl., *Thorell*.

SECTIO II.

Pedes robustiores; femora antica medium versus sensim incrassata, seu superne longitrorsum convexa; breviuscula, vel tantum in paucis (Th. hamato, castaneo et pulchello) 1/3 longiora quam thorax. Abdomen rarius ovatum dicendum; in plerisque breviter ovale, dorso minus fornicatum, vel anum versus non angustius quam basin versus; numquam perpendiculariter deorsum pendens. Pleræque species colore abdominis nigricante vel piceo; pictura dorsalis constat: jam e maculis seriatis et arcu laterali pallidis: jam rarius e vitta media fusca sinuata: jam in pluribus præterea ex arcu pallido, in extremitate basali transversim posito, in medio interdum interrupto.

† Thorax oblongus vel saltem in ♀ marginibus lateralibus minus circulariter arcuatis. Frons evidenter latior quam 1/3 thoracis medii. Clypeus sub oculis intermediis anticis leviter tantum impressus. Oculi minores. Patellæ anticæ in *Th. serratipede* tantum multo longiores quam 1/3 tibiarum, et oculi intermedii antici in illo inter se satis evidenter magis approximati quam intermedii postici.

14. **Th. serratipes** (SCHRANCK): *Mas* thorace miniato-rufescente seu castaneo, subtiliter coriaceo, subopaco; mandibulis pectoreque nigro-piceis, granulato-rugosis; abdomine nigro-piceo, linea marginali basali, sæpe medio abrupta, macula utrinque versus medium dorsi ovata, transversa, punctis seriatis 1—3 in medio anterius, lineolaque longitudinali supraanali citrinis; pedibus læte testaceo-rufescentibus, femoribus, præsertim anterioribus apice, tibiis ejusdem ordinis fere totis posterioribusque extus tantum nigro-piceis, illis et his subtus seriebus duabus denticu-

lorum, dentibus duobus sub apice femorum secundi paris robustioribus.

Femina thorace coriaceo, subnitido, pedibusque minus læte rufescentibus, his edentulis; abdominis pictura pallide flava vel subalbida; mandibulis superficie media obsoletius granuloso-rugosis; clypeo ut in ♂ plus duplo altiore quam efficit longitudo spatii inter oculos intermedios anticos et posticos.

Ar, serratipes SCHRANCK Faun. boic. 3, p. 238, 2731. — *Ar. signata* WALCK. Faun. par. II, p. 209. 45. — *Theridium signatum* ID. Tabl. d. Ar. p. 76. — *Phalangium phaleratum* PANZ. Faun. 78, 21. — *Th. 4-signatum* HAHN die Ar. I, p. 80, T. 20, f. 60 (59 in Tabula), ♂ jun. — *Drassus phaleratus* SUND. A:o 1831, p. 133. — *Asagena id.* ID. Consp. Ar. p. 19. — *Asagena serratipes* KOCH VI, p. 98, T. 204, f. 502 et 503. — *Ther. signatum* WALCK. Apt. II, p. 333.

Mas. Thorax long. $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$, pedes antici $6\frac{1}{2}$, postici $7\frac{1}{2}$ mm. Clypeus triplo fere altior quam efficit longitudo frontis. Oculi intermedii antici paullo magis approximati quam postici, evidenter minores quam laterales antici. Margo thoracis, sub lente bene inspectus, subtiliter denticulatus. Palporum pars tibialis parti tarsali arcte adnexa; ambæ nigricant, simulque sumtæ longitudinem saltem tibiarum pedum anticorum attingunt; instrumenta genitalia setam longam spiraliter flexam emittunt. Pedes robusti, femora, tertii paris exceptis, ut et tibiæ anticæ incrassata, hæ tibiæ vix ultra duplo longiores quam patellæ; metatarsi antici paullo arcuati apparent (an in siccatis tantum?) — Mas de cetero ab omnibus araneis nostratibus facile distinguitur armatura pedum.

Femina. Thorax subtiliter coriaceus, subnitidus, fusco-rufescens, nec tam læte pictus ut in ♂; longit. 2 mm. Oculi ut in ♂. Clypeus brevior, vel vix ultra duplo longior quam frons. Mandibulæ minus crebre granulato-rugosæ, vel superficie, exceptis sinu communi medio et lateribus, lævi. Pictura abdominis in exemplis lustratis albidescens, nisi maculæ dorsales mediæ, utrinque sitæ, subflavicantes, his

certo situ evidentioribus. Pedes minus robusti, femoribus omnibus subæqualiter, tibiisque anticis mediocriter crassis; patellæ anticæ long. $^1/_2$ tibiarum; pedes toti evidentius pilosi, tibiæ superne pilis vel setis nonnullis verticalibus vestitæ.

Mas junior. Structura similis feminæ; pedes etiam inermes; palporum clava apicalis non explicata, magna, solida, nigro-picea, longior quam patellæ et tibiæ anticæ, simul sumtæ; æque crassa ac efficit dimidia latitudo thoracis, subpyriformis, apice acuminato-producta.

Mense Junio mares plures ad Gbg. capti, in gramine circumvagantes, forsitan ad feminas investigandas; hæ sub lapidibus et aliis aliquoties inventæ. Mense Julio feminam juxta saccum ovorum inveni; ova flavo-rufescentia, ad 30 numerata, lana molli albida convoluta. In Upl., *Thorell*.

Obs. Maris abdomen circa nervum, quo thoraci affixum est, valvula denticulata munitum, cujus usum sæpe animo perpendi, et tandem mihi fortuito contigit comperire hanc valvulam instrumentum stridoris esse, et quod thoracis basi, sub oculo armato transverse subtilissime rugulosa, ab animalculo applicatum, stridorem fere ut in *Cerambycinis*, *Reduvio personato* et multis aliis insectis reddebat. Hunc sonum audiebam, cum aranea, acu affixa, pulvillo acuum vel segmento papyri usque ad pectus apprimebatur, et tunc aranea, aut sua sponte, aut digitis erga anum attacta, abdomen sursum deorsum movebat, hujusque basin vel valvulam serratam erga basin thoracis affricabat. *Femina* organis iis caret. Idem post tempus plures mares *Theridiorum* stridentes mihi obvenerunt, qui ad divisionem ††, * pertinent.

15. **Th. undulatum**: *Femina* thorace supra subtusque glabro, luteo-brunneo, parte cephalica antice haud angustiore quam $^1/_2$ medii partis thoracicæ, fovea ordinaria dorsali pone centrum locata; clypeo haud longiore quam spatium inter oculos intermedios anticos et posticos, vel dimidio breviore quam mandibulæ; abdomine ovali, area dorsali a marginibus undulatis albidis circumdata, his postice supra anum in lineam communem transversalem rectam coeuntibus, colore luteo-brunnea, in limbo nigro-maculata, in summo dorsi serie e maculis vel lineolis

geminis albidis notata, harum antica plerumque litteram X referente; ventre arcubus duobus oppositis albidis; pedibus colore thoracis, at pallidioribus (pilosis tantum, haud aculeatis); apicibus articulorum aut concoloribus aut subinfuscatis.

Var. area dorsalis abdominis luteo-brunnea vel pallida, parcius nigro-variegata, tantum in sinubus lineæ flexuosæ lateralis macula vel arcu, et inter maculas dorsales geminatas linea nigra notata; cinctura circa aream dorsalem et series macularum in hujus medio haud pure albidæ, subobsoletæ.

Femina, ut videtur adulta, ab aliis *Theridiis* discrepat fovea ordinaria haud centrali, sed magis pone centrum locata; clypeo breviore, ita ut mandibulæ duplo longiores quam ille videantur, latitudine frontali minus angusta vel usque $^1/_2$ latitudinis partis thoracicæ; oculis intermediis anticis a lateralibus anticis æque longe atque inter se distantibus, ut in *Th. serratipede* (14) inter se paullo magis quam intermedii postici approximatis; a margine supra os haud longius, sed æqualiter atque ab oculis posticis distantibus. Thorax longit. $1^1/_2$, vix 2 mm., superficie glabra, nitida; luteo-brunneus, unicolor (an summo margine in vivis infuscato?). Mandibulæ perpendiculares, rectæ, vix ullibi convexæ, basi vix crassitiem femorum anticorum attingentes, immo paullo angustiores, extus sensim angustatæ, parce setulosæ, radicibus setularum instar granulorum eminentibus; satis longæ, vel quam clypeus, ut antea meminitur, duplo longiores. Maxillæ ut in reliquis *Theridiis* extus attenuatæ, apicibus circa apicem labii convergentes. Pectus glabrum, (an in vivis parce pilosum?), superficie haud granulata vel impresso-punctata. Abdomen, superne inspectum, ambitu breviter elliptico, vel postice haud angustatum; dorsum non dissimiliter atque in *Zilla montana* pictum; area dorsalis a linea flexuosa (vel intus dentata) albida circumdata, hæc postice supra anum rectilineatim cum opposita confluens, vel area hic quasi truncata; cinctura flexuosa in varietate gennina cohærens, vel forsitan interdum ut in *Th. albo-maculato* (20)

et nonnullis aliis araneis in seriem macularum dissoluta; color areæ in ipso fundo aut sordide luteus dicendus, limbo et excavationibus sinuum lineæ flexuosæ nigro-maculatis, aut niger dicendus, limbo luteo-maculato; dorsum in medio serie e maculis geminatis 3—4 albidis notatum, harum præsertim duæ anticæ oblique positæ, vel simul antice in angulum convergentes; hic angulus ad extremitatem basalem in lineam productus et cum arcu, utrinque posito, confluens, unde exstat signatura X-formis; latera et regio supra anum nigra, luteo-punctata vel lineolata; venter fuscus, utrinque linea vel arcu albido notatus. Pedes robusti, tibiis anticis vix triplo longioribus quam patellæ; toti evidenter sat longe pilosi, et ut in *Theridiis* plerisque supra tibias pilis verticalibus 2—3, metatarsique antici pilis ejusmodi brevioribus 8—10, supra et subtus longitrorsum sparsis, induti.

Varietas: area dorsali uberius lutea seu pallida, parce colore nigro variegata; sinus albidi cincturæ lateralis flexuosæ tantum in ipsis excavationibus internis arcu vel macula nigra repleti, quæ, obiter inspectæ, in specimine uno, sinubus albidis satis obsoletis, seriem e punctis 3 nigris formant; limes cincturæ versus anum lineam vel arcum æqualem, transversum formans, etiam intus nigro-marginatus; intervallum commune inter maculas dorsales secundas et tertias lineam nigram format; area de cetero nulla nigredine picta; signatura x-formis et maculæ geminæ insequentes minus pure albidæ; latera abdominis uberius sordide lutea, parcius nigro-maculata; ventris arcus duo obsoletissimi. Pedes in hoc specimine, quod haud adultum esse videtur, in apicibus articulorum satis evidenter infuscati. Abdominis indumentum satis evidenter restat; cutis scilicet ad latera et antice pilis fere æque longis atque in pedibus parce induta.

Femina adulta ad Dovrefjell Norvegiæ, subadulta in Scania a *Boheman* capta. Forsitan species rara, quæ ab Arachnologis aliis haud descripta esse videtur.

16. **Th. pulchellum** (WALCK.): *Femina* thorace lutescente, linea media lata fusca; abdomine aut rubro aut luteo-

testaceo, lateribus umbra arcuata, lata, fusca, e basi ultra medium extensa; dorso vitta media, utrinque sinuata, saturatius rufa, flavo-albido-marginata, in variantibus restantibus macula basali obverso-infudibuliformi, lineisque succedentibus oppositis, obliquis, colore fuscis; ventre vitta media lata fusca; pedibus pallide luteis, femoribus tibiisque, præsertim anterioribus, apicibus rufo-brunneis; metatarsis anticis tarsis vix ultra duplo longioribus; femoribus anticis thoracis longitudinem non distincte superantibus; clypeo infra oculos anticos parum impresso, breviore quam spatium, ab oculis 3 anticorum occupatum, omnibus oculis 4 anticis intervallis æqualibus et in seriem rectam dispositis.

Mas femoribus anticis insequentibus duplo crassioribus, evidenter longioribus quam thorax; metatarsis paullo arcuatis, erga lucem contemplatis serie e spinulis circiter 10 gracillimis, apice piliferis, vel, si mavis, e pilis basi incrassatis instructis; pedibus totis subunicoloribus; abdominis pictura sæpe obsoletiore, remanente puncto uno alterove marginis albidi vittæ dorsalis; abdomine sæpe unicolore.

Var. a. abdominis vitta dorsalis, utrinque sinuata, fusca, regularis.

Var. b. vitta disco pallidiore, sinubus abruptis, restantibus macula basali saturate fusca obverso-infundibuliformi, seriebusque duabus e lineolis obliquis, pone maculam basalem succedentibus.

Ar. pulchella WALCK Fn. Par. II, p. 208 et *Ther. pulchellum* Tabl. p. 75, N:o 14. — *Th. vittatum* KOCH III, p. 65, T. 94, f. 217, & IV, p. 118, T. 141, f. 326. — *Th. pulchellum* WALCK. Apt. II, p. 311.

Femina thorace long. 1½, pedes antici 5½—6 mm., ille subtus juxta coxas fusco-marginatus. Abdomen rubrum vel subsanguineum, sæpe luteo-testaceum, lateribus plerumque prope vittam dorsalem pallidioribus. Vitta constat quasi e maculis 4—5, late connexis, vittam continuam utrinque sinuatam formantibus, non dissimiliter atque in *Linyphia*

triangulari et nonnullis aliis; margines vittæ flavo-albidi; color fuscus vittæ interdum posterius pallido mixtus, ita ut lineolæ nonnullæ oppositæ, obliquæ utrinque remaneant; venter ad latera luteus vel luteo-albidus, in medio longitrorsum late fuscescens. Pedes proportione 1, 2, 4, 3, patellis anticis longit. $^1/_3$ tibiarum, tibiisque apicibus plerumque latius, reliquis ibi angustius vel obsolete rufo-brunneis seu ferrugineis, articulis tarsalibus apicibus anguste nigris seu fuscis.

Mas differt a ♂ *Th. sisyphii* (12) et *saxatilis* (5) crassitie femorum anticorum, quæ in his speciebus magis linearia et vix crassiora sunt quam femora secundi ordinis. A *Th formoso* (4), cui simillimus est, differt colore thoracis in illo mare unicolore, et pictura tibiarum posticarum, quæ in illo ab apice fere ad medium picco-brunnea sunt; in *Th. pulchello* autem summus apex hujus articuli obsolete rufo-brunneus vel ferrugineus est; femora antica in *Th. formoso* quidem incrassata sunt, at non duplo sed dimidio tantum crassiora quam femora insequentia mihi videntur. Clypeus infra oculos anticos haud ut in *Th. formoso* impressus est dicendus, vel oculi intermedii antici non tuberculo communi evidenti impositi, sed tantum sua convexitate eminentes; clypeus brevior quam spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum. Oculi omnes 4 antici, quorum 2 intermedii haud majores quam laterales sunt, intervallis æqualibus separati; h. e. oculi intermedii antici inter se intervallo non evidenter majore distant, quam efficit spatium inter illos et laterales. Si metatarsos anticos erga lucem et certo situ contemplemus, seriem inferiorem e pilis basi incrassatis, vel e spinulis gracilibus apice piliferis videbimus; in omnibus reliquis speciebus affinibus haud nisi setulæ simplices detegi possunt. Metatarsi antici nonnihil arcuati videntur; color pedum pallide fulvescens seu rufo-brunneus; apex femorum et tibiarum pedum anticorum paullo saturatior. Pedes antici long. 7 $^1/_2$ mm. Palporum pars tibialis spinula obtusa vel tuberculo extus sito instructa; setæ vel stili non-

nulli subulati, e partibus genitalibus exeuntes, præsertim in exemplis siccatis satis evidenter adsunt.

Mense majo juniores plures sub muscis, in quercu crescentibus capti; color thoracis pallide virescens; hic in medio longitrorsum et ad latera infuscatus; pectus etiam virescens, fuscedine cinctum; abdominis vitta undulata, marginibus saturatius expressis, intus fusco- irrorata, marginibus aut continuate aut similiter atque in senioribus variantibus in maculas interruptis, maculis oblique positis, remanente fere in omnibus vittæ antica parte, versus abdominis basin angustata, saturatius colorata; latera pallide lutescentia rufo- vel fusco-irrorata, inferius vitta, e basi exeunte, ultra medium extensa, aut continua aut in maculas interrupta, fuscescente, et venter ut in senioribus vitta media lata æquali ejusdem coloris notata.

Omnes varietates a *Th. variante* (10) differunt lateribus abdominis non unicoloribus, sed arcu magno fusco; ventre vitta lata fusca, pedibusque non nigro- vel fusco-annulatis. A *Th. tincto* (9) differunt lateribus abdominis non arcu brevi, libero, sed hoc usque ab ipsa basi ultra medium producto, cinctura pectoris fusca continua, hujus disco unicolore, pedibusque non nigro-maculatis vel annulatis.

Mense Junio uterque sexus ad prædium Jonsered prope Gothoburgum captus; mense Julio in floribus Cardui femina juxta saccum ovorum capta; hic globosus, albus, submembranaceus, diametro longit. 3 mm., supra quem araneola sedebat. In Upl., *Thorell.*

†† Thorax breviter ovatus, marginibus lateralibus magis circulariter arcuatis. Frons vix latior quam $^1/_3$ thoracis medii. Clypeus evidentius impressus. Mandibulæ plerumque tenuiores, sensim attenuatæ et quam femora antica evidentius angustiores.

* Oculi intermedii antici et postici conjunctim aream quadratam occupantes, antici inter se saltem non evidenter magis distantes (potius differentia minutissima magis approximati?). *Maris* abdomen, ut in *Th. serratipede* (14), circa connexionem cum thorace valvula serrulata instructum.

17. **Th. hamatum** (Koch): *Femina* thorace, supra subtusque glabro, palpis pedibusque luteo-brunnescentibus, femoribus tibiisque interdum infumatis; abdomine nigropiceo seu fusco, rarius subunicolore, plerumque fascia, marginem basalem cingente, continua, maculisque subtrigonis vel semilunatis, simplicibus, 3—4, in dorso longitrorsum seriatis, albidis seu luteo-albidis; lateribus pone apicem fasciæ basalis serie altera e maculis quibusdam seriatis, sæpe minus distinctis, ejusdem coloris; ventre pallido, longitrorsum subinfuscato; serie oculorum 4 anticorum subrecta, vel non nisi levissime deorsum curvata; femoribus anticis long. 4$^1/_2$, patellis cum tibiis conjunctim 5, metatarsis per se 4, at cum tarsis conjunctim 5$^3/_4$, totis pedibus 15—16 mm.

Mas thorace supra subtiliter, subtus rudius granuloso; abdominis pictura albida, vel griseo-albida; pedibus pallidioribus; patellis una cum tibiis anticis long. 4$^3/_4$, cum posticis 4$^1/_4$ mm.; palporum parte femorali vix ultra $^1/_4$ longitudinis femorum anticorum, articuloque ultimo una cum lamina ordinaria conjunctim haud crassitiem eorundem femorum atttingentibus; maxillis forma vulgari; patellis anticis long. $^1/_4$ tibiarum, tibiis et metatarsis anticis subtus setulis tantum decumbentibus, nec ullis perpendicularibus, nisi paucis et brevissimis.

Phrurolithus hamatus Koch VI, p. 105, T. 206, f. 507 & 508. — (*Th. paykullianum* Walck. Hist. nat. d. ar. 4, f. 4?).

Femina magnitudine *Th. tepidariorum* (3), a quo mox distinguitur femoribus anterioribus haud linearibus sed medio incrassatis, seu superne paullo arcuatis. Thorax glaber, longit. 3, patellæ posticæ cum tibiis conjunctim 4$^3/_4$, metatarsi una cum tarsis 4$^1/_2$ mm. Color thoracis luteo-brunneus, interdum infumatus. Series oculorum 4 anticorum levissime, nec ut in *Th. 2-punctato* (19) fortiter deorsum arcuata; oculi intermedii antici a lateralibus anticis minus evidenter brevius quam inter se distant; oculi illi in vivis iride communi nigra cincti (an semper?), et paullo minores quam laterales videntur, in siccatis succinei, reliqui

6 vitrei. Mandibulæ longiores quam efficit altitudo facialis. Clypeus æque altus atque efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, vel $^1/_2$ longior quam area, quæ ab oculis 4 intermediis occupatur. Abdomen elongato-ovatum, ano cum ventre horizontaliter spectantibus; superne saturate fuscum seu piceum, rarius (in varietate *b.*) fere unicolor, plerumque signaturis albidis iisdem in *Th. albo-maculato* (20) subsimilibus, at maculæ seriatæ dorsales simplices, haud geminatæ; maculæ deinceps minores, in specimine lustrato tres, sed forsitan in exemplis completis adhuc macula 1 vel 2 supra anum adsunt, ut in figura, a Dom. *Koch* delineata, et præterea verisimile est maculas anteriores in variantibus esse magis acutangulatas et ad latera productas. In lateribus abdominis observatur rudimentum vittæ undulatæ, ut in figura *Kochii* et ut in *Th. albo-maculato,* at magis obsoletum est, remanentibus tantum maculis 2—3, in specimine lustrato rubicundo-pallidis vel luteo-brunneis; latera inferius pallido-punctata vel striolata. Mamillæ et venter pallida, hic longitrorsum infuscatus. Abdominis dorsum serie utrinque e foveolis impressis 4—5 distinctioribus, post mortem araneæ 4 anterioribus magis evidentibus, ut in *Th. 2-punctato.* Pedes proportione 1, 4, 2, 3; patellæ anticæ long. $^1/_3$ tibiarum; femora anteriora superne evidenter incrassata; toti pedes in siccatis (apice tibiarum excepto?) unicolores, luteo-brunnei, interdum infumati; metatarsi et tarsi paullo rubescunt. Pectus nitidum, glabrum, at radices pilorum paullo elevatæ; pilis paucis remotioribus, nec ut in *Th. 2-punctato* densioribus et radicibus rudioribus, unde superficies non crebre et rude granulosa videtur, neque est opaca ut in *Th. albo-maculato.* Saccus ovorum, quæ femina captiva pariebat die 17 Junii, albidus, globosus, lanatus, nec membranaceus.

Mas. Thorax superne evidentius subtiliter granulosus vel coriaceus; pectus granulis majoribus ubique adspersum, haud ut in *Th. 2-punctato* spatio medio longitudinali glabro præditum, quoque granulo setula vestito, ut in ♀, quæ autem granula minutissima habet, at, ut mihi videtur, setulis

longioribus ornata est. Maxillæ in latere externo inermes, haud ut in *Th. albo-maculato* dentatæ. Pictura abdominis magis diffusa, colore albida, et quasi e punctis congestis formata. Maculæ dorsales 3 et rudimenta macularum vel arcuum supra anum 2; maculæ laterales 3 (in specimine lustrato in latere dextro per lineam tenuem superne cum maculis dorsalibus connexæ); arcus basalis latus. Organa stridentia ut in *Th. serratipede* et insequentibus. In exemplis lustratis articuli pedum unicolores erant; femora et tibiæ interdum infumata, qui color fortasse interdum solum in apicibus articulorum adest, ut in figuris, a *Koch* delineatis. Nec tibiæ neque metatarsi antici subtus setis verticalibus nisi paucioribus, quam diameter tibiæ multo brevioribus vestita, qua in nota a *Th. 2-punctato* et *albomaculato* etiam differt.

Inter supellectilia in domibus Gothoburgi. Specimen femininum 18 Oct. 1851 in nave, e Brasilia ad Gothob. adventa, a Dom. *F. A. Lincke* captum. Juniores fine Januarii in angulis tenebricosis, a tergo supellectilium capti; abdominis pictura albida; vestigia punctorum duorum mox supra anum adsunt, præter puncta tria antejacentia seriei mediæ dorsalis, simul puncta 5.

18. **Th. castaneum** (Clerck): *Femina* thorace supra obsoletius, subtus paullo evidentius coriaceo, pallido-fusco; pedibus luteo-brunneis, fusco-annulatis, tibiis annulo medio; abdomine luteo-brunneo, nigro-irrorato, dorso linea media longitudinali, aut continua, aut in maculas interrupta, pallido-albida, posterius a lineis vel arcubus tribus transversis ejusdem coloris decussata; lateribus vitta nigro-fusca, introrsum sinuata, sinubus vittam undulatam albidam includentibus; hac vitta basin abdominis ambiente; ventre pallido, macula nigro-fusca, utrinque; oculis 4 anticis in seriem parum deorsum curvatam dispositis; (specimen corrugatum).

Mas palporum parte femorali longit. $1/2$ femorum anticorum, gracili, non crassiore quam metatarsi antici, omnino lineari, haud extus incrassata; parte tibiali elon-

gato-obconica, duplo longiore quam **pars patellaris, vel** longitudine patellas pedum anticorum æquante, quam lamina ordinaria nonnihil longiore. Thorax evidentius at non rude granuloso-scaber. Instrumenta stridentia in basi abdominis et thoracis ut in *Th. serratipede, 4-punctato, hamato, guttato* et *albomaculato* adsunt.

Ar. castaneus CLERCK p. 49, pl. 3, t. 3. — *Ther. castaneum* SUND. A:o 1832, p. 268. — *Eucharia castanea* KOCH XII, p. 100, T. 418, f. 1028—29. — (*Th. paykullianum* WALCK. Apt. II, p. 295?).

Femina: magnitudine *Th. 2-punctati* (19), at pedibus longioribus; patellæ cum tibiis anticis conjunctim longit. 4, metatarsi 3 mm. Ab illo etiam differt pectore non rude granuloso (sive impresso-punctato?); oculi minores sunt, non tam vitreo-nitentes; series oculorum 4 anticorum non tam evidenter sed levissime tantum deorsum curvata; intervallum inter oculos intermedios anticos æque magnum atque efficit longitudo diametri unius oculi; patellæ anticæ parum longiores quam $1/3$ tibiarum, in *Th. 2-punctato* autem fere $1/2$ æquant. Thoracis color sordide pallidus vel luteus nec piceo-niger. A *Th. hamato* (17) differt magnitudine minore; patellæ et tibiæ anticæ simul sumtæ, longit. ad maximum 4 mm. Femora nec non tibiæ anticæ ut in *Th. hamato* paullo longiora quam thorax; in *Th. bipunctato* saltem femora non longiora sunt. Abdominis dorsum posterius in decussatione linearum albidarum fuscum vel piceo-nigricans.

In domibus Holmiæ a *Sundevall*, in Upsalia a *Thorell* captum; in Ostrog., *v. Post.*

19. **Th. bipunctatum** (LINN.?): *Femina* thorace piceo-nigro, subtus impresso-punctato, (nonne potius granulato?), supra subtiliter coriaceo; oculis magnis, vitreis, serie quatuor anticorum evidentius deorsum curvata; abdomine piceo, breviter elliptico, dorso subdepresso, hic interdum pallide rubicundo, in basi arcu transversali, dorsoque linea media longitudinali, albidis vel pallidis, hac sæpe in locis quibusdam dilatata, anum versus sæpe a lineola

fusca decussata; ano ventreque pallidis, hoc aut longitrorsum fusco aut subunicolore; pedibus luteo-brunneis, in vivis fusco-annulatis (an variat abdomine pictura carente?).

Mas palporum parte femorali longit. $^2/_3$—$^3/_4$ femorum pedum anticorum, extrorsum sensim incrassata, apice æque crassa ac tibiæ anticæ; parte patellari arcuata, breviore quam patellæ pedum anticorum; parte tibiali adhuc breviore, ambabus uti lamina ordinaria sat dense et longe pilosis, hac lamina ultra duplo latiore quam mandibulæ; membro genitali calcari robustissimo et altero minore, hoc cum suo apice in setam robustam flexam producto. Instrumenta stridentia ut in præcedentibus adsunt.

Ar. bipunctata LINN. Fn. Sv. p. 486, 1997? — *Ar. punctata* DE GÉER VII, p. 255, T. 15, f. 1. — *Ar. 4-punctata* FABR. Ent. S. p. 416, 84 (exclus. syn. *Linnæi*). — WALCK. Fn. Par. II, p. 210 et *Th. 4-punctatum* Tabl. p. 73. — HAHN die Ar. I, p, 78, T. 20, f. 58. — SUND. A:o 1831, p. 118. — WALCK. Apt. II, p. 290. — *Eucharia bipunctata* KOCH XII, p. 99, T. 418, f. 1027.

Juniores thorace pedibusque pallidis, his annulis fuscis saturatius expressis, illo et subtus et supra glabro, nitido, abdominis pictura albida lætiore.

Phrurolithus ornatus KOCH VI, p. 114, T. 208, f. 515 forsitan huc referendus?

Abdomen præsertim in ♀ nitidum, quasi sevosum. Punctura vel scabrities pectoralis ut in *Th. serratipede, castaneo, guttato* et mare *Th. hamati* ut nota satis essentialis est consideranda. Patellæ anticæ in ♀ vix breviores quam $^1/_2$ tibiarum, in ♂ nonnihil longiores; hic sexus similiter ac ♂ *Th. castanei* palpis longiusculis, tibiisque anticis ut in ♂ *Th. albomaculati* (20) subtus pilis perpendicularibus vestitis, quibus etiam femora subtus investiuntur. Oculi in utroque sexu tam magni ut, ex. gr., spatium inter oculos intermedios anticos non tam longum ac diameter unius oculi videatur. Maxillæ maris in latere externo æquales, nec ut in *Th. albomaculato* spinulosæ; hic sexus similiter ac ♂ *Th. serratipedis, hamati, castanei, guttati* et *albomaculati* stridere

potest. Mas descriptus post captivitatem minus libenter sonum reddit, quare, si hunc audire velles, animalculum statim ut capitur inter digitos ad aures est tenendum. Pedes in utroque sexu breviores quam in *Th. hamato* et *castaneo*; patellæ una cum tibiis anticis longit. $2\frac{1}{2}$, et metatarsi 2 mm. vix excedunt; thorax longit. $2\frac{1}{2}$ mm.; femora et tibiæ anticæ non longiora quam thorax.

In Scania, et usque ad Qvickjock Lapponiæ, ab entomologis diversis inventum. Ad Trondhjem Norvegiæ a *Boheman*, in Œlandia a *Sundevall*, in Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* captum. Libentius in domibus habitat; aliquando sub cortice arborum, quæ prope domicilia crescunt, a me inventum.

Obs. Aranea, valde similis nostræ speciei, a Dom. *A. W. Malm* sub foliis deciduis prope Gothoburgum inventa est, quæ abdomen unicoloriter nigro-piceum habet. Fascia normalis in extremitate basali albida in specimine unico lustrato, corrugato, valde inconspicua, tamen sub cute languide translucens. Hanc araneam, quæ de cetero in omni parte, ut mihi videtur, cum nostra aranea congruit, sed fortasse ad *Phrurolithum lunatum* KOCH die Ar. VI, pag. 107, T. 206, f. 509 pertinet, non nisi hæsitatione ad nostram araneam referre volui, quare etiam subjicienda est examinationi ulteriori ab iis entomologis, quibus contingere possit exempla viva utriusque sexus invenire.

Ad *Araneam bipunctatam* LINN. quod attinet, ejus synonymon cum *Ar. 4-punctata* FABR. dubium est, nam bene non quadrant hæc verba Linnæi: "a capite per *thoracem* ducitur linea sordide testacea". — Thorax ubique concolor est in nostra aranea.

20. **Th. albo-maculatum** (DE GÉER): piceo-nigrum, thorace supra in ♀ glabro, subtus obsoletissime coriaceo, subopaco, in ♂ supra impressionibus nonnullis obliquis; abdominis dorso convexo, seriebus duabus approximatis e maculis 4—5, basi linea transversali continua, lateribusque vitta, aut continua, intus dentata, aut in maculas interrupta, colore albidis seu eborinis notatis; pedibus rufo-piceis, coxis apicibusque reliquorum articulorum late piceo-fuscescentibus seu piceo-nigris; ventre nigro-piceo, ad latera vitta maculari lineaque media, plus minus distincta, colore picturæ dorsalis. *Mas* mandibulis inter

medium et apicem callo humili, maxillisque spinulis lateralibus obtusis armatis.

Ar. albo-maculata De Géer VII, p. 257, Pl. 15, f. 2. — *Ther. maculatum* Walck. Tabl. p. 74. — *Th. albo-maculatum* Hahn die Ar. I, p. 79, T. 20, f. 59 (in tabula fig. tertia falso numero 58 designata est). — Sundev. A:o 1831, p. 117. — *Th. dispar* Sundev. A:o 1831, p. 120 (ubi ♂ descriptus est, et hocce nomine in collectione Dom. Sundevallii, ut ipse vidi, depositus). — *Th. maculatum* Walck. Apt. II, p. 293. — *Phrurolithus corollatus (Linn.)* Koch VI, p. 100, T. 204, f. 504 & 505; (synon. *Linnæi (Ar. corollata)* dubium est; hæc aranea secundum hujus auctoris descriptionem in plantis habitat, et descriptio certe speciem quandam *Linyphiarum* respicit ex. gr. *Lin. hortensem, clathratam* vel *pusillam*). — *Steatoda corollata* Thorell Rec. crit. p. 85.

Maris palporum pars tibialis valde dilatato-campanulata, extus æque lata ac lamina ordinaria, hujus basin profunde amplectens, vel hac in illa immersa, ita ut ambo organa una cum membro genitali bulbum communem magnum æqualem constituant. (In ♂ *Th. 2-punctati* et *hamati* pars tibialis quoad juncturam cum lamina, ambitu angustiorem quam laminæ latitudo, seorsum melius discerni potest). Pars femoralis ut in *Th. 2-punctato* extus incrassata, longitudine non $^1/_2$ femorum anticorum excedens; pars patellaris brevior quam $^1/_2$ patellarum pedum, etiamque evidenter brevior quam pars tibialis; membrum genitale ut in *Th. 2-punctato* calcaratum; lamina parum latior quam mandibulæ, quæ solito crassiores sunt. Mandibulæ in ♂ lustrato, siccato, magis ovatæ, extus nonnihil attenuatæ, vel quasi hiantes, nec ut in ♀ paralleliter directæ, nonne etiam in vivis?; superficies thoracis subopaca; hujus latera foveis obliquis, ad centrum dorsi ductis; hoc fovea normali magna, profunda impresso. In utroque sexu oculorum series antica leviter deorsum curvata; spatium inter oculos duos intermedios evidenter æque magnum ac diameter unius oculi; nonne majus?. Color fuscus in apicibus articulorum pedum sæpe tam diffusus et saturatus, ut articuli maxima parte nigri evadant. *Mas* sub femoribus, tibiis nec non metatarsis pilis perpendicularibus vestitus. Mas descriptus abdomine deperditus; fragmentum autem adhærens indicare videtur hunc marem

ut præcedentes stridere posse. Tibiæ anticæ, saltem in ♀, duplo tantum longiores quam patellæ.

Habitat passim ad Gothob., sub lapidibus et in rimis montium, in locis editis et sole radiatis. Ova in indusio lanato asservantur, quod propter colorem ovorum translucentem vitellinum vel luteo-subrufescens videtur. In Scan. a *Sundevall* et *Boheman;* in Gotl. a *Sundevall;* in Foss Bahusiæ a *Thorell;* in Upl. a *De Géer* et *Thorell;* ad Valders et Dovrefjell Norvegiæ a *Boheman* captum.; in Ostrog., *v. Post.*

21. **Th. guttatum** (WIDER). Thorace, longit. 1 mm., clypeo mandibulisque granulatis vel potius scrobiculato-rugosis piceo-nigris; abdomine piceo, serie dorsali media longitudinali e maculis 5, lateribusque maculis inordinatis 3, albidis, maculis dorsalibus in ♂ sæpius obsoletis, remanente tamen una vel altera; pedibus pallide rufescentibus, femoribus anterioribus tibiisque omnibus apicibus nigris; metatarsis tarsis haud evidenter longioribus.

WIDER Mus. Senck. I, H. 3, p. 241, T. 16, f. 7. — KOCH Die Ar. VIII, p. 81, T. 275, f. 651—52. — WALCK. Apt. II, p. 318.

Femina. Thorax longit. 1, pedes antici circiter 3, patellæ una cum tibiis 1 mm.; ille valde durus, supra subtusque ut et mandibulæ scrobiculato-rugosa, ambo, obiter inspecta, quasi rude impresso-punctata. Oculi vitrei, majusculi, in eminentia transversa capitis siti. Mandibulæ altitudinem capitalem non superant, potius breviores dicendæ; hæc duplo altior quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis 4 intermediis occupatur. Abdomen nitidum, quasi pingue, pilis rigidis parce adspersum; maculæ seriei dorsalis deinceps minores, interdum, et præsertim antice, per venam, sub epidermide translucentem, in duas partes divisæ; macula basalis major in exemplis lustratis postice cuneata; latera abdominis notantur maculis tribus, una prope basin, altera in medio, altius locata, tertiaque prope anum, et præterea observatur prope saccos pulmonales punctum minus, obsoletius, seu colore non pure album. Pedes prop. 1, 4, 2, 3,

pilis robustis, adpressis, et in patellis tibiisque pilis verticalibus paucis ut in plerisque aliis speciebus induti; tarsi solito longiores, saltem non multo breviores quam metatarsi; patellæ anticæ $1/2$ tibiarum fere longiores?, secundæ $2/3$ harum longitudinis attingunt.

Mas. Palpi longitudine femorum anticorum conjunctim cum patellis, parte femorali longit. $3/4$ eorundem femorum, pallide rufescente, partibus succedentibus piceo-nigris; pars patellaris subglobosa, per stipitem angustum parti femorali adnexa, extus æque crassa atque eadem femora, vel evidenter crassior quam patellæ anticæ; insequentes partes non disjunctæ, quasi concretæ; pars tibialis scilicet scutiformis, basin laminæ ordinariæ obvolvens, simul cum membro genitali clavam magnam nigro-fuscam formantia; hæc clava longitudine $3/4$ tibiarum anticarum. Pedes paullo longiores quam in ♀; patellæ anticæ vix $1/2$ tibiarum attingunt. Abdomen circa nervum connectentem, ut in maribus præcedentibus 4, valvula denticulata præditum, et thoracis basis summa etiam subtiliter transverse rugulosa, quare non dubium est quin hæc araneola, similiter ac species memoratæ, stridere possit.

Sub foliis siccatis nemorum et sub lapidibus, in collibus montosis ad Gothob. captum; etiam ad Balnearia Särö Hallandiæ a me inventum. Pulluli, mense Septembri capti, pallidius piceo-rufescentes, vel fere cerasini, similiter ac seniores picti. In Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

** Oculi intermedii antici inter se paullo distantioribus quam intermedii postici. Species minores.

22. **Th. triste** (Hahn): *Femina* nigra, femoribus posticis a basi ultra medium, tibiisque basi rufescentibus; oculis intermediis posticis inter se brevius quam a lateralibus posticis separatis, et quam oculi intermedii antici inter se magis approximatis, his inter se longius quam a lateralibus anticis remotis; tibiis posticis non longioribus quam anticæ, patellis anticis brevioribus quam $1/2$ tibiarum, metatarsisque duplo fere longioribus quam tarsi;

clypeo valde impresso, evidenter longiore quam mandibulæ tenues.

HAHN die Ar. I, p. 89, T. 21, f. 67. — KOCH ibidem VIII, p. 83, T. 276, f. 654.

Dispositione oculorum, satis simili atque in *Th. flavo-maculato* (24), coloreque corporis facile a reliquis speciebus dignoscitur. Thorax longit. 1 $^1/_4$ mm.; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim circiter ejusdem longitudinis. Superficies thoracis, sub oculo bene armato contemplata, subtiliter reticulata seu coriacea, at nihilo minus nitida. Oculi intermedii antici in eminentia majuscula porrecta locati, unde clypeus infra eos valde impressus videtur; dispositio oculorum omnium fere eadem atque in *Th. flavo-maculato*, at interstitium oculorum intermediorum posticorum evidenter brevius nec subæque longum atque spatium inter eos et laterales posticos. Altitudo clypei circiter dimidio, vix duplo major quam frons. Mandibulæ tenues, ut mihi videtur, dimidio breviores quam clypeus. Palporum pars tibialis robusta, extus paullo incrassata, hic paullo crassior quam pars femoralis; pars tarsalis vix vel parum longior quam pars tibialis, sensim ad apicem subulata. Abdomen nec circa basin neque alibi pictum; breviter pilosum. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, patellis anticis paullo longioribus quam $^1/_3$ tibiarum; toti pedes setulis rigidioribus et brevioribus quam, ex. gr., in *Th. albo-maculato* vestiti. Femora sex anteriora, erga lucem contemplata, in specimine lustrato, siccato, in ipsa basi vix obscure pallido-diaphana, postica a basi ultra medium, et tibiæ ejusdem ordinis a basi non omnino ad medium læte rufescentia seu luteo-castanea. Tarsi antici non nisi differentia capillari longiores quam $^1/_2$ metatarsorum.

In Westrog. ad Prædium Örby a *Thorell* inventum, dein in Upl. ab eo captum.

Obs. Species cum varietatibus tribus, a *Walckenaer* in Apt. II, p. 291, N:o 5, sub nomine *Th. tristi* descriptæ, e diversis speciebus constat, ibique ab eo plura synonyma allata fuerunt, quæ una cum nomine citato in Addend. p. 505, *Phrurolitus lunatus* KOCH, secundum descriptiones et figuras, ab auctoribus datas, diversas species manifeste indicant. *Th. triste* HAHN et KOCH longitudinem haud ultra 2 lin. paris.

attingit; a Dom. *Walckenaer* autem longitudo ejus araneæ 4—5 lineas attingere dicitur. Synon. *Th. thoracici* HAHN sub N:o 5 mox antea, vel sub N:o 4, pro *Th. quadri-punctato* = *bipunctato* LINN. affertur; quod erratum quoad diversas alias species a *Walckenaer* in opere allato commissum est.

23. **Th. lætum**: *Mas* junior (in spiritu vini asservatus) niger, coxis subtus, præter apicem, femoribus quarti paris basi latius, tertii et interdum secundi paris angustius albidis; abdominis dorso mox ante medium serie transversa e punctis 4, anticeque arcu laterali breviore, in medio cum arcu majore transverso, in declivitate ipsius baseos abdominis sito, confluente et interdum suo apice postico cum puncto laterali seriei, ante medium dorsi sitæ, connexo, colore argenteo-albidis (an in vivis albidis?).

Oculi intermedii postici, ut in *Th. tristi* et *flavo-maculato*, inter se paullo magis approximati quam antici. Thorax long. 1 mm., late ovatus, marginibus circularibus, parte cephalica latitudine vix ultra $1/3$ medii partis thoracicæ. Albedo basalis femorum posticorum ad $1/3$—$1/2$ extensa, in femoribus tertii paris paullo brevior; in exemplis nonnullis adest in femoribus secundi paris aut macula basalis superior, aut simul macula inferior, albidæ, an ambæ interdum in annulum communem conflatæ? omnes coxæ subtus albidæ, margine externo nigræ; pedes de cetero aut fere unicoloriter nigri aut tibiæ tarsique saltem in basi piceo-brunnea. Abdominis dorsum ante medium serie transversa e punctis 4 albidis seu argenteis; punctum laterale utrinque aut liberum aut cum apice externo arcus antejacentis confluens; hic arcus utrinque in extremitate antica locatus est; pone puncta duo intermedia seriei memoratæ, vel pone medium dorsi interdum observatur vestigium paris unius e punctis minutissimis, quæ forsitan in exemplis plene adultis vel varietatibus punctis alteris ejusmodi succeduntur, sed forsitan in exemplis pluribus omnino desunt.

Non dubito quin puncta argentea in vivis simpliciter albida aut e plumbagine nitentia sint, nam in pluribus aliis

araneis, in spiritu vini asservatis, color albidus, saltem plumbeus argenteus videtur.

In Scania a *Boheman* captum.

24. **Th. flavo-maculatum** (Koch): *Mas* thorace long. 1 1/3 mm. pedibusque rufo-testaceis, his extus fuscis; abdomine fusco, serie dupla dorsali macularum, maculisque lateralibus 2—3 lutescentibus; patellis anticis 1/2 tibiarum fere superantibus, metatarsisque parum vel vix longioribus quam tarsi; oculis intermediis posticis inter se evidenter magis approximatis quam oculi intermedii antici, his a lateralibus anticis dimidio brevius quam inter se distantibus; mandibulis saltem dimidio brevioribus quam efficit altitudo clypei; tibiis posticis evidenter longioribus quam anticæ.

Micryphantes flavo-maculatus Koch die Ar. III, p. 67, T. 95, f. 220.

Propter dispositionem oculorum, fere similem atque in *Th. tristi* et *læto* ab omnibus reliquis *Theridiis* facile distinguitur. Thorax longit. circiter 1 1/4, patellæ anticæ una cum tibiis 1 1/3 mm., ille superficie glaberrima, nitidissima; rufo-testaceus, margine anguste infuscato; pars cephalica non (in specimine paullo læso) per impressionem ullam distincta; clypeus altissimus saltem duplo altior quam efficit longitudo spatii inter oculos intermedios anticos et posticos; oculi antici inter se multo magis seu duplo longius quam a lateralibus anticis distant, etiamque est eadem separatio evidenter major quam distantia inter oculos duos intermedios posticos; quod rogo ut bene observes. Mandibulæ satis minutæ, quam spatium, ab oculis intermediis anticis occupatum, non longiores et vix dimidiam longitudinem clypei attingunt. Palporum (an perfecte explicatorum?) pars patellaris subglobosa, supra apicem seta erecta instructa; pars tibialis brevissima, ægre perspicienda, cum parte insequente, seu lamina ordinaria, quasi concreta, vel hanc in basi obvolvens; lamina magna, lata, mytiliformis, apice intus in dentem producta; lamina una cum bulbo genitali clavam maximam

constituunt; bulbus genitalis dentem alterum minorem, mox sub apice laminæ in latere exteriore prominentem, emittit; tota clava in specimine siccato saturatius ferrugineo-rufescens, æque longa ac tibiæ anticæ, et ultra duplo crassior quam femora antica. Pectus glabrum, nitidum, ut dorsum coloratum. Abdominis pictura constat: e serie dupla macularum vel lineolarum transversarum, quarum anteriores aut transversaliter confluunt aut lineola longitudinali interjacente continguntur: in lateribus e maculis vel lunulis 3, una antica prope medium sita, arcuata, una in medio, mox prope anticam sita, abbreviata, unaque juxta anum locata, rotundata, hæc vel libera vel introrsum cum lineola una alterave supra-analium confluente. Proportio pedum 4, 1, 2, 3, ut in *Th. serratipede;* femora antica mediocriter crassa, quam clava palporum duplo vel triplo angustiora; patellæ posticæ minus, anticæ magis evidenter dimidiam longitudinem tibiarum superant; hæ tibiæ ut in specie allata contra normam evidenter longiores quam anticæ, quod e proportione pedum, alia quam in reliquis *Theridiis* pendet; pedes omnes evidenter setulosi; tarsi fusciores quam reliqui articuli.

Ad Örby Westrogothiæ a *Thorell* inventum.

VI. EPISINUS Walck.

Thorax humiliter convexus, ovatus; pars cephalica parva, per impressionem lateralem distincta; fovea dorsalis mox pone centrum sita. Oculi duo laterales inter se haud arcte approximati, vel non brevius separati quam efficit intervallum inter oculum anticum et oculum adjacentem duorum intermediorum anticorum; series oculorum quatuor posticorum haud antrorsum sed potius paullo retrorsum arcuata, saltem recta; oculi 4 intermedii in quadratum dispositi. Clypeus, Mandibulæ et Maxillæ ut in *Theridio*. Abdomen, elongatum, in specie una cognita subpyramidale, vel a basi subtruncata sensim dilatatum, postice ad anum arcuatim descendens, hic superius, in utroque latere, in angulum eminentem formatum. Pedes

antici longissimi, postici parum breviores, utrique robustiores quam 4 intermedii, hi abrupte breviores et tenuiores, tertii paris parum ultra $^1/_2$ anticorum longitudinis; breviter et dense pilosuli, aculeis carentes.

1. **E. truncatus** (Walck.): *Femina* abdomine basi medio retuso seu emarginato, postice in angulum utrinque elevato.

Walck. Apt. II, p. 375, Pl. 21, f. 1 D. — Koch XI, p. 166, T. 396, f. 958—59.

Thorax longit. $1^1/_2$ mm., oblongus, depressus, fuscus, in vivis secundum latera obsoletius brunneo-maculatus, lineolisque nonnullis capitalibus ejusdem coloris notatus; pars cephalica pilis paucis albidis, fere subseriatim digestis vestita. Abdomen basi emarginatum, sensim ultra medium dilatatum, superne vitta magna grisescente, fusco-variegata vel punctulata, secundum formam abdominis postice latiore, intra angulos sive tubercula finita, ad latera propter albedinem laterum intervenientem semel (an interdum bis) sinuata, postice inter tubercula undulatim albido-marginata, notatum; in medio vittæ color griseo-albidus in maculas quasdam oppositas digestus. Spatium inter tubercula, (quæ longe pone medium sita sunt) et anum convexum, declive, pallidum, rubro- vel fusco-irroratum vel punctatum, lunulis 2—3 oppositis, sursum curvatis, fuscioribus notatum; lunula (seu arcus) superior major, succedentes breviores sunt; venter fuscus, pallido- vel testaceo-punctatus seu striolatus. Pedes longitudine valde inæquales, vel deinceps circiter $7^1/_2$—6—4—7 mm., proportione, ut videtur, 1, 4, 2, 3, antici et postici subæquales, tertii longit. $^1/_2$ horum, colore pallidi; femora antica maxima parte, postica tantum apice, patellæ totæ, reliqui articuli basi apiceque fusco-rufescentia; pedes intermedii sat obsolete picti; patellæ anticæ $^1/_3$ tibiarum vix breviores, tarsi breviores quam $^1/_2$, at longiores (?) quam $^1/_3$ metatarsorum.

Mense Julio ad Prædium Steka, prope Gothob., in gramine, juxta lapidem captus. Juniores et pulluli mense

Septembri ad radices Ericæ, in locis montosis nemoralibus ad Gamlestaden lecti. Animalculum, vase vitreo inclusum, pedibus anticis et posticis extensis in reti, quod ibi mox conficiebat, more *Tetragnathæ extensæ* quiescebat. In Ostrog. a v. *Post* inventus.

VII. ERIGONE Savigny.

Thorax parte cephalica plerumque distincta, fovea dorsali normali, in parte thoracica pone medium sita, interdum obsoleta; thoracis cutis nitida, nuda, in parte cephalica tantum sæpe pilis erectis paucis induta; in nonnullis cutis subtiliter coriacea est, et pectus interdum ejusmodi superficiem repræsentat. Oculi ut in *Linyphia*, vel 2 intermedii postici inter se paullo distantiores quam duo intermedii antici, rarius distantia æquali. Clypeus ut in eodem genere. Mandibulæ sæpe satis robustæ et in plerisqe crassiores quam femora antica. Maxillæ ovatæ, apice rotundatæ, paralleliter porrectæ nec circa apicem labii convergentes. Caput in maribus pluribus vario modo formatum; hoc jam in gibbum lotiorem, convexum elevatum, hunc aut superne æqualem, aut longitrorsum aut transverse bipartitum; jam in conum brevem, sublongum aut longissimum elevatum. Pleræque feminæ illarum specierum, uti omnes reliquæ, caput forma vulgari habent; perplures feminæ quoad structuram partium inter se valde similes, prætereaque propter picturam deficientem inter se ægre distinguendæ. Pedes proportione 4, 1, 2, 3, antici et postici inter se longitudine parum discrepantes; patellæ anticæ rarius $1/2$ tantum, plerumque $1/3$—$1/4$ tibiarum longitudinis; toti pedes ut in *Theridio* solum pilosi (haud una aculeati), superne in tibiis pilis vel setulis nonnullis verticalibus, paullo robustioribus quam setæ ordinariæ decumbentes. *Erigone Sundevallii* sola est, quæ in tibiis et metatarsis anticis, in latere interno, aculeis 3—5 tenuibus, in seriem dispositis, patentibus instructa est. Proportionem pedum videbis, si tibiæ vel metatarsi postici, cum anticis comparati, sub lente lustrentur. Ab-

domen nitidum, brevissime, raro longius pilosulum, in omnibus pictura distincta carens, interdum macula supra anum griseo-albida, in siccatis facile evanescente, notatum, qua in pictura cum nonnullis *Linyphiis* congruit. Retia irregularia sub lapidibus, foliis deciduis et quisquiliis nemoralibus, in rimis arborum et inter horum lichenes, ut et in gramine construuntur.

Obs. Araneæ hujus generis omnes minutissimæ, cum *Linyphiis* quibusdam haud confundendæ, ex. gr. *L. concolore, tenebricola, pygmæa, nigrina, parvula, convexa, dorsali, rufa* et *comata*, quæ omnes distinguuntur præsentia unius alteriusve aculei in tibiis, ad latera vel subtus locati, et quarum specierum nonnullæ aculeos etiam supra femora, saltem antica, et abdomen plerumque plus minus pictum habent. Ubi in *Erigonis* pilus erectus superus versus apicem tibiarum anticarum adest, non ullus alter ejusmodi lateralis juxta illum vel alibi adest; quod autem apud eas *Linyphias*, quibus confundi possunt, videbis. Pedes, si tibiæ vel metatarsi pedum posticorum et anticorum inter se comparentur, proportione 4, 1, 2, 3 nec 1, 4, 2, 3.

SECTIO I.

*Maris palporum pars femoralis æque longa ac femora pedum anticorum, (pars patellaris in speciebus cognitis, huc relatis, obconica, ad formam subsimilis patellis eorundem pedum; quam hæ plerumque longior, vel saltem æque longa. Caput interdum postice evidenter elevatum, sed non simul fronte retusum sive declive, neque infra verticem lateraliter excavatum, sive hic non foveola ulla impressum, nec est caput in conum vel gibbos 1—2 formatum). Erigone inflexa (4), cujus mas mihi ignotus est, huc relata, an jure? *)*

*) Species *Erigonarum*, præsertim *feminæ* in Divisiones adcuratius definitas ægre sunt distribuendæ, et quarum pleræque tam colore quam structura partium inter se valde similes sunt, ideoque ad notas definitivas inter se difficilius segregari possunt. Eam ob causam rogare vellem, ut ambo sexus, cum simul deprehenduntur, statim signo quodam proprio denotentur, quo fieri possit, ut feminæ in eadem descriptione ac mas, cujus notæ characteristicæ magis constantes sunt, melius a consimilibus dignoscantur. *Feminæ* fortasse quoad colorem thoracis in duas cohortes separari queant, scilicet:

1. **E. longipalpis** (SUND.): *Mas* thorace piceo vel nigricante, polito, nitidissimo, margine reflexo, una cum mandibulis palporumque parte femorali subtiliter denticulatis, horum parte patellari longit. $^2/_3$ tibiarum pedum anticorum, vel fere duplo longiore quam horum patellæ, sub apice in spinam validam, perpendicularem producta; parte tibiali æque longa, extus sensim incrassata, subcompressa, ibique in calcar vel lobum anticum et posticum, illum non aliter quam hic constructum producta. Thorax longit. $1^1/_2$, pedes antici $4^1/_2$, patellæ una cum tibiis $1^1/_2$ mm. Variat dimidio minor.

Femina; vide infra.

Linyphia longipalpis SUNDEV. A:o 1829, p 212. — *Erigone id.* A:o 1832, p. 259. — *Argus longimanus* WALCK. Apt. II, p. 346.

Mas. Simillimus insequenti, a quo præcipue differt structura palporum partis tibialis, quæ, bene inspecta, in apice superiore (antico) in unum tantum lobum vel potius calcar robustum formata est; hoc calcar quam lamina ordinaria pilosa multo angustius et quoad formam omnino simile calcari alteri, quod in apice inferiore (postico) adest; pars eadem in medio lateris, ad os vergentis, numquam ut in *E. dentipalpi* spinula minuta instructa; quæ spinula rarius et forsitan non nisi in hujus exemplis minus perfecte explicatis deficit; pars eadem, ut et pars patellaris, ut mihi videtur, usque $^2/_3$ longitudinis tibiarum pedum anticorum, vel fere duplam longitudinem patellarum attingit. Femora antica supra serie e spinulis minutis piliferis in ♂ utriusque speciei armata, sed, ut mihi videtur, spinulis evidentioribus

---

I: thorace in mortuis aut pure nigro, aut colore piceo l. lurido-fusco obsoletius tincto. Species, subtus in parenthesi inclusæ, thorace in varietatibus vivis rufo-fusco tincto, transitum ad cohortem II præbent:

N:ris 1, 2, 11, 13, 16 ad 27, 47 ad 52 (6, 14, 15, 28 ad 30).

II: thorace in mortuis evidenter aut castaneo-fusco, aut læte rufo-testaceo:

N:ris 3 ad 10, 12, 31 ad 46 (confer etiam 6, 14, 15, 28 ad 30).

in *E. longipalpi.* Thorax, ut totum corpus, $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ major; tamen interdum exempla minora occurrunt. *E. longipalpis* præsertim sub fucis et quisquiliis, ad litora maritima et fluviatilia, at *E. dentipalpis* potius in gramine et plantis versatur.

Thorax, cum pectore, omnino glaber, nitidissimus, obscure fuscus, fere nigricans. Pars cehpalica et postice et ad latera evidenter convexo-elevata. Mandibulæ quam femora antica crassiores, in latere antico serie denticulorum armatæ. Maxillæ plerumque in margine externo denticulatæ vel granulatæ, in basi extus productæ, qua in productione palpi radicati sunt. Palporum pars femoralis saltem æque longa ac femora antica, paullo flexuosa, subtus denticulata. Spina magna sub apice partis patellaris, rectangulariter extensa, fere æque longa atque ipsa illa pars; hæc ad formam angustato-conica, similiter atque pars tibialis in basi vix crassior quam basis metatarsorum anticorum.

Femina. Thorax in plene adultis longit. 1$\frac{1}{2}$, pedes antici 4$\frac{1}{2}$, patellæ una cum tibiis conjunctim 1$\frac{1}{2}$ mm.; ille foveolis nonnullis lateralibus, longitrorsum seriatis. Pars cephalica, a latere inspecta, occipite fere in idem planum ac dorsum succedens decurrit, in latere autem sat profunde impressa et dein ad verticem in planum convexum adscendit. Clypeus evidenter longior quam frons, æque longus ac spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur. In ♂ clypeus æque longus est ac tota illa series. Thoracis margo etiam evidenter replicatus. Mandibulæ rufo-piceæ, robustæ, basi femoribus anticis duplo crassiores et quam clypeus duplo longiores, in latere antico serie denticulorum vel granulorum adspersæ, quorum dentium unus vel alter sæpe deficit. Mares vidi, quorum mandibulæ, una vel altera, dentibus tantum 1—2 armatæ erant. Thorax postice fovea lata, vel depressione ampla pro receptione adominis baseos instructus. Fovea ejusmodi in plerisque aliis *Erigonis* ambitu minor esse solet. Pedes proportione 4, 1, 2, 3; (in ♂ potius 1, 4, 2, 3?); patellæ posticæ $\frac{1}{3}$, anticæ paullo longiores quam $\frac{1}{3}$ tibiarum. Palpi inermes, pars tibialis ultra duplo

longior quam pars patellaris, ut pars tarsalis æqualiter cylindrica; hæc extus obtusior, maxima parte linearis, nec ut in quibusdam aliis speciebus sensim usque a basi ad apicem acuminata; pars patellaris et tibialis, præter setulas adpressas, seta verticali supra apicem, et pedum tibiæ quibusdam ejusmodi vel potius pilis superne vestitæ, quibus etiam metatarsi investiuntur; horum pilorum plerumque unus ante et pone medium tibiarum, et unus ante medium metatarsorum in hac et plerisque aliis speciebus longiores occurunt; basis tibiarum in vivis pallide diaphana. Abdomen nigrum, crebre et sat longe pilosum, ita ut pili, abdomine a latere inspecto, evidenter ultra cutem emineant. Color pedum et palporum rufo-brunneus. Femora ut in ♂ superne sensim leviterque arcuata, nec ut in nonnullis aliis mox supra basin abrupte incrassata. Pectus glabrum nitidum.

Habitat tota æstate sub quisquiliis et plantis emortuis, in litoribus maritimis et fluviatilibus jacentibus. Interdum in parietibus domuum circumvagatur. In Upl., *Thorell*; in Scan. et Blek., *Sundevall;* in Ostrog., *v. Post.*

2. **E. dentipalpis** (WIDER): *Mas* thorace cum pectore piceonigricantibus, glabris, nitidissimis, margine superiore reflexo una cum mandibulis palporumque parte femorali subtiliter denticulatis; parte patellari, ut tibiali, longitudine 1/2 tibiarum anticarum, vel quam patellæ non ultra dimidio longiore; parte patellari sub apice in spinam validam, rectangulariter deorsum vergentem, æque longam ac ipse articulus producta; parte tibiali in apice subtus in unum, superne in duos lobos disinente, horum duorum exteriore ampliore, obtuso, interiore angustiore, paullo longiore, rarius interiore majore; illo (vel subteriore) acuminato-producto, plerumque ante suam basin vel in medio ipsius articuli lateris subterioris dente brevi, interdum obsoleto vel deficiente armato; lobis duobus superioribus latitudine communi æque magna ac latitudo laminæ ordinariæ. Thorax longit. 1, pedes antici 3 3/4, patellæ cum tibiis conjunctim 1—1 1/4 mm.

Femina thoracis margine elevato palpisque edentulis; parte cephalica pone occiput ultra planum thoracis evidenter convexo-elevata; mandibulis ut in ♂ minus robustis, vel basi quam femora antica haud evidenter duplo crassioribus; in latere antico serie denticulorum sive granulorum minus evidentium armatis; ut in ♂ colore thoracis fusco-nigricante, in siccatis fere semper nigro; mandibularum colore rufo-piceo.

Theridion dentipalpe Wider Mus. Senck. I, p. 248, T. 17, f. 1.
Erigone dentipalpis Koch die Ar. VIII, p. 90, T. 278, f. 659 & 660.
(Sane mirandum est, quod armatura marginis thoracis et mandibularum a Dom. *Koch* haud descripta fuerit.).

Mas thoracis margine et superficie ut in ♂ præcedentis; clypeus, ut in illo, æque altus atque efficit spatium, quod a tota serie oculorum 4 anticorum occupatur, vel duplo major quam spatium inter oculos duos intermedios anticos et posticos. Mandibulæ paullo breviores videntur, vel non exacte duplo longiores quam clypeus; plerumque sunt denticuli seriati in iis paullo longiores. Maxillarum basis, ut in eodem ♂, extus productione, cui palpi impositi sunt, prædita; denticuli marginales vix ulli. Palpi, ut in illo, in statu extenso circiter apicem metatarsorum pedum anticorum attingunt; parte patellari etiam angustiore quam patellæ pedum anticorum, quam hæ perparum vel $^1/_3$—$^1/_2$ longiore. In *E. longipalpi* autem eadem pars non multo brevior est quam dupla longitudo patellarum; quæ nota una cum forma apicis partis tibialis, superne bilobatæ, vel, si mavis, emarginatæ, ut et præsentia denticuli, in medio illius partis lateris interioris siti, in plerisque exemplis evidentis, ut valde essentiales sunt considerandæ. Loborum internus paullo longior, apice piceo-nigricans, externus brevior, obtusior, uti reliqua pars articuli rufo-brunneus; interdum lobi variant magnitudine contraria; articuli lobus inferior (interior), vel qui ad os vergit, ut in *E. longipalpi*, simplex, spinam robustam, apice breviter mucronatam referens. Supra apicem coxarum pedum anticorum in ♂ *E. longipalpis* spinula erecta observatur, quam autem in

♂ *E. dentipalpis* non detegere potui; an re vera adsit, minutissima? In femoribus superne in *E. longipalpi* observatur series e spinulis minutissimis piliferis, sed hæ in ♂ nunc descripto obsoletissimæ, fere nullæ? Pedes testaceo-brunnei, femoribus rubedine tinctis.

Femina a ♀ præcedente haud distinguenda, nisi magnitudine minore, et occipitis elevatione, ut mihi videtur, distinctius ultra limitem dorsalem inter partem cephalicam et thoracicam eminente, h. e. occiput et regio insequens dorsalis non in planum rectum confluunt. Mandibularum denticuli plerumque minutissimi, granuliformes, sæpe vix ulli dicendi.

Semper in gramine excipulo deprehensa ad Gothob. In Upl., *Thorell*.

3. **E. nudipalpis.** *Mas* parte cephalica præsertim per impressionem posticam evidenter distincta, ultra planum thoracis sensim ad verticem (hunc non semigloboso-convexum) paullo elevata ; palporum parte patellari angustato-conica, vel extus sensim sed non fortiter incrassata, superne recta, non arcuata, quam patellæ pedum anticorum saltem $1/2$ longiore, omnino nuda, nisi pilis quibusdam brevissimis, supra apicem sitis, deorsum flexis vestita (an semper tam nuda); parte tibiali fere obverso-fungiformi; stipite, quo illa parti patellari affigitur, paullo arcuato et dimidio angustiore quam hæc pars, apice externo calcaribus pluribus instructa. Thorax supra, præsertim ad latera, subtiliter rugulosus vel coriaceus, subtus glaberrimus, nitidior, utrobique una cum mandibulis, palporum articulis ultimis abdomineque piceis l. fusco-nigricantibus; pedibus læte castaneo-rufescentibus; femoribus anticis supra basin cito incrassatis.

Femina altitudine faciali vix mandibularum longitudinem attingente; distantia inter os et oculos intermedios anticos haud longiore quam spatium, ab oculis 4 anticis ocupatum, et evidentissime breviore quam longitudo mandibularum; palporum parte tibiali et tarsali fusco-piceis,

illa paullo longiore quam patellæ pedum anticorum (?), cylindrica, extus paullo incrassata, ibique evidenter crassiore quam pars femoralis; parte tarsali parum vel vix longiore quam pars tibialis, et angustiore quam hujus apex, per totam extensionem sensim ad apicem subulata (ut in *E. inflexa* (4), *cornuta* (12), *erythrocephala* (40), *monocerote* (14) et nonnullis aliis); thorace in disco, sub oculo bene armato inspecto, obsoletius quam in ♂ coriaceo vel reticulato, nitido, tamen ad latera satis distincte ruguloso; impressione pro parte cephalica haud tam profunda, limite inter occiput et dorsum succedens levissime impresso; pectore ut in ♂ glabro, et femoribus anticis supra basin cito incrassatis. Patellæ anticæ paullo longiores quam $^1/_3$ tibiarum. Cave ne hanc cum *E. inflexa* confundas.

Westr. Enum. Ar. p. 40. — *E. serotina* Koch VIII, p. 95, t. 279, f. 663, 664? (figura autem palporum et in ♂ et in ♀, hujusque palporum color longe alia).

Mas in notis, in diagnosi allatis, facile distinguitur ab affinibus, qui palpos solito longiores habent. Thorax in disco obsoletius reticulato-coriaceus, hoc una cum parte cephalica et clypeo nitidioribus; pectus amplum, rufo-piceum, omnino glabrum, adhuc nitidius. Pars cephalica evidenter quidem convexa at non insigniter elevata, vertice nonnihil angustata, vel hoc minus circulariter convexa quam, e. gr., in *E. longipalpi* (1); caput, a postice inspectum, tam attenuatum ut ipse vertex haud latior quam $^1/_3$ latitudinis partis thoracicæ evadat; a latere visum etiam minus circulariter ad oculos intermedios posticos adscendit, ita ut occiput cum sua elevatione ultro locum, quo oculi iidem insistunt, minus evidenter emineat; altitudo facialis paullo major quam longitudo mandibularum; hæ colore thoracis; area, ab oculis occupata, propter elevationem angustiorem capitis etiam sat angusta, ita ut series antica brevior evadat quam efficit altitudo clypei (spatium inter os et oculos 2 intermedios anticos); series eadem vix longitudinem mandibularum attingit; an paullo deorsum arcuata. Palporum pars

tibialis extus dilatata, dein in stipitem gracilem, arcuatum, parti patellari affixum, quam hujus apex dimidio angustiorem coarctata; ipse apex in calcaria plura finitus, quorum 1 internum obtusum, 1 laterale acutius, magis patens, hoc in apice mucrone brevissimo, subtilissimo, uncato auctum, 1 exterius, supra lamellam ordinariam quiescens, inæquale vel quasi apice emarginatum; ipsum membrum genitale in appendices 2—3 deorum versas finitum, quarum 1 diaphanam et unam fuscam, spiraliter flexam, hanc in organo siccato evididentius procurrentem; lamina ordinaria cum bulbo genitali conjunctim fere duplo crassiora quam mandibulæ; pars femoralis extus sensim incrassata, longit. $^5/_6$ femorum anticorum pedum. Pedes distincte pilosi, pilis ordinariis verticalibus 5—6, alternatim longioribus et brevioribus, in tibiis et metatarsis vestiti. Fovea normalis postica in thorace sat distincta. Thorax longit. $1\,^1/_4$—$1\,^1/_3$ mm.

Femina fronte minus attenuata, ita ùt latitudo æque magna ac $^1/_2$ latitudinis partis thoracicæ evadat; dorsum hujus mox pone occiput levissime impressum, vel una cum parte cepalica fere in planum rectum procurrens; tibiæ anticæ non evidenter triplo longiores quam patellæ. Si has notas una cum reliquis, in diagnosi allatis, bene observes, ♀ facile distinguitur ab illis insequentium, quæ palpos simili modo constructos et thoracem ad partem rugulosum vel coriaceum habent.

Mense Aprili sub foliis siccatis uterque sexus in Slottsskogen ad Gothob. captus.

4. **E. inflexa:** *Femina* thorace saturate fusco, subtus polito, nitido, supra in disco subtiliter remote punctulato, ad marginem et in declivitate postica subtiliter ruguloso vel coriaceo; parte cephalica glabra, nitida, per impressionem, et lateralem et posticam, illam usque ad ipsum marginem supra palpos procurrentem evidenter distincta, impressione mox pone occiput profunda; dorso pone medium fovea normali haud ulla; clypeo æque alto atque efficit longitudo oculorum seriei anticæ; palporum

parte tibiali robusta, sensim ad apicem paullo incrassata; parte tarsali angustiore quam apex partis tibialis, per totam extensionem ad apicem sensim acuminata; femoribus anticis supra basin cito incrassatis; tibiis anticis evidenter triplo longioribus quam patellæ; thorace per se, et patellis conjunctim cum tibiis anticis longit. 1—1 $^1/_3$ mm.

Quoad structuram et colorem valde similis *E. nudipalpi* (3), sed differt thoracis dorso pone occiput evidenter profunde impresso, unde discus dorsi per se evidentissime convexus evadit, nec in directionem magis rectam ad occiput procurrit. Non solum margo ad medium laterum declivium subtiliter rugulosum, sed etiam discus, sub oculo bene armato inspectus, etsi parce tamen distincte impresso-punctulatus, et præterea pone occiput rugulis nonnullis transversis notatus; declivitas postica etiam coriacea videtur. Clypeus ut in femina speciei memoratæ non altior quam efficit spatium, quod ab oculorum serie antica occupatur. Mandibulæ ut in illa, parum longiores quam tota altitudo facialis; satis robustæ, vel crassitiem femorum anticorum attingentes. Palporum et pedum color rubicundo non tam læte tinctus mihi videtur, an etiam in vivis?; palporum articuli duo ultimi etiam fusci et simili modo ut in illa specie constructi. Tibiæ anticæ, bene contemplatæ, evidenter triplo longiores quam patellæ videntur, unde minus robustæ quam in ♀ illius speciei videntur. Femora antica etiam mox supra basin abrupte incrassata, nec ut in pluribus aliis, e. gr. *E, longipalpi* (1), sensim decliviter incrassata. Pedes toti ut in *E. nudipalpi* pilis ordinariis decumbentibus evidenter et sat crebre vestiti, et tibiæ superne pilis verticalibus pluribus ornatæ. Abdomen fusco-nigricans.

21 Aprilis sub lapide prope Gothob. inventa.

5. **E. longimana** (Koch): *Mas* thorace subtus glabro, superne, excepto clypeo, concinne coriaceo vel reticulato, fusco-brunneo; palporum bulbo, e lamina ordinaria et instrumentis genitalibus composito, haud crassiore quam mandibulæ; pedibus testaceo-brunneis; abdomine piceo-

nigro; dorso thoracis ab oculis intermediis posticis ultra medium æqualiter fornicato.

E. longimana KOCH VIII, p. 93, T. 278, f. 661 & 662. -- *Theridion longipalpe* WIDER Mus. Senck. I, p. 227, T. 15, f. 7.

Mas. Thorax longit. 1 mm. Pars cephalica non per impressionem ullam evidenter distincta, sed cum parte thoracica et in latere et postice æqualiter concreta; superficies sub oculo bene armato coriacea, vel quasi scutulis orbiculatis, planis, confertissimis tecta; margo haud replicatus; fovea ordinaria pone medium dorsi nulla; pectus glabrum, nitidum. Oculi depressiusculi, parum eminentes, et unde ægrius observandi; intermedii antici inter se evidenter magis approximati quam postici. Clypeus evidenter brevior quam series oculorum 4 anticorum, glaber, nitidissimus, perpendicularis, rectus. Frons ad formam regularis. Mandibulæ ovatæ, robustæ, crassiores quam femora antica, paullo longiores quam clypeus, coriaceæ. Maxillæ, ut in *E. dentipalpi* (2) et *longipalpi* (1) basi, qua palpi insistunt, productæ. Palporum pars femoralis extus vix incrassata, omnino inermis, recta, in animalculo vivo sursum erecta, vix brevior quam femora pedum anticorum, pars patellaris circiter dimidio brevior, plus quam dimidio longior quam patellæ pedum anticorum, extrorsum sensim incrassata, superne paullo arcuata nec recta; pars tibialis non longior quam crassior, brevis, subtriangularis, apice appendice flexuosa, clavæ imposita et ad medium hujus extensa, extus apice recurvata aucta; pars patellaris superne longitrorsum setulis nonnullis decumbentibus vestita. Pedes brunneo-testacei, basi tibiarum subdiaphana; toti pedes setulis ordinariis adpressis et nonnullis in tibiis superne erectis vestiti. Femora antica supra basin leviter sensimque nec abrupte incrassata. Tibiæ posticæ 3:plo, anticæ vix 3:plo longiores quam patellæ.

Mense Augusto in Slottskogen prope Gothob. captus. Mense Julio in gramine, ad Balnearia Särö Hallandiæ, excipulo lectus. In Upl., *Thorell.*

6. **E. scabristernis**: *Mas* thorace piceo-nigricante, subtus scabroso-coriaceo, supra, excepto margine subtiliter ruguloso, glabro, nitido; dorso medio convexo, dein versus occiput impresso, unde pars cephalica hic evidenter distincta videtur; hac ad frontem sensim et simul leviter convexo-adscendente; dorso in declivitate basali fovea ordinaria majuscula, lata; clypeo recto, perpendiculari, quam mandibulæ haud breviore, vel oculis intermediis anticis a margine supra os duplo longius quam ab intermediis posticis distantibus, vel longius quam efficit longitudo spatii, quod ab oculorum tota serie antica occupatur; palpis longissimis, parte patellari dimidio longiore quam patellæ pedum anticorum, angustato-conica; parte tibiali brevi, at in laminam longam flexam calcariformem producta.

Femina: altitudine faciali vix longiore quam mandibulæ; clypeo, vel distantia inter os et oculos intermedios anticos dimidio tantum longiore quam inter hos oculos et oculos intermedios posticos, nihilominus spatio faciali vix breviore quam latiore; palpis gracilibus, h. e. parte tibiali non extrorsum sensim tam incrassata ut in apice crassior evadat quam pars femoralis; parte tarsali æque gracili, sensim acuminata; thoracis superficie supra subtusque ut in ♂; pedibus pilis adpressis ordinariis evidentioribus; tibiis ut in ♂ basi pallide diaphanis et femoribus anticis supra basin leviter, nec abrupte incrassatis.

WESTR. Enum. Ar. p. 40.

Mas. Thorax, ut patellæ cum tibiis anticis, simul sumtis, longit. 1 mm., in vivis saturate fuscus, in siccatis subnigricans, superficie nitida, glabra, at versus margines e rugulis subtilissimis inæquali; dorso, a latere inspecto, pone occiput evidenter impresso; regione laterali infra partem cephalicam omnino æquali, nec ut in nonnullis aliis impressione normali, usque ad marginem supra palpos descendente, prædita. Clypeus, a latere inspectus, perpendicularis, æqualis, nec impressus, neque elevatione ulla, ex eminentia ocu-

lorum intermediorum seriei anticæ orta, munitus; hi oculi a lateralibus anticis duplo longius quam inter se distant; omnes oculi 8 depressiusculi, proinde ægrius discernendi. Frons, bene inspecta, breviter pilosula. Pars cephalica sensim angustata, fronte minus subsemiglobosa quam, e. gr., in ♂ *E. longipalpis* (1) dicenda. Fovea normalis pone medium dorsi evidentissima. Mandibulæ femoribus anticis vix vel parum crassiores, brunneo-fuscæ, longitudine vix altitudinem clypei, saltem non altitudinem facialem attingentes. Tota altitudo facialis, ab antice inspecta, parum major quam altitudo clypei; quod ex humilitate frontis pendet; hæc magis plana, parum declivis. Palporum pars femoralis linearis, longitudine femorum anticorum; pars patellaris conica, vel basi angustata, extus incrassata, hic tamen vix crassior quam patellæ pedum anticorum, dimidio longior quam hæ; pars tibialis in lobum longissimum, sensim angustatum et arcuatum, calcariformem producta, et qui laminam ordinariam, cum membro genitali, uno latere obvolvit; toto membro (cum productione) vix breviore quam tarsi antici; lamina ordinaria secundum normam pilosa; pars patellaris et femoralis nec superne neque alibi pilis minutis ullis vestitæ, an semper?; bulbus genitalis duplo crassior quam femora antica, apice calcar vel setulam, spiraliter flexam, nigram, parum perspicuam emittens. Pedes præter pilos ordinarios verticales in tibiis et metatarsis, aliis brevissimis adpressis, parum perspicuis induti; patellis anticis longit. $1/3$ tibiarum, femoribus supra basin sensim nec abrupte incrassatis. Color pedum rufo-brunneus, basi tibiarum pallide diaphana. Pectus evidenter coriaceum, vel forsitan simul e granulis minutissimis scabrum, quod sub lente non satis evidenter perspici potest.

Femina a præcedentibus et pluribus insequentium mox dignoscitur pectore coriaceo. Pars cephalica ut in ♂ ad maximam partem posteriorem distincta; clypeus et thoracis superficies nitida, hic juxta margines obsolete rugulosa. Tibiæ ut in ♂ superne pilis subtilissimis, verticalibus, 3—4, et versus medium metatarsorum pilo singulo, præsertim hoc

satis longo; pilis ordinariis adpressis magis evidentibus quam in ♂. A speciebus affinibus, ex. gr. *E. scabricula* (28), *coriacea* (25), *rugulosa* (27), *impolita* (26), cet, certe facile distingui potest altitudine clypei, superficie thoracis, fovea dorsali normali evidentissima et aliis notis, pro unaquaque specie allatis.

Mense Septembri sub foliis deciduis, in Slottskogen prope Gothob. captus.

SECTIO II.

Maris palporum pars femoralis evidenter brevior quam femora pedum anticorum, vel longitudine $1/2$—$2/3$ horum attingens.

A. Caput aut in conum aut in gibbos 1—2 adscendens (*E. monoceros* (14) tuberculo interoculari brevissimo, apice penicillo ornato, pilis in exemplis siccatis sæpe divaricantibus sive decumbentibus). Caput elevatum in nonnullis speciebus, similiter ac in divissione B. §., ad latera excavatum.

***a*) Caput in gibbos duos æquales, transverse juxta-positos elevatum (Palporum pars patellaris in speciebus cognitis æque longa ac patellæ pedum anticorum).**

7. **E. bicuspidata** (Koch ?): *Mas* thorace marginibus leviter elevato, glabro, nitido, rufo-fusco seu piceo, parte cephalica nigricante, capite in gibbos duos minores, dimidiato-ovatos longitrorsum partito, infra gibbos lateraliter constricto, ab antice inspecto gibbos non crassiores quam femora antica repræsentante; oculis 2 intermediis anticis et posticis in eminentia communi, vel etiam quoque pari per se tuberculo distincto, antice infra gibbos sito impositis; pedibus rufescentibus, superne setis verticalibus haud ullis distinctis indutis; palporum parte patellari longitudinem et crassitudinem patellarum pedum anticorum non superante.

***Micryphantes bicuspidatus* Koch IV, p. 138, T. 144, f. 338 (sine dubio huc referendus est, quamvis figura et descriptio oculos intermedios posticos (superiores) in ipsis tuberculis capitalibus sitos esse domonstrant. Confitendum sit hos oculos ægrius esse observandos**

et cavendum est ne locus quidam in tuberculis, quæ in siccatis certo situ subdiaphana videntur, pro ipsis oculis habeatur). — *Argus idem* WALCK. Apteres II, p. 371 (Descriptio pro hac et omnibus fere *Erigonis Kochianis* translatione gallica tantum continetur, sane non meliore).

Mas. Thorax longit. vix 1 mm., rufo-fuscus, prope margines foveolis nonnullis impressus, supra et subtus omnino glaber, nitidus. Caput nigricans, infra tuberculos, et antice et in lateribus impressum vel constrictum, unde in fronte, mox infra gibbos, elevatio transversa exstat, in cujus superiore parte oculi intermedii postici (vel superiores), quasi deplanati et certo lumine ægre observandi, siti sunt. Oculi intermedii antici (vel inferiores) etiam in eminentia transversa, circiter in medio faciei (vel spatii inter os et summum tuberculorum capitalium) siti, majores, distincti. Caput, a latere inspectum, elevationes oculorum instar duorum tuberculorum minorum distincte repræsentat; ab antice contemplatum, elevationem lateralem infra constrictionem vel potius infra gibbos demonstrat; hæc elevatio utrinque callum format, ante et infra quem excavatio nitida observatur; ante hanc foveam oculi laterales postici, ægre observandi, mox juxta laterales anticos siti sunt. Oculi intermedii inferiores dimidio brevius inter se quam a lateralibus anticis distant; hi etiam sat evidentes; omnes hi 4 oculi (vel series antica) in lineam deorsum curvatam dispositi. Tubercula capitalia propter intervallum profundius magis separata quam in *E. bituberculata* (8), a latere inspecta non exacte circulariter convexa, sed magis plana seu retrorsum subdeclivia, et a strictura laterali ad convexitatem non tam alta atque efficit longitudo diametri femorum, neque, ab antice inspecta, vix tam lata atque efficit eadem diameter. Mandibulæ fusco-piceæ, femoribus anticis parum crassiores, altitudinem facialem circiter $^3/_4$ attingunt. Palpi colore pedum; clava fusco-brunnea; pars tibialis extus spina apicali brevi, nigro-picea, et introrsum stilo arcuato, ultra medium clavæ extenso instructa; pars patellaris longitudine et forma patellarum pedum anticorum. Abdomen præsertim ad la-

tera longitudinaliter rugulosum videtur, breviter pubescens, foveis normalibus 4, anterius in trapezium dispositis, profundis, evidentibus impressum. Pedum tibiæ superne nullis pilis verticalibus evidentibus indutæ; patellæ anticæ longitudine vix $1/3$ tibiarum attingunt. Pectus colore dorsi thoracis, seu fuscum; latum, glabrum, convexum. Dorsi fovea ordinaria postica lata, profundiuscula, cum excavatione basali concreta (?).

Mense Junio in pariete domus et in gramine inventa ad Gothob.

8. **E. bituberculata** (Wider): *Mas* thorace glabro, nitido, exceptis genis margineque anguste nigris de cetero una cum pedibus læte rufo-testaceis, capite in gibbos duos majores transverse juxta-positos elevato, his dimidiato-oviformibus, evidenter crassioribus quam femora antica; oculis intermediis posticis tuberculo obsoletissimo, anticisque tuberculo evidentiori, vel simul eminentiæ communi humillimæ impositis, infra gibbos in ipso clypeo locatis; abdomine nigro; tibiis superne setis verticalibus vix ullis; palporum parte patellari longitudinem et crassitudinem patellarum pedum anticorum evidenter superante.

Femina thorace supra subtusque cum mandibulis pedibusque ut in ♂ læte rufescentibus, area oculorum et apice mandibularum nigricantibus; thoracis parte cephalica forma vulgari, per impressiones laterales profundiores evidentius distincta; occipite evidentius convexo, altiore quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt; serie oculorum 4 anticorum vix deorsum arcuata, intermediis ab ore vix longius quam ab intermediis posticis dissitis, vel distantia haud majore quam id spatium, quod ab oculis 3 seriei anticæ occupatur; altitudine faciali dimidio breviore quam efficit latitudo; mandibulis crassis, latis, antice ad basin parum convexis, vel, perpendiculariter inspectis, convexitate vix ultra clypeum porrectis, neque lateribus in angulum elevatis; omnino gla-

bris; palpis extrorsum crassiusculis, hic quam pars femoralis vel quam metatarsi antici paullo crassioribus.

Theridion bituberculatum Wider Mus. Senck. I, p. 222, Pl. 15, f. 2. — *Argus id.* Walck. Apt. II, p. 363.

Mas E. bicuspidatæ (7) quoad structuram capitis et situm oculorum sat similis, sed facile dignoscitur colore thoracis lætius rufo, regione tantum frontali cum genis infuscatis, ut et forma gibborum capitis et structura palporum partis patellaris. Caput, ab antice inspectum, superne minus late impressum, vel ad $^1/_3$—$^1/_2$ tantum infra apicem gibborum; in *E. bicuspidata* fundus impressionis vix a basi gibborum remotus videtur; gibbi, a latere visi, magis circulariter convexi, nec ut in illa specie retrorsum subdecliviter decurrentes; ab antice inspecti, etiam regulariter globosi videntur; in illa specie autem illi sursum leviter attenuati videntur, sive introrsum abrupte declives, extrorsum convexiores; in eodem statu gibbi in *E. bituberculata* evidenter latiores quam femora antica videntur. Caput, a latere visum, humillimam tantum elevationem communem bituberculatam propter eminentiam oculorum in fronte repræsentat (scilicet tuberculum tantum solitarium humilius, cui oculi intermedii inferiores impositi sunt). Oculi interm. superiores mox infra gibbos siti, parum eminentes; inferiores, vel tuberculum, quo hi insistunt, circiter in medio spatii facialis ut in *E. bicuspidata* situm est; series oculorum 4 superiorum propter nigredinem circa basin tuberculorum ægrius discernenda; oculi præterea satis deplanati; latera capitis infra gibbos capitales ut in illa specie fovea excavata, hac autem adhuc evidentiore, in arcum recurvum ducta; margo posticus hujus excavationis superne etiam tuberculum vel pliculam elevatam exhibet, et cavendum est ne hæc plicula vel tuberculum pro oculis lateralibus habeatur. Palporum pars patellaris angustato-conica, evidenter crassior et longior quam patellæ pedum anticorum; pars tibialis ut in *E. bicuspidata* constructa. Mandibulæ apice infuscatæ vel piceæ, quo colore clava palporum picta est. Gibbi capitis præsertim in siccatis subdiaphani. Omnes partes reliquæ ut in

illa specie, sed palporum pars femoralis paullo longior, ita ut longitudine $^3/_4$, nec $^1/_2$—$^2/_3$ tantum femorum anticorum attingere videatur.

Femina. Quoad colorem *E. cheliferæ* (36) similis, a qua statim distinguitur altitudine faciali dimidio breviore quam efficit latitudo, vel distantia inter os et oculos interm. anticos vix vel perparum longiore quam inter illos et oculos interm. posticos, clypeoque haud impresso. Ab *E. graminicola* (32) differt colore thoracis lætius rufescente, mandibulisque non subangulatim convexis. Thorax longit. 1 $^1/_3$, pedes antici 3 $^1/_2$, patellæ et tibiæ conjunctim 1 $^1/_3$ mm.; ille supra subtusque pallide castaneo- vel miniato-rufescens; a latere vel etiam ab antice inspectus altius convexus, ita ut occiput distincte altius appareat quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt. Oculorum series antica vix deorsum arcuata. Thoracis superficies omnino glabra, etiam subtus. Fovea ordinaria pone medium dorsi lata, non libera, sed cum excavatione basali concreta (?). Palpi et pedes robustiores quam in *E. graminicola*; illorum pars tibialis vix duplo longior quam patellaris; linearis, non ut in nonnullis aliis speciebus extus sensim incrassata; pars tarsalis basi metatarsorum anticorum vel apice partis femoralis paullo crassior, apicem versus tantum citius (nec ut in nonnullis tota sensim) angustata; palpi non ullis setis insignioribus erectis, nisi unica in apice partis tibialis, breviore, vel diametrum ipsius articuli haud superante, aliaque ejusmodi in apice partis patellaris, adhuc breviore instructi. Pedes toti unicolores, primi et quarti æqualiter longi, deinceps secundi et tertii breviores; tibiæ superne setulis verticalibus vix distinctis, nisi nonnullis valde tenuibus et brevissimis vestitæ, his ægre observandis (etiam sub lente), diametro tibiarum multo brevioribus; metatarsi cum tarsis minus attenuati dicendi, subrobusti; toti pedes antici longit. vix ultra 3 $^1/_2$ mm. Femora antica supra basin sensim nec abrupte incrassata; tibiæ basi concolores; anticæ non crassiores quam posticæ. Abdominis pili vix ultra cutem eminent, ideoque breves dicendi. Foveæ dorsales 4 ordinariæ, in trapezium dispositæ,

in vivis distinctissimæ. Abdomen magis globosum quam, ex. gr., in *E. graminicola* videtur.

Mense Majo, sub lapidibus et aliis in locis humidis ad Göta Elf ad Gothob. et sub fucis, e mare rejectis, ad Rya skog, prope eandem Urbem, frequenter inventa.

b) *Maris* caput in gibbos duos (inæquales), longitrorsum (sive unum post alterum) positos elevatum; horum anticus in una specie appendicibus duabus instructis (!). Palporum pars patellaris fere ut in præcedentibus formata; h. e. nec globosa neque tam breviter obconica est, ut perparum tantum longior evadat quam efficit ejus latitudo apicalis.

9. **E. capito**: *Mas* thorace rufo-testaceo, subtus glabro, nitido, supra subtiliter coriaceo, subopaco; parte cephalica in gibbum duplicem, æque altum atque efficit longitudo palporum partis patellaris elevata; gibbi parte antica duplo ampliore quam postica, apice paullo antrorsum procumbente, lateribus regulariter declivibus, h. e.: sensim et in directionem æqualem cum lateribus partis thoracicæ concreta; parte postica dimidio angustiore, in latere baseos constricta, ad formam dimidiato-ovata, etiam procumbente et parti anticæ arcte incumbente, tamen intervallo evidenter translucente; oculis intermediis anticis anterius in apice gibbi antici, posticis utrinque mox infra apicem gibbi postici, duobusque lateralibus utrinque ad basin gibbi antici locatis.

Mas affinis *Micryphantidi cucullato* KOCH die Ar. III, p. 45, T. 89, f. 200, at secundum descriptionem pars cephalica nigra, thoracica castaneo-fusca, fere nigricans est; apertura, quæ ambas partes gibbi sejungit, anterius sita est, ita ut antica pars minor nec ut in nostra specie major quam pars postica evadat; apertura valde hians, in nostra specie autem angustissima, ita ut lux ægrius penetrare possit; tibiæ superne in nostra specie pilis verticalibus normalibus subtilissimis et parum perspicuis vestitæ; pedes e rubedine non tam saturate tincti. (Structura capitis *M. cucullati* parum a maris *E. anticæ* (10) discrepat). — Thorax longit. 1 mm.,

patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 1 ¼ mm.; ille saturatius quam pedes rufo-testaceus; fovea normalis pone medium rudimentaria tantum; spatium faciale impressum æque altum atque efficit longitudo mandibularum; hæ colore pedum, similiter ac palpi; horum pars femoralis longitudine paullo ultra ½ femorum anticorum; pars patellaris conica, in medio paullo crassior quam patellæ pedum anticorum (?) et quam hæ paullo longior; pars tibialis subtus in spinam breviorem, superne in laminam inæqualem longiorem, supra tumidam producta; membrum genitale in latere externo setulas 1—2 nigras, spiraliter flexas, et in apice calcar reclinatum (apice sursum spectans) emittit; setulæ spiraliter flexæ ut in *E. cornuta* (12) quasi membranam hyalinam cingunt; bulbus, ex instrumentis genitalibus una cum lamina ordinaria compositus, 4:plo fere amplior quam femora antica, vel circiter æque crassus ac gibbus geminatus capitalis. Oculi omnes facillime observari possunt propter colorem cutis rufo-brunneum et propter lumen, quod per gibbos saltem in siccatis subdiaphanos penetrat; oculi intermedii antici mox infra apicem gibbi antici siti, non difficile observandi, a lateralibus duplo longius quam inter se remoti.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

10. **E. antica** (WIDER): *Mas* thorace glabro abdomineque fusco-piceis, pedibus rufescentibus, tibiis anticis, excepta basi, aut piceis aut nigro-infuscatis; capite in gibbum semiglobosum æqualem elevato, hoc anterius mox infra apicem oculos intermedios posticos excipiente, antejacente corniculo vel gibbulo, apice attenuato, breviore, hoc anterius infra apicem appendicibus duabus porrectis, basi concretis, extus divaricatis instructo, et inferius pone basin oculos duos intermedios anticos excipiente; palporum parte femorali gracili, evidenter breviore quam ⅔ femorum pedum anticorum.

Femina. Capitis forma vulgari; parte cephalica distincta, convexo-elevata, pone occiput satis profunde impressa; oculis intermediis anticis a posticis solito distan-

tioribus, vel area, ab omnibus occupata, non ultra dimidio latiore quam longiore; tibiis anticis fere semper piceo-nigricantibus, in siccatis interdum piceo-ferrugineis; palporum parte tibiali picea, extus nonnihil crassiore quam juxta basin, vel sensim leviter incrassata, crassitie basin metatarsorum anticorum attingente, vix superante; parte tarsali sensim acuminata, etiam piceo-nigricante.

Theridium anticum WIDER T. 1, p. 221, Pl. 15, f. 1. — *Michryphantes tibialis* KOCH III, p. 47, T. 89, f. 203 ♀, et VIII, p. 107, T. 282, f. 675 ♂. — *Argus anticus* WALCK. Apt. II, p. 357.

Femina. Thorax long. 1 mm. foveolis minoribus ad latera, foveolaque ordinaria dorsali postica satis minuta et vadosa præditus; a latere inspectus pone occiput impressus, parte cephalica humiliter convexa, vix vel parum elevatiore quam summum dorsum partis thoracicæ, hoc postice decliviter vel minus circulariter descendente. Oculi, perpendiculariter inspecti, conjunctim annulum ovalem describunt; 4 antici subæquales, vel duo intermedii minus evidenter minores. Altitudo clypei brevior quam mandibulæ, et nonnihil major quam efficit longitudo frontis; tota altitudo facialis parum brevior quam mandibulæ. Thoracis superficies supra subtusque ut in ♂ glabra, polita. Mandibulæ quam thorax pallidius piceæ. Palporum pars tibialis colore tibiarum pedum anticorum; toti palpi in siccatis eodem colore picti. Pedes antici et postici inter se subæqualiter longi; patellæ anticæ longit. $1/_3$, posticæ $1/_4$ tibiarum; toti pedes setis sat longis adpressis, tibiæque supra quibusdam verticalibus vestita; tibiæ anticæ reliquis paullo crassiores videntur; variant rarius colore piceo-ferrugineo; hic color præsertim in siccatis (et in masculis quibusdam lustratis) exstat; femora supra basin cito incrassata, ut in nonnullis aliis. Palporum pars tibialis satis robusta, at basi metatarsorum anticorum non crassior; pars tarsalis acuminata, haud maxima parte cylindrica. Tibiæ basi pallido-diaphanæ. Propter distantiam magnam inter oculos 2 intermedios anticos et posticos series oculorum 4 posticorum valde procurva evadit.

Mas. Color ut in ♀. Gibbus capitalis in lateribus et antice basi constrictus, ab antice visus subsemiglobosus, immo ambitu potius major quam semiglobus, vertice æqualiter convexus. Oculi duo laterales infra fissuram sive sinum inter gibbum et corniculum anticum siti sunt. Altitudo totius faciei mandibularum longitudine fere major. Palporum pars femoralis et patellaris rufescentes; hæc longitudinem patellarum pedum anticorum vix attingit, quam hæ multo gracilior; pars tibialis quasi patinæformis, inæqualis, apice in laminam arcuatam, laminæ ordinariæ impositam producta, una cum hac colore piceo- vel rufo-fuscæ. Appendices in corniculo, sub oculo armato facile observandæ, manifeste e radice communi exeunt, nonnihil breviores quam ipsum corniculum, apice clavatæ, antrorsum porrectæ et divaricatæ (organum valde mirabile!). Tibiæ basi ut in ♀ anguste pallidæ.

Mense Majo sub lapidibus, et mense Septembri ad radices graminum et ericæ, juxta montes et lapides, uterque sexus simul captus. Mense Julio sub foliis deciduis ad prædium Särö Hallandiæ inventa. In Upl., *Thorell*.

11. **E. bicornis** (WIDER): *Mas* thorace angustato-ovato nigro, supra subtusque polito; capite transverse fissum vel in gibbos duos minores elevato, gibbo antico angustiore, postico paullo latiore et altiore, superne pilosis, utroque oculos duos, quatuor intermediis normalibus respondentes, excipiente; abdomine nigro; pedibus rufo-brunneis; clypeo ad os introrsum descendente; palporum parte femorali long. $^2/_3$—$^3/_4$ femorum anticorum, apice non multo angustiore quam horum apex, saltem non quam tibiæ.

Theridion bicorne WIDER Mus. Senck. I—8, p. 220, t. 14, f. 12. — *Argus id.* WALCK. Apt. II, p. 365. — *Michryphantes cæspitum* KOCH VIII, p. 104, T. 281, f. 673—674 (excl. syn. forsitan omnibus, præter Dom. WIDERI; *Lin. rufipes* SUND., ibi allata, est *M. crassipalpus* KOCH. Figura maris, a Dom. KOCH data, non bona, nam caput haud bifidum sive bigibbum repræsentat).

Mas. Thorax niger, longit. vix 1 mm., margine haud elevatus, secundum latera foveolis parum conspicuis impres-

sus, politus, nitidus; perpendiculariter inspectus antice angustatus, vel latitudine vix ultra $^1/_4$ latitudinis mediæ partis thoracicæ attingens; foveola pone medium satis distincta, vadosissima; a latere contemplatus dorso ad gibbum posticum sensim adscendente, æquali, nec ullibi impresso; hoc gibbo ultra thoracis planum adjacens non altius elevato quam efficit longitudo dimidia patellarum anticarum, mox pone apicem, in lateribus, oculum singulum excipiente; his oculis, a postice inspectis, evidentius observandis, vel magis postice quam anterius locatis; apex gibbi pilis aliquot antrorsum flexis vestitus; ille paullo altius eminet quam apex tuberculi antici; hoc, ut posticum, transversim convexum, pilis fere adhuc evidentioribus, retrorsum flexis vestitum, paullo pone apicem oculos intermedios anticos, utrinque unum, ægrius observandos excipiens; oculi duo laterales infra intervallum gibborum siti, evidentes. Clypeus non perpendicularis sed ad os introrsum directus, proinde etiam mandibulæ ad pectus inflexæ evadunt; hæ tenues, basi vix crassitiem femorum anticorum attingunt, apice acuminatæ, vix (vel parum?) longiores quam altitudo facialis Palpi colore pedum, clava fusco-picea vel nigricans; pars femoralis paullo robustior et longior quam in *E. antica*, longit. saltem $^2/_3$ femorum anticorum; pars patellaris non brevior quam patellæ pedum anticorum, apice superne seta verticali munita; pars tibialis in laminam magnam nitidam producta; lamella ordinaria, membra sexualia tegens, evidentius pilosa, his extus dentibus nonnullis, præsertim in exemplis corrugatis evidentioribus armatis; in vivis calcar, extus situm, evidenter adest. Pedes patellis anticis longit. vix $^1/_3$ tibiarum attingentibus, tibiis omnium pedum basi evidenter pallido-diaphanis, etiam in siccatis, superne pilis normalibus verticalibus, metatarsis autem in exemplis lustratis non ullis brevioribus ejusmodi vestitis. Femora supra basin sensim nec abrupte incrassata. Tibiæ anticæ non crassiores quam posticæ.

Fine Aprilis et initio Maji non infrequenter sub lapidibus ad Gothob. capta. In Upl. a *Thorell* inventa.

c) **Maris caput in conum vel gibbum solitarium, aut in semiglobum, erectum aut ultra os porrectum, simplicem nec duplicem elevatum; occipitis eminentia ultra dorsum partis thoracicæ longitudine patellis anticis plerumque vix cedente; capite in duobus masculis ad latera fovea excavato. *E. monoceros* (14) capite tuberculo brevissimo, apice fasciculo pilorum ornato, in centro areæ oculorum locato instructo, his pilis plerumque in siccatis decumbentibus, at in vivis ad speciem corniculi densius congregatis. (Palporum pars femoralis semper inermis, patellaris in *E. semiglobosa* (21) tantum evidentius brevior quam patellæ pedum anticorum, sive non longior quam efficit ejus latitudo apicalis).**

12. **E. cornuta** (WIDER): *Mas* thorace rufo-testaceo, capite in conum, longitudine $^3/_4$—$^5/_6$ tibiarum anticarum attingentem, gracillimum, verticalem, medio inflatum, apice capitatum producto, hoc cono in tumiditate media oculos duos utrinque, et in capitello apicali oculos quatuor alteros excipiente; abdomine fusco, pedibus castaneo-rufescentibus vel luteo-rufescentibus.

Femina capite in conum brevem, porrectum, longitudine patellas anticas attingentem elevato, hoc prope apicem utrinque oculos duos, et in ipso apice oculos quatuor, hos subquadratim positos excipiente.

Theridion corn. WIDER Mus. Senck. T. 1, p. 235, Pl. 16, f. 2. — *Micryphantes camelinus* KOCH III, p. 11, T. 76, f. 168 et 169. — *Argus cornutus* WALCK. Apt. II, p. 367, 38 (excl. syn. *Linyphiæ alticipitis* SUND., quod manifeste falsum est).

Mas. Thorax longit. $1^1/_4$ mm.; pedes antici circiter $4^1/_2$, patellæ et tibiæ conjunctim $1^1/_2$ mm.; ille superne non nisi sub lente acutissima coriaceus; margo æqualis, haud replicatus; latera sat multo convexa; impressio normalis pro parte cephalica saltem pone occiput nulla; tota altitudo clypei cum coni plus duplo major quam longitudo mandibularum; conus ipse longit. $^3/_4$ tibiarum anticarum attingit; ejus pars infra dilatationem mediam haud crassior quam metatarsi antici, infra capitellum apicalem non crassior, immo potius angustior quam tarsi ejusdem ordinis. Mandibulæ crassitiem femorum anticorum non attingunt. Oculi

postici, in gibbositate media coni siti, altius quam antici locati; hi quatuor oculi oculis lateralibus normalibus respondent; oculi, qui intermediis quatuor respondent, in ipso tuberculo apicali siti sunt; hoc tuberculum paullo reclinatum, posterius oculos duos excipiens, qui, a postice inspecti, evidentius observari possunt; oculi duo alteri antice in geniculo hujus tuberculi locati, ægrius observandi. Palporum pars patellaris robusta, conica, extrorsum sensim incrassata, vix paullo longior quam patellæ pedum anticorum et quam hæ non angustior; pars tibialis brevis, lata, angulosa vel in lobos 2—3, antice clavæ impositos formata, calcar posticum emittens, in nullum stipitem basalem elongata, sed arcte cum parte patellari cohærens; eadem pars (tibialis) et succedentes partes, quæ bulbum communem, duplo crassiorem quam femora antica constituunt, fusco-piceæ; membrum ipsum genitale annulo spirali, quasi membranam hyalinam cingente, nigro auctum. Abdomen fuscum, ano superne macula griseo-albida notato, quæ in mortuis, erga ignem induratis, evanescere solet. Pedes plus minus saturate rufescunt, evidenter pilosi; patellis anticis longitudine vix ultra $^1/_3$ tibiarum; his superne setis verticalibus nullis insigniter crassioribus, modo 5—6 piliformibus vestitis, qualibus etiam metatarsi investiuntur; femoribus anticis supra basin abrupte incrassatis; tibiis ejusdem ordinis evidenter crassioribus quam posticæ; his 4:plo longioribus quam patellæ.

Femina: thorace adhuc obsoletius coriaceo, præsertim in disco. Pars cephalica impressione normali laterali profunda. Capitis eminentia longitudinem $^2/_3$—$^3/_4$ patellarum anticarum non superat; porrecta, unde clypeus profunde impressus videtur. Oculi duo laterales utrinque in medio elevationis, intermedii quatuor in ipso apice locati; horum antici inter se magis approximati, ægrius observandi; propter dispositionem oculorum oculi laterales antici, qui ad seriem anticam secundum normam pertinent, multo humilius quam intermedii antici locati, h. e: series valde deorsum arcuata est. Clypeus una cum eminentia capitis haud lon-

gior quam mandibulæ. Palpi robusti solito crassiores, parte tibiali extrorsum sensim at leviter incrassata, hic crassiore quam metatarsi antici, non ultra duplo longiore quam crassiore; parte tarsali paullo angustiore, a basi ad apicem sensim acuminata. Tibiæ anticæ ut in ♂ paullo crassiores quam posticæ. Color pedum luteo-rufescens. Pectus ut in ♂ piceum, glabrum, nitidum. Ab *E. inflexa* (4) et *nudipalpi* (3) differt capite evidenter conice producto, altitudine faciali saltem 3:plo majore quam efficit spatium transversum inter oculos laterales anticos, clypeo propter elevationem procumbentem profunde impresso, fronte, a postice inspecta, non latiore quam ¼ latitudinis mediæ partis thoracicæ.

Mense Septembri juxta montes, ad radices graminum, in Ahlelund prope Gothob. inventa.

13. **E. conica**: *Mas* thorace subtilissime coriaceo, fusco vel fusco-nigricante; abdomine nigricante; capite in conum verticalem, non longiorem quam patellæ anticæ elevato, oculos duos intermedios anticos, ægre observandos, in ipso apice anterius excipiente; oculis intermediis posticis infra geniculum coni, in ipso dorso partis thoracicæ sitis; palpis, excepta clava, pedibusque gracilibus pallide testaceis, femoribus supra basin sensim et mediocriter, nec cito et fortiter incrassatis.

Westr. Enum. Ar. p. 41.

Mas. Corporis tota longitudo vix ultra 2 mm. Thorax longit. vix 1 mm.; perpendiculariter inspectus antice valde angustatus videtur, sub oculo bene armato subtiliter coriaceus vel rugulosus, secundum latera non foveolis distinctis impressus; latera altius convexa, vel dorsum totum transverse circulariter convexum; pars cephalica in conum verticalem elevata, hoc longitudine tantum patellarum anticarum; conus, a latere inspectus, infra medium quasi leviter constrictus vel, si mavis, mox infra apicem subinflatus. Oculi duo laterales infra basin coni, in lateribus thoracis paullo oblique siti, postici scilicet interius locati; oculi intermedii postici mox pone geniculum capitale, in ipso dorso

partis thoracicæ siti, una cum lateralibus posticis lineam rectam formantes, ab his longius quam inter se distantes; oculi, qui intermediis anticis respondent, fere in summo apice coni, anterius ad latera siti, ægrius observandi; summus apex coni pilis pallidis non crebris vestitus; conus certo situ saltem in siccatis diaphanus. Clypeus non impressus, sed ad os leviter convexus, ita ut medium ejus magis porrectum evadat quam mandibulæ; minus evidenter coriaceus quam dorsum partis thoracicæ. Mandibulæ femoribus anticis vix crassiores, longitudine $^3/_4$ totius altitudinis faciei. Palporum clava magna, femoribus anticis 2:plo—3:plo crassior; pars patellaris fere longitudine et forma patellarum pedum anticorum; pars tibialis obverso-patinæformis, in lobum, clavæ impositum producta. Pectus glabrum, nitidum, nigrum. Abdomen pilis brevibus dense vestitum. Patellæ anticæ longitudine $^1/_3$ tibiarum; tibiæ superne setulis nonnullis verticalibus, quarum præsertim una pone medium longiuscula, evidentior; metatarsi seta ejusmodi in medio vestiti; setæ vel pili ordinarii adpressi breviusculi sunt; pili, ex. gr., qui superne in tibiis siti sunt, distincte breviores quam diameter tibiarum. Tibiæ anticæ non crassiores quam posticæ. Dispositio oculorum 2 intermediorum posticorum, valde singularis, bene est observanda. Hi oculi in omnibus aliis masculis, qui caput sursum productum habent, in loco quodam ipsius elevationis, aut in superficie frontali (antrorsum versa) locati sunt.

Mense Majo in pariete Gburgi capta. In Upl., *Thorell.*

14. **E. Monoceros** (Wider): *Mas* thorace fusco, glabro, parte cephalica in medio inter oculos intermedios anticos et posticos tuberculo brevi penicillato ornata; oculis intermediis posticis inter se solito magis approximatis, vel a lateralibus longe remotis, eminentiæ communi humillimæ impositis, et ab intermediis anticis etiam longe distantibus, oculis intermediis anticis ab ore vix brevius quam a posticis remotis, vel hoc spatio (sive clypeo) vix breviore quam mandibulæ.

Femina: spatiis inter oculos laterales et intermedios minus discrepantibus; thoracis forma vulgari; capite haud ut in feminis subsimilibus pone occiput impresso, neque dorso medio partis thoracicæ fornicato, sed toto regulariter et recte procurrente; palporum parte tibiali sensim incrassata, non lineari, parte ultima sensim acuminata, haud apice obtusiuscula; tibiis anterioribus ut in ♂ vix crassioribus quam posteriores; tibiis basi, ut in illo, concolore, non pallido-diaphana.

Theridion Monoceros WIDER Mus. Senck. I, p. 236, pl. 16, f. 8.
Argus id. WALCK. Apt. II, p. 361.

Mas thorace long. non ultra 1 mm., margine æquali sive haud elevato; thorax, perpendiculariter inspectus, elongato-ovatus, marginibus minus circularibus, antrorsum sensim parum angustatus, vel antice non angustior quam ½ latitudinis partis thoracicæ. Oculi intermedii postici, a latere inspecti, in elevatione brevissima transversa siti, inter se satis approximati, vel parum evidenter distantiores quam intermedii antici; a lateralibus posticis duplo et ab intermediis anticis triplo longius quam inter se distant; intermedii antici a lateralibus anticis etiam duplo longius quam inter se remoti videntur; oculi itaque, et intermedii antici et postici, ut et laterales duo per se per paria dispositi esse dici queant; area, ab omnibus oculis occupata, propter horum dispositionem perparum vel vix latior quam longior evadit. Caput, a latere inspectum, tuberculum, in centro areæ oculorum situm, evidenter repræsentat; hoc in exemplis illæsis pilis crassis, quasi extus detonsis (?) vestitum. Clypeus paullo introrsum ad os decurrens, vel non exacte perpendicularis, infra oculos non evidenter impressus; tota facies non humilior quam longitudo mandibularum; hæ tenues, crassitiem femorum anticorum non superantes. Palporum pars patellaris subæque longa ac patellæ pedum; pars tibialis inæqualis, basi clavæ imposita, calcaribus nonnullis, supra basin clavæ emissis, instructa, quorum unum lamellam longiorem arcuatam, alterum stilum subulatum nigrum for-

mat; hic stilus in latere exteriore melius observandus, si palpi a latere contemplentur; ambæ illæ partes nigro-piceæ; pars femoralis et patellaris testaceæ; tota clava triplo crassior quam femora pedum anticorum. Pedes rufo-testacei; patellæ anticæ longit. $1/3$ tibiarum; tibiæ eædem perparum crassiores quam posteriores videntur; toti pedes evidenter pilosi; tibiæ et metatarsi superne setis verticalibus nonnullis tenuibus vestita. Abdomen nitidum (haud rugulosum), a latere inspectum pilis evidenter eminentibus vestitum. Thorax et pectus piceo-nigricantia, glabra, nitida, haud coriacea.

Femina. Oculi fere ut in *E. antica* (10), h. e: annulum ovalem describunt, magis concentrici quam in ♂; antici intermedii inter se et cum lateralibus spatiis æque longis remoti; omnes distinctiores, majusculi. Clypeus humilior quam in illo, vel oculi intermedii antici, ut mihi videtur, ab ore paullo brevius quam ab intermediis posticis distant; locus, quo oculi interm. postici insistunt, parum demissior quam occiput. Palpi robusti et fere ut in *E. cornuta* (12) constructi; pars tibialis non ultra duplo longior quam pars patellaris, extrorsum sensim incrassata, ibique crassior quam metatarsi antici; pars tarsalis apice acuminata, basi vix tam crassa ac pars tibialis; ambæ partes fusciores sunt quam præcedentes; pars patellaris et tibialis supra apicem seta erecta longiore, et pars tarsalis pluribus ejusmodi vestitæ. Patellæ anticæ longitudine $1/3$ tibiarum, posticæ evidentius breviores quam $1/3$ tibiarum. Feminæ aliarum specierum, quæ thoracem similiter coloratum et formam ejus vulgarem habent, forsitan facile distingui possunt structura palporum.

Uterque sexus mense Aprili sub lapide ad Gothob. inventus. In Gottl. a Dom. *Högberg* capta.

15. **E. gibbicollis:** *Mas* thorace rufo-piceo, in variantibus subnigricante, sincipite retuso, angulo postico retusionis in tuberculum teres, apice convexum, longitudinem dimidiam patellarum pedum anticorum attingens elevato; oculis 4 intermediis in elevatione communi, postice hu-

miliore, exacte in medio spatii fascialis sita, locatis, eorum duobus posticis ægrius observandis; palporum parte patellari conica, longitudinem circiter patellarum pedum anticorum, et parte tibiali $^2/_3$ ejusdem partis attingentibus; hac (tibiali) angulosa, angulo apicis superioris magis producto, seta brevi robusta arcuata sive calcari gracillimo aucto.

Femina parte cephalica simili maris, at angulo postico retusionis non in tuberculum distinctum elevato; fovea infra verticem, pone oculos duos laterales, quæ in ♂ adest, non tam profunda; patellis ut in eo supra apicem seta, aut brevissima aut potius nulla dicenda; tibiis superne etiam non evidenter erecto-setosis, seta infra basin, ubi adsit, saltem non longiore quam diameter tibiæ; tibiis aut metatarsis infra medium superne interdum pilo subtilissimo, longiore.

WESTR. Enum. Ar. p. 41.

Mas. Si præsentiam tuberculi teretis in angulo postico retusionis sincipitis, ut et armaturam palporum partis tibialis excipiamus, mas a ♂ *E. retusæ* (30) parum est discrepans. In lateribus capitis adest fovea lata vadosa, superius in punctum impressum finita. Thoracis superficies obsolete subcoriacea et simil nitida. Structura palporum, excepto calcari supra allato, gracilitas bulbi genitalis et color totius animalculi omnino ut in illa specie. Facies (usque ad summum tuberculi sincipitis) evidenter altior quam efficit longitudo mandibularum, vel quam hæ circiter dimidio longior. Tuberculum, quod pone oculos intermedios posticos, in angulo postico retusionis situm est, haud longius quam $^1/_2$ patellarum anticarum, a basi ad apicem haud sensim attenuatum, sed ambitu cylindraceo adscendens, ipso apice convexum, ibique, ut in *E. conica* (13), pilis brevibus, at non erectis sed adpressis indutum. Area oculorum in fundo evidentius quam in *E. retusa* infuscata videtur. Angulus anticus retusionis sincipitis, ut in illa, oculos intermedios anticos excipit, et illinc etiam clypeus perpendiculariter ad os descendit. Bulbus genitalis parum lon-

gior quam crassior, globosiusculus, parum crassior quam femora antica; hæc supra basin leviter nec cito incrassata. Thorax longit. 1 mm. Patellæ et basis tibiarum pallido-diaphanæ.

Femina, quæ tuberculo capitali caret, adhuc similior mari *E. retusæ*. Angulus posticus, ubi sinciput declive est, quam in ♀ illius speciei minus regulariter arcuatim cum declivitate confluit, sed paullo elevatus est. Si pedes sub oculo bene armato inspiciamus, seta verticalis in apice patellarum, ante et pone medium tibiarum, præsertim pedum posteriorum, in utroque sexu *E. retusæ* crassiores et distinctiores adsunt; in *E. gibbicolli* (15) autem setæ tales ægre observari possunt, et, si adsunt, quod in uno alterove pede posteriorum videre possum, eædem potius pili quam setæ sunt dicendæ; seta supra apicem patellarum in exemplis lustratis omnino deest; seta ante medium tibiarum posticarum, quæ in *E. retusa* diametrum tibiæ multo superat, in *E. gibbicolli* (1 ♀ et 4 ♂ lustratis) eam vix attingit (an præfracta??). Pilus subtilissimus pone medium metatarsorum, duplo longior quam diameter articuli adest; pilus alter pone medium tibiarum observatur, qui diametrum tibiæ perparum tantum superat. A feminis reliquis, similiter atque ab *E. retusa*, dignoscitur eminentia antica occipitis, vel anguli postici retusionis, non æqualiter cum fronte confluente. Palpi ut in *E. retusa* graciles, h. e. pars tibialis linearis; pars digitalis apice tantum attenuata, nec tota sensim acuminata. Oculi seriei primæ ut in ♂ evidenter eminent; 2 intermedii postici etiam subdeplanati, in siccatis paullo evidentiores. Tibiæ anticæ etiam ut in illa vix ultra 3:plo longiores quam patellæ.

Mense Majo ad litora fluvii Götha Elf ad Gbg. uterque sexus captus; ad litora maris ad prædium Sårö Hallandiæ inventa. In Oel., teste *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

16. **E. elevata** (Koch): *Mas* thorace supra subtusque glabro, nitido, abdomineque nigris; parte cephalica subgloboso-elevata, ad latera paullo constricta, vertice convexo,

paullo deplanato, longitrorsum leviter impresso, duplo latiore quam efficit longitudo patellarum pedum anticorum; clypeo cum fronte perpendiculariter descendentibus, plano perpendiculari oculos duos intermedios superiores (vel posticos) in $^3/_4$, inferiores (vel anticos) duos in $^1/_2$ suæ extensionis ab ore excipiente; margine supra os porrecto; mandibulis tenuibus, quam altitudo facialis saltem dimidio brevioribus; pedibus pallide luteo-rufescentibus.

Femina (?) thorace ut in ♂ glabro, nitidissimo, margineque laterali æquali, nec ut in nonnullis aliis replicato; parte cephalica ad latera profunde impressa, occipite autem ultra thoracis dorsum parum eminente, ad oculos intermedios posticos leviter arcuatim procurrente, pone hos oculos parum altius quam hi elevato; clypeo breviore quam efficit longitudo oculorum seriei anticæ; mandibulis, ut in ♂, haud crassioribus quam femora antica, lævibus, brevibus, sive vix longioribus quam altitudo facialis; palpis forma vulgari, at parte tibiali vix dimidio longiore quam patellaris, et non longiore quam patellæ pedum anticorum, totis pedibusque læte luteo-rufescentibus; tibiis superne seta una ante alteraque pone medium verticalibus, magis quam reliquæ evidentibus, illa præsertim in tibiis posticis paullo crassiore quam hæc, quæ una cum altera, versus medium metatarsorum sita, subtilis est; abdomine nitidissimo (disco anterius foveolis ordinariis 4, in trapezium dispositis, evidentissimis), pilis brevissimis vestito, his pilis, erga lucem contemplatis, haud ultra cutem evidenter eminentibus.

Micryphantes elevatus KOCH IV, p. 183, T. 143, f. 334 & 335.

Mas. Thorax longit. $^3/_4$, vix 1 mm., margine laterali non replicato; ubique glaber, nitidissimus. Caput semiglobosum, superne autem subplanum et impressione longitudinali quam levissima præditum, post mortem et præsertim in exemplis siccatis plerumque subdiaphanum. Oculi intermedii antici,, qui apud hunc marem inferiores sunt dicendi, paullo humilius quam in medio faciei siti, intermedii postici,

vel superiores, tuberculo transverso impositi, minores et ægrius observandi, in spatio medio inter apicem capitis et oculos inferiores locati; laterales antici ab intermediis fere duplo longius quam hi inter se distant, omnes 4 in seriem perparum deorsum arcuatam dispositi. Clypei elevatio porrecta supra os in nullo alio ♂ *Erigonarum* mihi cognitarum exstat, unde ut nota quam maxime singularis est consideranda. Caput inferius nonnihil constrictum, dein sensim declive; infra stricturam adest fovea vadosa, magna, perpendiculariter posita; hæc in margine antico oculos laterales posticos juxta anticos excipit, ægrius observandos. Latitudo capitis æque magna ac dimidia longitudo femorum anticorum, vel ac palporum pars patellaris una cum tibiali. Mandibulæ tenues, fuscæ vel pallidæ, post mortem ad pectus inflexæ, longitudine vix dimidiam altitudinem totius faciei superantes. Tibiæ anticæ in exemplis lustratis nullis setulis verticalibus evidenter vestitæ; tamen adsunt nonnullæ tenuissimæ, quæ diametrum tibiarum haud superant, et pedes de cetero magis obsolete adpresso-pilosi. Tibiæ anticæ triplo, postici fere 4:plo longiores quam patellæ. Palpi colore pedum; clava fuscior; pars patellaris paullo longior quam patellæ pedum anticorum, vel 2:plo longior quam pars tibialis; hæc nullibi supra laminam ordinariam lobato-producta mihi videtur, ideoque magis simplex quam in pluribus aliis speciebus; membrum genitale setam spiraliter flexam emittit. Pedes graciliores dicendi, femoribus anticis levissime supra basin incrassatis, hic vix crassioribus quam in medio.

Femina. Color thoracis ut in ♂ nigerrimus, etiam in vivis. Pedes paullo robustiores; femora nonnihil incrassata, minus linearia; toti pedes cum palpis læte luteo-rufescentes, tibiis ut in ♂ basi concoloribus, haud pallide diaphanis, tibiis neque posticis neque anticis ultra 3:plo longioribus quam patellæ. Palporum pars tibialis vix ultra dimidio longior quam pars patellaris, et quam patellæ pedum anticorum haud longior, neutiquam has superans, linearis, haud extus incrassata; pars tarsalis maxima parte linearis, apicem versus citius acuminata, nec usque a basi ad apicem sensim

acuminata; nulla illarum partium angustior quam basis metatarsorum pedum anticorum. Mandibulæ fuscæ, vix crassiores quam femora antica, omnino glabræ, nitidæ, inermes, vix longiores quam altitudo facialis. Clypeus brevis, vel haud altior quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, vel oculi intermedii antici a margine supra os vix longius quam ab oculis intermediis posticis distant. Convexitas occipitalis parum eminentior quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt. Fovea in declivitate postica lata, vadosa. — Si omnes hæ notæ et illæ, quæ in diagnosi allatæ sunt, bene observentur, femina descripta forsitan facile distingui potest ab iis, quæ thoracem nigrum et glabrum habent.

Mense Majo sub lapidibus ad Gothob. capta. In Upl., *Thorell.*

17. **E. Thorellii**: *Mas* thorace glabro, nitido, cum mandibulis abdomineque nigris, parte cephalica in gibbum non insigniter latiorem quam efficit longitudo patellarum anticarum elevata, hoc gibbo apice longitrorsum leviter impresso, lateribus non constricto, sed æqualiter cum parte thoracica confluente, antice basi transversim profunde impresso, quasi ibi geniculato; oculis intermediis anticis (inferioribus) mox infra sinum impressionis, posticis (superioribus), ægerrime observandis, in summo apice gibbi sitis, duobusque lateralibus etiam infra impressionem, utrinque, paullo humilius quam intermedii antici locatis, certo situ tuberculum commune parvum repræsentantibus, pone quod impressio vadosa, quasi ut continuatio impressionis frontalis, observatur.

Thorax longitudine vix 1 mm. Clypeus ad os æqualiter decliviterque descendit, non margine supra os elevato-porrectus. Gibbus capitalis sub apicem pilis nonnullis deorsum pendentibus vestitus. Spatium faciale, a latere visum, oculorum anticorum intermediorum eminentiam convexam non ægre repræsentat. Oculi intermedii postici valde deplanati, unde ægerrime observari possunt. Mandibulæ te-

nues, ut in pluribus aliis ad pectus reclinatæ. Palpi uti pedes læte luteo-testacei, clava autem nigro-picea, hac fere æque lata ac gibbus capitalis et duplo ampliore quam mandibulæ tenues et breves; membro genitali appendices vix ullas distinctas, nisi spinulam brevem emittente; parte femorali longitudine circiter $1/2$ femorum anticorum; parte patellari ad formam fere simili pedum patellis, at paullo angustiore et breviore; parte tibiali apice nigricante paullo cuspidatim producta. Pedes, erga lucem contemplati, pilis ordinariis adpressis valde brevibus, ægerrime observandis; etiamque non adsunt in tibiis superne pili 2—3 normales, verticales, qui in plerisque aliis *Erigonis* observantur; tibiæ posticæ 4:plo longiores quam patellæ, anticæ non ultra 3:plo longiores; femora antica supra basin mediocriter nec abrupte incrassata; tibiæ in basi non ut in quibusdam aliis diaphano-pallidæ. Ab *E. acuminata* (18), cui sat similis est, distinguitur spatio faciali mox supra oculos intermedios anticos (inferiores) non leviter sed profunde impresso, quasi geniculato; setula brevis in apice patellarum et pone basin tibiarum posticarum desunt (sine dubio non fortuito defractæ?); pedes paullo robustiores; tarsi ut in illa specie evidenter breviores quam metatarsi. Gibbus capitalis non teres sed quasi transversaliter deplanatus, unde ejus diameter transversalis fere duplo major quam diameter longitudinalis est. Clypeus, vel distantia inter os et oculos intermedios inferiores, vix major quam inter hos oculos et summum gibbi capitalis.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

18. **E. acuminata** (Wider): *Mas* thorace supra subtusque glabro, nitidissimo, cum mandibulis abdomineque nigris, parte cephalica in gibbum altiusculum elevata, hoc apice regulariter circulari, inferius leviter constricto, a latere inspecto infra apicem levissime tantum impresso, postice decliviter arcuato nec vertice verticaliter adscendente, fovea laterali majuscula exsculpto, gibbulo vix altiore neque latiore quam efficit longitudo patellarum anticarum; clypeo cum fronte perpendiculariter ad os descen-

dentibus, hoc spatio in $^2/_3$ suæ extensionis ab ore oculos duos intermedios anticos (inferiores), at in ipso apice summo, anterius, oculos duos intermedios posticos excipiente, clypeo æquali, non supra os producto; pedibus lætius rufo-testaceis.

Femina: vide infra.

Theridion acuminatum WIDER Mus. Senck. I, p. 232, T. XV, f. 11. — *Micryphantes acuminatus* KOCH IV, p. 130, T. 148, f. 332—33. — *Argus acum.* WALCK. II, p. 370.

Mas a ♂ *E. elevatæ* (16) facile distinguitur gibbo capitali multo minus lato quam efficit dimidia longitudo femorum anticorum; gibbus vix latior est quam efficit longitudo patellarum anticarum, vel quam latitudo laminæ ordinariæ seu clavæ palporum; margo supra os non porrectus. Oculi intermedii postici non in spatio faciali sed in summo gibbo anterius locati, similiter atque in ♂ *E. Thorellii* (17). Gibbus in summo apice non subdeplanatus neque impressus, sed regulariter convexus, postice a basi ad apicem in directionem declivem arcuatus, nec ibi regulariter circularis; apex itaque oblique antrorsum nec verticaliter sursum spectat. Magnitudo animalculi vix evidenter minor quam *E. elevatæ*; thorax similiter ac patellæ cum tibiis anticis, simul sumtis, longitudine $^3/_4$ mm. Spatium faciale, a latere contemplatum, oculos intermedios anticos instar tuberculi minoris repræsentat. Mandibularum color niger etiam in siccatis remanet. Palpi luridi; lamina cum membro genitali nigricantia; pars patellaris non longior neque crassior quam patellæ pedum anticorum, ad formam similis his; pars tibialis in apice in spinam evidentem producta videtur, sub basi calcari minuto armata; membrum genitale in apice unco breviore, at non ut in *E. elevata* seta spiraliter flexa instructum. Mandibulæ ut in illa multo breviores quam altitudo facialis, ad os paullo inflexæ. Pedes obsoletissime pilosi, tantum in apice patellarum et pone basin tibiarum posticarum setula, vix diametrum articulorum superante, instructi.

Femina, simul cum ♂ descripto capta, a ♀ *E. elevatæ* vix distingui potest, quare descriptio, pro hac data, fere ad

illam referri potest. Ab hac specie differre videtur tibiis posticis evidenter 4:plo nec 3:plo tantum longioribus quam patellæ. Similiter atque eadem species differt a ♀ *E. longipalpis* (1) et *dentipalpis* (2) thoracis margine non elevato vel replicato, mandibulis tenuibus non insigniter longioribus quam altitudo facialis, granulorum ne unico instructis. Ab *E. elongata* differt thoracis superficie omnino glabra nec punctis ullis impressis prædita. Ab *E. bicorni* (11) differre videtur parte cephalica per impressionem non solum lateralem sed etiam pone occiput a parte thoracica profundius distincta, ita ut occiput ultra hujus planum dorsale magis alte fornicatum evadat. Notæ insequentes: color pure niger thoracis glabri et mandibularum: color pedum læte rufotestaceus: basis tibiarum vix pallide diaphana: thoracis forma quoad ambitum late ovata, ita ut frons parum ultra $1/3$ latitudinis mediæ partis cephalicæ attingat, forsitan eam distingui possunt ab aliis, quibus confundi potest. Non certo dijudicare queo an ♀ descripta ad *E. elevatam* vel ad *E. acuminatam* referri debeat, usque dum exempla plura lustrationi certiori subjici queant.

In gramine ad vicum Angered prope Gothob. excipulo capta.

19. **E. crassiceps**: *Mas* thorace supra subtusque glabro, nitido, una cum abdomine palporumque clava nigris; pedibus gracilibus palporumque parte femorali et patellari luridis seu sordide pallidis; parte cephalica obtuse producta, ultra os porrecta, apice æqualiter convexa, in lateribus non ullibi impressa, neque in spatio faciali eminentia ulla distincta prædita; spatio faciali, vel clypeo propter prominentiam capitis neque perpendiculari neque antrorsum declivi, sed introrsum ad os descendente; oculis intermediis posticis, ægre observandis, in summa convexitate capitis, reliquis 6 mox infra verticem locatis.

Femina thorace ut in ♂ pure nigro, glabro, nitido, forma vulgari; pedibus palpisque totis etiam sordide pallidis, et ipsa basi tibiarum anguste pallida, diaphana; totis

pedibus pilis adpressis ordinariis (fere adhuc evidentioribus quam in ♂) indutis et, similiter atque in ♂, tibiis superne pilis paucis verticalibus, patellisque supra apicem pilo unico vestitis, his pilis parum vel vix longioribus quam diameter articulorum, at mox infra medium tibiarum præsertim posticarum pilo subtilissimo paullo longiore.

Mas ad minores araneas numerandus. Thorax longit. vix ultra $^2/_3$ mm., totum animalculum circiter 1 $^1/_2$ mm. Productio capitalis, a latere contemplata, æque crassa atque efficit dimidia longitudo tibiarum posticarum, immo crassior; ejus longitudo ab apice ad basin posticam æque magna ac thoracis pars succedens; ejus latera sensim et abrupte declivia, omnino æqualia nec ulla impressione instructa; in eodem statu spatium faciale ne ad minimum ullum callum repræsentat, etiam non propter eminentiam ullam distinctam oculorum intermediorum anticorum, qui satis depressi sunt; his oculis, arcte inter se sitis, una cum duobus lateralibus proxime infra apicem capitis locatis; intermediis posticis, distantioribus inter se, in summo capite posterius sitis, sursum spectantibus, valde deplanatis; capitis sive partis cephalicæ latus posticum convexum simulque decliviter ad partem thoracicam descendens, ut in *E. acuminata* (18) et nonnullis aliis. Productio partis cephalicæ una cum directione clypei ad os cum eadem in *E. bicorni* (11) comparari possunt; productio vero in hac specie angustior, et apex ejus non simplex sed transversaliter bipartitus. Pars cephalica, a postice inspecta, latitudine $^2/_3$ partis thoracicæ, ideoque ampla dicenda.

Femina simillima nonnullis aliis feminis, ita ut secundum notas plane definitivas difficile describi possit. Pedum anticorum patellæ et tibiæ conjunctim longitudine vix ultra $^1/_2$ mm.; femora supra basin leviter nec cito incrassata; tibiæ et insequentes articuli sensim attenuati, graciles dicendi; femora subtus et reliqui articuli evidenter pilosuli; tibiæ posticæ 4:plo, anticæ 3:plo longiores quam patellæ; illis omnium pedum basi annulo angusto diaphano-pallido; setulæ

verticales pedum non insigniter longiores quam diameter articulorum et neutiquam tam robustæ, ut ad crassitiem illorum aculeorum appropinquentur, qui in pedibus generis *Linyphiæ* observantur. Thorax non ut in paucis aliis speciebus punctis seriatis impressis, neque superficie alio modo inæquali; impressio lateralis normalis inter partem thoracicam et cephalicam adest. Mandibulæ femoribus anticis non crassiores, basi non ultra marginem clypei convexo-prominentes, forma vulgari; evidenter longiores quam altitudo facialis. Clypeus vix tam altus atque efficit spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur. Palporum sordide pallidorum articulus ultimus sensim acuminatus. Color pedum sordide pallidus, colore brunneo rufescente obsoletissime tinctus, certe etiam in vivis.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

20. **E. elongata** (WIDER): *Mas* thorace supra subtiliter coriaceo abdomineque impresso-punctato nigris; parte cephalica in gibbum obtusum, valde retrorsum nutantem, æque altum atque efficit $^{2}/_{3}$ longitudinis tibiarum anticarum, apicis latitudine haud longitudinem patellarum anticarum superantem, antice infra apicem retusum vel paullo impressum, in lateribus fovea magna impressum, elevato; oculis duobus intermediis posticis antice in summo gibbi, anticisque intermediis in $^{2}/_{3}$ faciei (ab ore) locatis; clypeo forma æquali, nec margine supra os prominente.

Femina parte cephalica postice ultra planum thoracis haud altius elevata quam efficit longitudo patellarum anticarum, illinc ad frontem circulariter arcuata, lateribus æquali; altitudine faciali circiter longitudinis mandibularum; thorace seriebus obliquis e punctis impressis, evidentioribus quam in ♂ ornato, parte cephalica glabra, nitida; centro partis thoracicæ ut in ♂ alte adscendente, altiore quam geniculum partis cephalicæ.

Theridion elongatum WIDER Mus. Senck. I, p. 238, T. XV, f. 12. — *Micryphantes inæqualis* KOCH, VIII, p. 103, T. 281, f. 671. — *Argus elongatus* WALCK. Apt. II, p. 369.

Mas. Thorax longit. $^3/_4$, vix 1 mm. Elevatio capitalis in latere postico non verticaliter adscendit, sed valde reclinata, apice obtusa, vertice convexa; apex gibbi in latere antico quasi retusus, vel, a latere inspectus, introrsum sinuatus; infra finem impressionis, in $^2/_3$ faciei, oculi duo intermedii antici locati sunt; oculi laterales antici una cum his in lineam rectam dispositi, et hi inter se brevius quam a lateralibus distantes; oculi laterales postici, ægrius observandi, in margine antico foveæ lateralis capitis, plicam vel gibbulum formante, siti; oculi intermedii postici antice in summo gibbi, utrinque unus, siti, ægerrime observandi. Latera capitis sensim declivia, non per ullam constrictionem in directione sua æquali abrupta. Clypeus et totus gibbus capitalis glabri, politi; ille usque ad marginem supra os æqualiter descendens, non hic ut in ♂ *E. elevatæ* (16) porrectus. Thoracis dorsum medio valde convexo-elevatum; superficies satis nitida, simulque sunt latera arcubus 2—3, ad centrum dorsi convergentibus, e punctis seriatis minus evidentibus compositis, insculpta. Mandibulæ crassitie femorum anticorum, circiter dimidio breviores quam tota altitudo facialis. Abdomen nigrum, breviter et dense pilosulum, radice cujusque pili impressa, unde cutis impresso-punctata apparet. In uno alterove specimine cutis post mortem animalculi in dorso convexa remanet. Pedes pallide brunnei, tibiis basi concoloribus, haud ut in nonnullis aliis ibi pallido-diaphanis, pilis insignioribus verticalibus vix ullis, nisi quibusdam, apicem versus sitis, subtilioribus; patellis anticis longit. $^1/_3$ tibiarum. Palpi fusciores, bulbo apicali nigricante, hoc femoribus anticis duplo crassiore; parte patellari conica, longitudine patellis pedum anticorum haud cedente, potius his longiore; parte tibiali brevi, angusta, cylindrica, apice in mucronem producta; membro genitali in apice seta spiraliter flexa aucto.

Femina. Caput, a latere inspectum, semiglobosum. Dorsum thoracis, ut in ♂, medio convexum, vel inter centrum et basin elevationis capitis profunde impressum, posteriusque ad basin declive, hic pro receptione abdominis ba-

seos ample excavatum. Superficies partis thoracicæ paullo nitidior videtur; hujus latera seriebus tribus e punctis impressis adhuc distinctioribus, harum prima erga coxas primas, secunda tertiaque erga coxas duas insequentes incipiunt et versus centrum thoracis diriguntur. Oculi 4 intermedii, a latere contemplati, elevationem communem humillimam occupare videntur, vel quoque pari per se paullo ultra cutem eminente; spatium infra oculos intermedios anticos (vel clypeus) perpendiculare, hoc vix longiore quam spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum. Pectus glabrum, nitidum. Palpi tenues, quam metatarsi pedum anticorum angustiores. Pedes paullo robustiores; femora tamen non ut in quibusdam aliis speciebus supra basin abrupte sed leviter tantum sensimque incrassata sunt. Patellæ posticæ fere breviores quam $1/3$ tibiarum. A ♀ *E. parallelæ* (24), quæ etiam in thorace seriato-punctata est, differt parte postica capitis evidenter verticaliter adscendente, sive pone occiput profundissime impressa.

Mense Majo sub lapidibus in Insula Hisingen prope Gothob. capta. In Upl., *Thorell.*

21. **E. semiglobosa**: *Mas* thorace longit. $3/4$ mm., nigro, supra subtusque glabro, nitido; capite, a latere inspecto, globoso-elevato, elevatione occipitis regulariter arcuata, eminentia hujus ultra dorsum partis thoracicæ æque alta atque efficit longitudo patellarum anticarum, regione antica pone summum elevationis etiam regulariter convexa, haud deplanata, neque pilis ullis vestita; capite fovea laterali profunda, ovata, perpendiculariter elongata sensimque inferne evanescente, superne in plicam deorsum flaxam finita; oculis intermediis anticis supra medium spatii facialis locatis, ultra cutem eminentibus, proinde distinctissimis; intermediis posticis, ægerrime observandis, in summo frontis locatis, anticis a lateralibus anticis vix longius quam inter se distantibus, paullo altius quam hi locatis; abdomine nigro; pedibus rufo-testaceis, metatarsis anticis tarsis evidenter longioribus, patellis et tibiis

ejusdem ordinis metatarsisque superne pilis vel setulis verticalibus nullis evidentibus vestitis.

Simillimus *E. acuminatæ* (18), at elevatio capitalis non tam alta, postice non magis quam antice declivis, h. e. superne æqualiter fornicata nec apice subporrecta, sive non procumbens videtur; spatium faciale infra apicem gibbi ne ad minimum impressum, vix altius quam efficit longitudo mandibularum, evidenter brevius quam $^3/_4$ tibiarum anticarum, vel non altius quam efficit latitudo marginis supra os. Oculi intermedii antici (inferiores), a latere inspecti, ultra cutem evidenter, sive instar tuberculi minuti eminent. Clypeus perpendiculariter et usque ad os æqualiter descendens. Ab *E. erythropode* (22), cui quam *E. acuminatæ* adhuc similior est, non distingui potest nisi elevationis capitalis apice evidenter convexo nec fere deplanato, oculis intermediis anticis evidenter supra medium spatii facialis, et paullo altius quam laterales antici locatis; hi oculi minores nec æque magni atque intermedii videntur, an etiam in vivis? spatium inter oculos interm. anticos et verticem non retusum, neque pilosulum. · Ab *E. pusilla* (23) et *parallela* differt capite evidenter altiore, semigloboso, vertice alte fornicato, fronteque non pilosula (an detrita?) Ab *E. pusilla* et adhuc evidentius ab *E. parallela* præterea differt superficie thoracis ne ad minimum reticulata vel seriatim impresso-punctata, sed omnino glabra, quasi polita. Fovea lateralis capitis ut in *E. erythropode* major quam in *E. pusilla* et *parallela*, vadosim deorsum producta. Elevatio capitalis ultra dorsum partis thoracicæ circiter æque alta est atque efficit longitudo patellarum anticarum. Margo summus thoracis æqualis, non ut in nonnullis aliis, ex. gr. *E. longipalpi*, reflexus. Mandibulæ luridæ seu infuscatæ, tenues, non crassiores quam femora antica, paullo breviores quam tota altitudo facialis. Pedes omnino ut in *E. erythropode* breviter vel obsoletius adpresso-pilosi; in specimine lustrato adest in una vel altera patella, supra apicem, seta brevissima verticalis, quæ diametrum articuli haud superat; in tibiis pone medium, et in metatarsis ante medium unius vel alterius pedis pilus

verticalis subtilis adest, ejusdem longitudinis. Palpi fere ut in *E. pusilla;* parte tibiali extus calcari uno, et membro genitali calcari altero seu seta flexa instructis, quæ organa certe in siccatis melius quam in vivis discerni possint; clava vix ultra duplo crassior quam femora antica; pars patellaris paullo minor quam patellæ pedum anticorum. Color pedum luteo-castaneus seu rufo-brunneus. Femora antica supra basin sensim, nec abrupte incrassata; tibiæ anticæ triplo longiores quam patellæ, nonne paullo longiores?

In Upl. a *Thorell* inventa.

B. Maris caput ultra dorsum partis thoracicæ non evidenter abrupte elevatum, h. e. non evidenter semiglobosum, nec in gibbos 1—2, neque in conum verticalem elevatum (*E. erythropus* (22), capite postice perparum subverticaliter surgente, supra plano, huc relata).

§. Caput in lateribus anguli frontalis, sive pone oculos laterales posticos, infra intermedios posticos, fovea, vel ampla vel minore, excavatum; fovea in *E. subæquali* (29) minutissima, punctiformis. Præsertim *E. rugulosa* (27) et *subæquali* exceptis, reliqui mares fronte (sive dorsi angulo antico) retusa sive paullo declivi, non in arcum regularem cum occipite confluente. Palporum pars patellaris in *E. scabricula* (28) et *subæquali* ad formam similis patellis pedum anticorum, harum longitudinem ad $^2/_3$—$^3/_4$ attingens; in *E. retusa* (30) æque longa ac illæ; in reliquis speciebus nodiformis aut subtrigona, longitudine $^1/_3$—$^1/_2$ tantum earum attingens.

22. **E. erythropus**: *Mas* thorace longit. $^3/_4$ mm., nigro, supra subtusque glabro, polito; capite, a latere inspecto, pone occiput subverticaliter perparum adscendente, tum ad frontem recte nec arcuatim procurrente, eminentia occipitali vix tam alta atque efficit longitudo dimidia patellarum pedum anticorum; capite utrinque fovea profunda ovata, deorsum elongata, vel ibi quasi plica deorsum arcuata instructo; fronte nonnihil retusa, breviter pilosula; oculis intermediis anticis in geniculo retusionis, sive in medio spatii facialis, intermediisque posticis, planis et ægerrime observandis, in summo frontis locatis; anticis a lateralibus anticis haud longius quam inter se

distantibus, simulque non altius quam hi locatis; abdomine nigro; pedibus rufo-testaceis, metatarsis anticis tarsis evidenter longioribus (tibiis ejusdem ordinis et metatarsis superne non ullo pilo verticali longiore quam diameter tibiarum, sed paucis brevissimis tantum et minus conspicuis vestitis; tibiis et metatarsis posticis autem pilis aliquot verticalibus instructis).

WESTR. Enum. Ar. p. 42. — (*Michryphantes ochropus* KOCH IV, p. 136, T. 144, f. 386 sat simlis, at Dom. *Koch* non ullam præsentiam foveæ lateralis capitis, neque pilositatis frontalis in descriptione araneolæ affert).

Differt ab *E. semiglobosa* (21) occipite quam minime subverticaliter surgente, capite supra recto nec convexo, oculis interm. anticis non altius quam laterales antici locatis, h. e. series oculorum 4 anticorum omnino recta nec deorsum curvata. Ab *E. pusilla* (23) differt thoracis superficie sub oculo etiam optime armato non nisi glabra, polita; fovea capitali majore, magis deorsum producta nec punctiformi; supra tibias et metatarsos anticos non ut in illa setæ vel pili verticales longi adsunt. Ab *E. parallela* (24) dignoscitur occipite etsi leviter tamen magis evidenter verticaliter elevato, et præcipue thorace omnino glabro, nec seriebus obliquis 2—3 e punctis impressis notato; fovea capitalis in *E. parallela* minuta, non perpendiculariter, sed potius longitudinaliter directa. Ab *E. scabricula* (29) mox distinguitur thorace pectoreque non coriaceis, occipite fronteque aliter constructis, ut et intervallis oculorum 4 anticorum non inæqualibus. — Thorax longit. $^3/_4$ mm. Capitis angulus occipitalis et frontalis nonnihil rotundati, de cetero spatio interjacente toto recto. Retusio frontalis, sive spatium declive, antrorsum spectans, recta, haud ut in *E. elongata* concava; breviter pilosula, ut in *E. parallela* et *pusilla*. Oculi 2 antici medii in geniculo retusionis siti, vel vix differentia capillari altius quam in medio spatii facialis locati; oculi medii postici in angulo frontali superiore (in summo verticis), et laterales juxta marginem anticum foveæ capitalis siti, horum postici ægrius observandi. Clypeus nitidissimus, in-

trorsum ad mandibulas directus. Palpi colore pedum; pars patellaris forma patellarum pedum anticorum, at paullo brevior; pars tibialis in lobum arcuatum, supra laminam ordinariam extensum producta; in hujus lobi sinu spina minuta nigra excurrit, an etiam in vivis?; pars tibialis, ut lamina ordinaria, etsi breviter tamen sat evidenter pilosa; clava tota, e membro genitali et lamina composita, 3:plo amplior quam femora antica, apice calcaribus vel stilis aliquot instructa. Pedes proport. evidenter 4, 1, 2, 3, patellis anticis longit. $1/3$ tibiarum; hæ et metatarsi superne setulis erectis brevibus, parum conspicuis vestita; nulla setularum longitudinem diametri tibiarum superat; in tibiis posticis, pone medium, et in metatarsis, ante medium, observatur pilus verticalis subtilis, qui diametrum articulorum superat. Mandibulæ luteo-nigricantes, breves, parum longiores quam clypeus, evidenter breviores quam tota altitudo facialis, ad os inflexæ.

Mense Majo sub lapidibus ad Gbg. capta.

23. **E. pusilla** (Wider?): *Mas* thorace lurido-nigricante, subtus glabro, supra sub oculo bene armato subtiliter reticulato vel aciculato, simulque nitido (elevatione capitis in specimine lustrato, acu affixo, læso, humillima, forma occipitis non extricanda); capite utrinque fovea minore punctiformi impresso, fronte nonnihil retusa; oculis intermediis anticis, parum eminentibus, in angulo retusionis vel in medio faciei, intermediisque posticis in summo frontis locatis, anticis a lateralibus anticis non longius quam inter se distantibus, minoribus quam hi; abdomine nigricante; pedibus luteo-testaceis, metatarsis anticis tarsis perparum vel vix longioribus; tibiis et metatarsis omnibus superne setis vel pilis verticalibus nonnullis longiusculis vestitis, harum setarum præsertim singula in utroque articulo evidenter duplo longiore quam diameter tibiarum; mandibulis cum palpis totis, etiam articulis ultimis, luteo-testaceis; tibiis anticis parum longioribus quam efficit dupla (?) longitudo patellarum, posticis fere triplo longioribus quam hæ.

Theridion pusillum Wider Mus. Senck. I, p. 243, T. 16, f. 9?. — *Argus pus.* Walck. Apt. II, p. 367?.

Mas paullo minor quam *E. erythropus* (22). Propter causam in diagnosi allatam occipitis structura mihi ignota est; hoc aut verticaliter, tantum æque alte atque in illa specie, aut arcuatim ut in *E. parallela* (24) adscensum fuisse videtur. Oculi ut in *E. erythropode*, vel intermedii antici quam in *E. parallela* magis exacte in medio faciei siti esse videntur; foveola capitalis ambitu minor, non infra oculos laterales descendens, valde profunda, fundo quasi haud visibili. Reticulatio, vel potius aciculatio thoracis non nisi sub lente acutissima observanda; superficies, fugaciter inspecta, subglabra; in utraque conditione semper nitida. Mandibulæ ut in *E. erythropode* pallidæ, tenues, breviores quam spatium faciale. Palpi toti, etiam lamina ordinaria, pallidi; an lamina semper ita colorata?; membrum genitale etiam parum vel vix nigredine tinctum; bulbus, ex his duobus articulis compositus, duplo crassior quam femora antica; pars patellaris evidenter brevior quam patellæ pedum anticorum; pars tibialis extus dilatata, quasi depresso-campanulata; membrum genitale extus seta flexa auctum, an hac in vivis evidente?. Pedes subbreves dicendi, patellis anticis longit. vix $^1/_3$ tibiarum, posticis autem hanc longitudinem attingentibus, tarsis anticis non evidenter brevioribus quam metatarsi (?). Patellæ, tibiæ et metatarsi superne setis vel pilis verticalibus evidentibus, scilicet in apice patellarum et mox pone basin tibiarum adest seta robustior, paullo longior quam diameter articuli; in medio tibiarum pilus tenuis, flexibilis, evidenter duplo longior quam eadem diameter, et pone medium pilus ejusmodi, fere adhuc longior adest, præterea que observantur pili nonnulli breviores verticales, intermixti; in metatarsis, mox pone basin adest pilus ejusmodi, qui quoad longitudinem cum pilis supra tibias æmulatur. Color thoracis potius lurido-lutescens quam pure niger dicendus; qua etiam in nota ab *E. semiglobosa, erythropode* et *parallela* distingui potest, præsertim viva.

Sub lapidibus ad Gothob. capta.

24. **E. parallela** (WIDER?): *Mas* thorace longit. $^2/_3$—$^3/_4$ mm., nigro, subtus glabro, supra in lateribus seriebus 2—3, e medio thoracis oblique directis, e punctis minutis impressis formatis; capite foveola laterali, inter oculos intermedios posticos et laterales inchoata, horizontaliter directa, postice sensim evanescente; occipite ultra planum thoracis paullo altius rotundatim nec verticaliter elevato; fronte leviter retusa; oculis intermediis posticis in summo verticis vel angulo frontali superiore, intermediisque anticis (vel inferioribus) in angulo retusionis vel in angulo frontali inferiore, paullo supra medium spatii facialis locatis; his oculis una cum lateralibus intervallis fere æqualibus dispositis; mandibulis altitudine faciali brevioribus; abdomine fusco; metatarsis anticis longitudinem tarsorum perparum, nonne vix superantibus (his saltem in siccatis non angustioribus quam metatarsi, medio superne quasi levissime dilatatis, totis quasi ad formam fusiformibus (?); palporum articulis ultimis conjunctim bulbum magnum constituentibus, hoc 3:plo crassiore quam femora antica, vel tota latitudine laminæ ordinariæ, breviter ovatæ, subcordatæ saltem longitudinem tarsorum anticorum attingente, membro genitali intus seta graciliore et altera crassiore, spiraliter flexis, instructo.

Femina capite fovea laterali nulla; thorace ut in ♂ seriebus punctorum impressorum distinctis; oculis intermediis anticis ab ore paullo longius quam ab intermediis posticis remotis; patellis anticis nonnihil longioribus quam $^1/_3$ tibiarum, metatarsis anticis ut in ♂ non evidenter longioribus quam tarsi (his non nisi solita structura, vel sensim attenuatis, medio non uno latere crassioribus quam medium metatarsorum); abdomine majusculo, nitidissimo, nigro, erga lucem contemplato pilis brevibus, parum ultra cutem eminentibus vestito.

Theridion parallelum WIDER, p. 234, T. 16, f. 1? (elevatio capitis non tam alta atque in figura, at præterca aranea valde similis nostræ araneolæ). — *Argus parallelus* WALCK. Apt. II, p. 366.

Mas. Thoracis color nigricans; pectus omnino glabrum, nitidius; dorsum in intervallis serierum punctorum non supra margines neque alibi ruguloso-reticulatum se repræsentat; caput et clypeus glabra, nitidiora; limes inter occiput et dorsum thoracis, etsi levissime, tamen satis distincte impressus; occipite autem non ut in *E. erythropode* (22) verticaliter adscendente sed arcuatione citiore elevato; margo superior impressionis lateralis capitis quasi plicam referens; hæc propter impressionis extensionem horizontalem recta, nec ut in *E. erythropode* et *pusilla* (23) deorsum arcuata. Retusio frontalis obsoletius pubescens. Palpi ut in *E. pusilla* setis 1—2, spiraliter flexis, in apice membri genitalis instructi, ægrius observandis; lamina cum membro genitali conjunctim 3:plo crassiora quam femora antica. Pedes breviusculi et satis robusti dicendi; patellis anticis longitudine vix $^1/_3$ tibiarum, omnibus et metatarsis superne, versus medium, in exemplis indetritis pilo 1—2 subtilibus verticalibus indutis, vix dimidio longioribus quam diameter tibiæ; toti pedes de cetero obsoletissime adpresso-pilosi. In exemplis pluribus lustratis pedum anticor. articulus tarsalis ad formam singularis mihi videtur, scilicet: in medio superne crassior est, non ut in plerisque a basi ad apicem sensim attenuatus; latitudo ejus media æque magna ac latitudo basalis vel media articuli metatarsalis, an ita in exemplis vivis?; quantum videre possum, articulus memoratus præsertim uno latere tantum tali modo dilatatus est, scilicet superne.

Femina, quæ cum nonnullis aliis in diversis notis confundi potest, facile distinguitur thoracis seriebus e punctis impressis, quas rogo, ut sub oculo bene armato observes. Sculptura eadem in ♀ *E. elongatæ* (26) adest, a qua mox distinguitur elevatione occipitis multo humiliore. Superficies thoracis, præter puncta memorata, glabra, non inter series punctorum ullibi e rugulis inæqualis facta. Palpi sat rubusti dicendi, parte tibiali vix ultra duplo longiore quam latiore. Tibiæ posticæ triplo longiores quam patellæ, sed anticæ non omnino hanc proportionem æquant. Limes dor-

salis inter occiput et partem thoracicam obsoletissime impressus, quare occiput non ut, e. gr. in *E. dentipalpi* tam evidenter abrupte convexum et insimul alte elevatum evadit. Ab hac specie distinguitur præterea tibiis posticis non 4:plo longioribus quam patellæ, metatarsis anticis non evidenter longioribus quam tarsi, cet.

Sub lapidibus prope Gothob. initio Maji capta. In Upl., *Thorell.*

25. **E. coriacea**: *Mas* thorace longit. vix 1 mm., nigro, supra subtusque coriaceo, opaco; capite cum clypeo politis, nitidis, illo in lateribus fovea profundiore, etiam nitida impresso; fronte æquali, nuda (impressione levissima, angusta, ægre observanda, transversali, supra oculos intermedios anticos vel supra medium spatii facialis notata, quæ ex eminentia oculorum anticorum intermediorum orta esse videtur), regione pone occiput impressa, vel hoc postice arcuatim declivi, ita ut caput ultra planum partis thoracicæ evidenter elevatum evadat, hac elevatione circiter æque alta atque efficit dimidia longitudo patellarum anticarum; dorso pone medium fovea normali nulla; oculis intermediis anticis paullo supra medium spatii facialis, posticisque in angulo frontali, vel in summo capitis locatis, his inter se ultra duplo longius quam illi distantibus, anticis a lateralibus anticis intervallo dimidio majore quam inter se remotis; palporum parte patellari breviter conica, parum longiore quam latitudo apicalis, quam patellæ anticæ evidenter breviore; parte tibiali apice supra in lobum magnum producta, hoc suo apice medium laminæ ordin. vel totius clavæ attingente. *Femina?*: capite antice æquali, occipite paullo altiore quam eminentia oculorum intermediorum posticorum; pedibus evidenter pilosulis, supra apicem patellarum seta verticali, non longiore quam diameter articuli, supra tibias pilis subtilissimis 2—3, ultimo similiter ac pilus alter in metatarsis, præsertim posticis, 2:plo vel 3:plo longiore quam diameter articulorum; tibiis basi diaphano-

pallidis, posticis vix ultra 3:plo longioribus quam patellæ; mandibulis evidenter longioribus quam altitudo facialis; oculis interm. anticis a margine supra os non longius quam ab intermediis posticis locatis; parte cephalica per impressionem lateralem a parte thoracica distincta.

WESTR. Enum. Ar. pag. 59.

Mas. Superficies thoracis ut in *E. rugulosa* (27) sat rude coriacea simulque opaca. Palporum pars femoralis non longior quam $^1/_2$—$^2/_3$ femorum anticorum, ut in aliis hujus sectionis; lamina ordinaria et membrum genitale conjunctim duplo crassiora quam femora antica; pars patellaris dimidio longior quam efficit latitudo apicalis, longitudine circiter $^2/_3$ patellarum attingens; pars tibialis superne extus lobato-producta. Fovea lateralis capitis superne profundiuscula, fundo hic vix perspiciendo; ad formam fere angularis, vel antice et superne per plicam elevatam communem limitata. Fundus foveæ, uti reliqua pars lateralis capitis, nitidus; fovea superne, ut antea dicitur, profundior est, fundus hic quasi perforatus. Caput superne et totus clypeus nitida, polita, fronte saltem in specimine lustrato non pilis ullis vestita. Dispositio oculorum 2 intermediorum posticorum ab ea in *E. scabricula* (28) differt in eo, quod oculi inter se multo magis quam intermedii antici distant; plerique oculi ut in illa specie ægre observandi. Caput quam in eadem specie evidenter elevatius, et frons cum clypeo minus regulariter arcuatim confluens. Frons, ab antice vel in directione obliqua inspecta, mox supra oculos intermedios anticos, vel in tertia parte spatii facialis, infra verticem, impressione angusta transversali notata, parum conspicua. Occiput postice arcuatim ad dorsum partis thoracicæ descendit, ut in *E. semiglobosa* (21), at minus altum est, altitudine vix ultra dimidiam longitudinem patellarum anticarum attingens. Altitudo facialis paullo major quam longitudo mandibularum. Ab *E. scabristerni* (6) facile distinguitur superficie dorsi thoracis evidenter coriacea, opaca nec nitida, palporumque parte femorali longitudine haud femora pedum anticorum æquante. Ab *E. erythropode* (22), *pusilla* (23), *se-*

miglobosa (21) et *parallela* (24) differt superficie thoracis ut in *E. rugulosa* (27) et *impolita* (26) rudius et densius ruguloso-coriacea, simulque opaca. Ab *E. rugulosa* distinguitur parte cephalica ubique (in occipite et lateribus) polita, nitida, fovea lateralis evidentissima, fronteque transverse leviter impressa, ut et occipite evidenter convexo-elevato; palporum clava quam in illa specie crassior, et pars tibialis in lobum magnum producta; Ab *E. impolita* differt oculis 2 lateralibus non tuberculum commune formant, vel margo anticus foveæ capitalis non impressus, h. e: spatium frontale laterale inter eos oculos et verticem, a postice inspectum, omnino rectum.

Femina, an huc pertinens?, a femina *E. impolitæ* distingui potest in notis, in diagnosi allatis.

Ad Gothob., in Slottskogen, mense Junio, in gramine excipulo capta. Ad Upsaliam a *Thorell* inventa.

26. **E. impolita:** *Mas* thorace longit. vix 1 mm., nigro, supra subtusque coriaceo, opaco; capite cum clypeo glabris, nitidis, illo fovea laterali, ad formam angulari, vel margine superiore elevata (fundo in ipso sinu certo situ visibili, non quasi perforato); fronte leviter retusa, occipite convexo-elevato, ita ut caput ultra planum dorsale partis thoracicæ evidenter emineat, hac elevatione breviore quam patellæ anticæ; fovea normali pone medium dorsi rudimentaria; oculis intermediis anticis in angulo inferiore retusionis, vel evidenter supra medium, circiter in $^3/_4$ spatii facialis, posticisque in angulo superiore retusionis, h. e.: in summo capitis anterius locatis; oculis duobus lateralibus ad latera anguli inferioris retusionis sitis, tuberculo communi evidenti impositis, ab intermediis anticis longius quam hi inter se remotis; palporum parte patellari conica, paullo breviore quam patellæ pedum anticorum; parte tibiali apice dilatata, hic paullo inæquali, non autem evidenter lobato-producta; membro genitali e latere externo baseos setam nigram subtilem, deorsum flexam, emittente.

Femina (?) capite antice æquali, convexitate occipitis paullulum altiore quam locus, quo oculi 2 intermedii postici insistunt; pedibus pilis ordinariis decumbentibus valde inconspicuis, tibiisque cum metatarsis pilis verticalibus subtilissimis nullis (nisi singulo in tibiis?); tibiis basi concoloribus, non diaphano-pallidis; palporum articulis omnibus gracilibus; clypeo altiusculo, parum breviore mandibulis; saltem tota altitudine faciali his organis non breviore, h. e.: oculis interm. anticis a margine supra os longius quam ab intermediis posticis sitis; superficie thoracis et pectoris ut in ♂.

Mas E. coriaceæ (25) valde similis; ab ea differt oculis seriei anticæ facilius observandis, intermediis in $^3/_4$ nec in medio spatii facialis locatis; oculi duo laterales, a latere et oblique contemplati, tuberculum commune distinctissimum formant, vel regio supra oculos, inter verticem, impressa; fovea infra verticem in suo sinu non tam profunda, ut illa ibi quasi perforata videatur; palporum pars tibialis in apice non in ullum lobum distinctum producta; membri genitalis seta vel pilus basalis in *E. impolita* sed non in *E. coriacea* adest; juxta radicem hujus setæ observatur appendix spiraliter flexa, an etiam in vivis? — A speciebus subsimilibus, in descriptione *E. coriaceæ* enumeratis, facile distingui potest in notis, ibi et in descriptionibus cujusque speciei allatis.

Femina differt a ♀ *E. coriaceæ* notis in diagnosi allatis.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

27. **E. rugulosa**: *Mas* thorace nigricante, subtus et supra, exceptis area oculari et clypeo, rude coriaceo vel scabro, opaco; capite in lateribus fovea obsoleta, vel impressione tenui angulata, hac præsertim infra oculos intermedios posticos plicam formante, fovea in fundo subopaca, nec nitida; regione pone occiput levissime impressa, vel capite parum elevatiore quam dorsum partis thoracicæ, occipite fere plano, nullibi altiore quam locus, quo oculi

intermedii postici insistunt; dorso pone medium foveola ordinaria nulla; oculis intermediis anticis in $^2/_3$—$^3/_4$ spatii facialis ab ore locatis, a lateralibus anticis vix longius quam inter se distantibus; intermediis posticis nonnihil distantioribus, in summo capitis sitis, ab anticis vix longius quam inter se dissitis; fronte convexa, non impressione ulla notata, subporrecta, unde clypeus paullo impressus videtur; abdomine fusco vel nigro; pedibus castaneo-rufescentibus; palporum parte femorali longitudine $^1/_2$ femorum pedum anticorum, parte patellari subtriquetra, non longiore quam latitudo apicalis; parte tibiali parum longiore et latiore, ambabus conjunctim longitudinem patellarum pedum anticorum attingentibus, hac angulosa, nullo in loco supra laminam ordinariam lobato-producta; bulbo, e lamina et membro genitali composito, parum, immo vix crassiore quam femora antica.

WESTR. Enum. Ar. p. 60.

Mas. Magnitudo *E. coriaceæ* (25). Clypeus obsolete coriaceus, subnitidior; occiput minus evidenter quam in illa specie nitidum vel politum videtur; area oculorum evidentius glabra, nitida. Fovea lateralis capitis fere eadem forma atque in illa, sed ambitu multo minor et hujus sinus internus minus profundus est; hic non ut in illa quasi perforatus videtur. Altitudo facialis parum vel vix major quam efficit longitudo mandibularum. Pars cephalica superne recta, non convexa; impressio pone occiput exigua videtur. Frons (vel spatium inter oculos intermedios anticos et posticos) æqualis, convexa, supra clypeum paullo porrecta, unde hic quasi leviter impressus videtur (?). Thorax, superne inspectus, lateribus satis arcuatim dilatatus, vel totus late ovatus dicendus, antice abrupte angustatus, ita ut frons parum latior evadat quam efficit tertia pars latitudinis mediæ partis thoracicæ. Pedes læte cactaneo-rufescentes, patellis luteis, tibiis concoloribus, non basi pallido-diaphanis, patellis et tibiis superne nullis setis verticalibus distinctis, an etiam in illæsis?; tamen in tibiis et metatarsis posticis pilus 1 adest, qui diametrum articuli paullo superat. Femora line-

aria sive superne non evidenter incrassata, metatarsi antici non evidenter longiores quam tarsi, et tibiæ anticæ 3:plo longiores quam patellæ, omnino ut in *E. coriacea.* Brevitas palporum partis patellaris et tibialis, earum forma, ut et gracilitas clavæ bene sunt observandæ.

Ad Upsaliam a *Thorell* inventa.

28. **E. scabricula**: *Mas* thorace fusco-nigricante, supra subtusque concinne coriaceo, subopaco, vel parum nitido, saltem non polito; clypeo, capiteque supra et in lateribus politis, nitidis, hoc utrinque fovea ovata, lata, ubique vadosa, nullibi profunda; fronte convexa, vel leviter retusa, breviter pilosa; oculis intermediis anticis in medio spatii facialis, posticis in summo capitis locatis, illis a lateralibus anticis intervallo fere duplo majore quam inter se distantibus et simul humilius quam hi locatis, unde oculis omnibus 4 in seriem recurvatam dispositis, intermediis posticis ab anticis valde remotis, simulque inter se multo brevius quam a posticis lateralibus separatis; vel intermediis duobus anticis et posticis una cum lateralibus per paria dispositis, areaque, ab omnibus occupata, parum vel vix latiore quam longiore; capite cum dorso thoracis æqualiter concreto, nec pone occiput neque ad latera impressione ulla interjacente nisi obsoletissima ab hoc distincto; abdomine atro; pedibus rufo-brunneis. Fovea pone medium dorsi thoracis nulla.

Femina fronte nudiore; capitis lateribus cum clypeo, immo occipite non omnino glabris, sed ut reliqua superficies subtiliter reticulatis; oculis intermediis anticis a lateralibus anticis paullo longius quam inter se dissitis, et ab intermediis posticis evidenter brevius distant quam efficit spatium a tota serie antica occupatum; serie antica paullo recurvata; oculis seriei posticæ intervallis æqualibus; clypeo evidenter breviore quam mandibulæ; capite utrinque fovea carente; colore thoracis piceo; lateribus partis thoracicæ impressione normali vix ulla. Pectus etiam coriaceum.

WESTR. Enum. Ar. p. 42.

Mas. Thorax longit. vix 1 mm. Frons leviter deplanata (sive retusa, obsolete pilosula), una cum clypeo et occipite in directionem fere circularem confluentibus, vel arcuatio frontis neque superne neque inferne angulatim vel propter eminentiam ullam evidentiorem abrupta. Caput ad latera non per impressionem ullam a parte thoracica distinctum, sed recte cum hac confluens; occiput cum dorso thoracis etiam sat recte concretum, et deinde dorsum usque ad summam basin in planum sensim declive leviterque convexum decurrens, nec ut in quibusdam speciebus pone medium magis altum et dein abrupte descendens. Fovea capitalis lateralis ampla, juxta oculos vel frontem in plicam finita, ubi fundus etiam visibilis est, nec ut in *E. coriacea* (25) et quibusdam aliis in punctum profunde impressum ibi finita. Superficies thoracis concinne coriacea parum opaca videtur; pectus autem sat distincte opacum. Oculi planiusculi, præsertim in vivis difficilius observandi, ut in *E. monocerote* (14) per paria dispositi, intermediis posticis ab anticis valde remotis, ita ut area, ab omnibus 8 occupata, fere æque longa ac lata evadat; oculi intermedii antici humilius quam laterales siti, unde series, ab omnibus 4 occupata, paullo recurvata videtur; oculi intermedii antici ab ore et ab oculis interm. posticis æque longe disiti. E plica, quæ foveam superne cingit, exit, ut mihi videtur, canalicula vel linea impressa subtilis, quæ planum occipitale ad partem includit; ipsum planum, ut tota fovea lateralis et clypeus, omnino glabrum, nitidum; reliqua superficies subopaca, vel non pure nitida. Clypeus, a latere inspectus, in loco, qui seriem anticam oculorum excipit, transversim satis convexus, unde oculi laterales antici solito retractiores evadunt, ita ut intervallum inter eos et intermedios in statu eodem evidentissime observari possit. Mandibulæ brunneo-fuscæ, crassiores quam femora antica?, obsolete rugulosæ, breviusculæ, altitudinem facialem non attingentes; nonne clypeum paullo superantes? Palporum pars patellaris forma patellarum pedum anticorum, quam hæ parum brevior; pars tibialis extus

dilatata, subangulosa, præsertim angulo uno calloso, evidentiore, hoc supra laminam ordinariam nonnihil extenso; lamina una cum membro genitali, vel tota clava nonnihil crassior quam mandibulæ, at fere duplo crassior quam femora antica, ut pars tibialis piceo-nigricans. Abdomen atrum, lateribus in nuper mortuis subrugulosum, an etiam in vivis? — Pedes rufo-brunnei vel castanei; patellis cum ipsa basi tibiarum pallido-diaphanis; illarum anticis $\frac{1}{3}$ tibiarum fere longioribus; metatarsis ejusdem ordinis vix longioribus quam tarsi; tibiis et metatarsis superne pilis quibusdam verticalibus vestitis, horum uno pone medium tibiarum et altero ante medium metatarsorum insigniter longiore, vel fere patellas anticas superante, saltem æquante; in tibiis posticis, haud procul ab apice, pilus adhuc longior adest.

Femina. Thoracis dorsum et caput ut in ♂ constructa, h. e.: a latere inspecta in arcum æqualem confluentia; frons autem brevior, minus evidenter pilosa (regio pone occiput in illæsis serie, longitrorsum posita, e pilis 4—5 erectis, antrorsum flexis, sat longis ornata, an etiam in maribus indetritis?). Oculi dispositione vulgari; intermediis posticis a lateralibus paullo tantum longius quam inter se remotis, et quam intermedii antici evidentius magis inter se separatis; clypeus ut in ♂ æque longus ac frons; ambobus spatiis re vera autem minoribus quam in illo, vel area, ab oculis 4 intermediis occupata, in ♀ breviter trapezoidea, et vix 2:plo longior quam spatium inter oculos duos posticos, at in ♂ angustato-quadrangularis, et triplo longior quam idem spatium est. Mandibulæ evidenter longiores quam clypeus, rufobrunneæ. Superficies clypei et laterum capitis minus nitida, sub oculo bene armato subtiliter coriacea seu reticulata. Pedes ut in ♂ constructi et pilosi. Oculi 4 antici in seriem parum recurvatam dispositi.

Mense Majo sub lapidibus capta prope Gothob.; in Ostrog., *v. Post.*

29. **E. subæqualis**: *Mas* thorace lurido vel luteo-fusco, subtus obsoletius, supra ubique, etiam in clypeo, sub oculo bene armato subtiliter reticulato vel coriaceo, simulque tamen nitido nec opaco; fronte convexa (non retusa); parte cephalica per impressionem lateralem distincta, pone occiput levissime impressa, dein ad oculos intermedios posticos leviter arcuatim procurrente, convexitate summa paullo altiore quam locus, cui iidem oculi impositi sunt; loco mox pone intervallum inter oculos laterales posticos et intermedios posticos foveola minuta vel puncto impresso notato; clypeo recto, haud impresso, dimidio altiore quam efficit longitudo spatii, ab oculis 4 intermediis occupati, oculis intermediis anticis in $^3/_4$ spatii facialis locatis, duobus lateralibus in tuberculo distincto sitis; abdomine fusco vel nigro; pedibus luteo-rufescentibus; seta apicali patellarum et nonnullis supra tibias parum distinctis, saltem diametrum articulorum vix superantibus.

Femina (?) foveola capitali nulla; clypeo ut in ♂ recto, vix longiore quam spatium inter oculos intermedios anticos et posticos; palporum parte ultima sensim acuminata, paullo crassiore quam pars tibialis; pedibus gracilibus cum palpis brunneo-testaceis, non rubedine tinctis, tibiis basi pallido-diaphanis.

WESTR. Enum. Ar. p. 42.

Mas. Cavendum est ne hunc cum *Linyphia concolore*, *parvula* et *convexa* confundas (vide *Obs.* ad descriptionem generis *Erigones*). — Thorax longit. $^3/_4$—1 mm., in siccatis fere luteo-nigricans. Mandibulæ subrobustæ, æque longæ ac tota altitudo facialis, superficie subrugulosa, unde hæc minus polita videtur. Palpi luteo-fuscescentes; articulis ultimis infuscatis, parte patellari forma patellarum pedum anticorum at evidenter breviore quam hæ; parte tibiali extus sensim incrassata, vel forma depresso-campanulata, apice nullo modo evidenter producta, nisi apice in cuspidem brevissimam finito; membro genitali apice appendice hyalina aucto?, illo cum lamina ordinaria conjunctim non duplo cras-

sioribus quam femora antica. Impressio lateralis capitis minuta, certo situ non dissimilis eidem in *E. parallela* (24) vel *pusilla* (23), excavatio vero adhuc minor, punctum minutum profundum assimilans; foveola neutiquam ut in *E. erythropode* (22) et *semiglobosa* (21) deorsum elongata. Ab his præterea differt clypeo haud polito, sed, uti totus thorax, superficie subtiliter reticulata, neque est frons ut in *E. erythropode* et *pusilla* retusa, sed una cum occipite in arcum regularem formata. Ab *E. scabricula* (28) differt et impressione capitali multo minore et oculis intermediis anticis a lateralibus anticis non longius quam inte se remotis. Ab *E. rurestri* (48) mox distinguitur brevitate et tenuitate setarum supra tibias et metatarsos, quæ setæ apud eam ad robustitatem aculeorum illorum appropinquantur, quæ apud genus *Linyphiam* occurrunt. Caput, in omni directione inspectum, haud ullos alios oculos ultra cutem evidenter eminentes quam oculos duos laterales repræsentat; hi tuberculum minutum, distinctum formant. Tibiæ basi pallido-diaphanæ; patellæ anticæ longitudine $1/_3$ tibiarum vix attingunt, tibiæ scilicet, præsertim posticæ 4:plo longiores quam patellæ. Clypeus altitudine fere longitudinem spatii illius superante, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, saltem non ei cedente. Pectus nitidum vix nisi glabrum.

Femina. Thoracis color in vivis lurido-lutescens, in mortuis fusco-nigricans, numquam pure niger, neque colore brunneo vel rubicundo tinctus. Limes inter occiput et dorsum partis thoracicæ obsoletissime impressus, occipitis convexitate humillima, vix altiore quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt, qui una cum intermediis anticis parum eminent; oculi duo laterales tuberculo evidenti impositi; margo supremus lateralis ut in ♂ æqualis, non reflexus, et clypeus mox infra oculos intermedios anticos non impressus; clypeus non altior quam efficit distantia inter hos oculos et intermedios posticos. Femora antica supra basin parum incrassata. Pedes graciles, extus sensim attenuati. Seta supra apicem patellarum et prope basin tibiarum paullo evidentiores, parum vel vix longiores quam dia-

meter articulorum; infra medium tibiarum præterea observantur pili nonnulli subtiles, molles, qui fere duplo longiores quam eadem diameter videntur. Pedum palporumque color sordide brunneo-testaceus; palpi in mortuis obscuriores.

Mense Julio sub foliis deciduis ad Prædium Sårö Hallandiæ capta.

30. **E. retusa**: *Mas* thorace rufo-piceo, in siccatis variantibus, præsertim ♀, nigricantibus, cum pectore non nisi glabris et nitidis; sincipite, vel loco mox pone aream oculorum 4 intermediorum, retuso sive impresso, his oculis in elevatione communi in medio spatii facialis locatis; capite utrinque per foveam magnam latam, inferne vadosam, superne in punctum profundum finitam a parte thoracica lateraliter distincto, hac parte superne ab angulo superiore retusionis ultra medium dorsi in planum rectum nec convexum decurrente, tum ad ipsam basin thoracis decliviter descendente, declivitate superius foveolam ordinariam oblongam, levissime impressam excipiente; palporum bulbo, e lamina et ipso membro genitali composito, vix crassiore quam femora antica, parte patellari longit $^{2}/_{3}$ patellæ pedum anticorum, tibiali breviori, angulosa, apice superne integra, haud in calcar producta; patellis præsertim pedum posticorum supra apicem seta, paullo longiore, tibiisque præsertim infra basin altera, fere duplo longiore quam diameter ipsius articuli.

Femina. Frons una cum occipite æqualiter confluentia, hoc paullo altiore quam locus, quo oculi interm. postici insistunt; parte cephalica ad latera per impressionem profundam a parte thoracica distincta, in ipso dorso autem æqualiter cum hac concreta; basi thoracis etiam evidenter declivi et hic fovea vadosa ampliore impressa; mandibulis basi leviter convexis, quam femora antica robusta non crassioribus, glabris; palporum gracilium parte tibiali lineari, vix duplo longiore quam patellaris; oculis intermediis anticis ab ore non longius quam ab oculis

interm. posticis remotis; tibiis anticis non ultra 3:plo longioribus quam patellæ, abdomine fusco, in variantibus punctis crebris adhuc fuscioribus adsperso, his in nuper exclusis, pallidioribus, magis evidentibus, dorso interdum litura media pallescente; pedibus rufo-testaceis evidenter adpresso-setosis, tibiis basi pallido-diaphanis, ut in ♂ setis erectis paucis.

WESTR. Enum. Ar. p. 41.

Mas. Subsimilis ♂ *E. gibbicollis* (15), a quo distinguitur angulo postico retusionis sincipitis non in tuberculum teres elevato et palporum parte tibiali supra apicem non unco aucta. Ab illis speciebus, quæ frontem retusam habent, distinguitur oculis interm. posticis non in summo capitis, sive in angulo superiore retusionis, sed inferius in angulo inferiore sitis, ubi una cum intermediis anticis (inferioribus) in eminentia communi, exacte in medio spatii facialis locati sunt. Thorax longit. 1 mm., sub oculo acutissime armato obsolete coriaceus, omnino glaber dicendus, nitidus. Oculi omnes facile perspiciendi. Palporum lamina ordinaria (quæ bulbum superne tegit) æqualis, non ullo modo producta sive non calcari ullo munita, æque longa ac pars patellaris, et quam femora antica vix vel perparum latior; totus bulbus non longior quam patellæ eorundum pedum, etiamque non crassior quam femora. Tibiæ anticæ 3:plo, posticæ 4:plo tantum longiores quam patellæ. Femora antica sat robusta, supra basin sat evidenter sed non abrupte incrassata, vix 4:plo longiora quam latiora. Tibiæ basi diaphanæ. Angulus superior retusionis, a latere contemplatus, quasi ultra superficiem adsurgere incipit (?), setulis nonnulis brevissimis indutus.

Femina. In societate cum *E. simplici* ♂ semel capta, cui ad longitudinem setarum ·erectarum pedum similis est; at secundum analogiam, et quum feminas plures quotannis in societate cum ♂ supra descripto ceperim, certissime huc, non autem ad speciem illam referenda est. Ab *Erigone gibbicolli* differt sincipite non tam retuso, ut hoc postice in angulum evidentem formatum èvadat; illud leviter et sub-

arcuatim tantum versus occiput adscendens, ideoque etiam ut in illa hoc evidenter altius elevatum est quam locus, ubi oculi interm. postici siti sunt. Ab *E. rufipede* (33) differt mandibulis non crassioribus quam femora antica, lævibus nec granulatis, patellis anticis 3:plo nec 4:plo longioribus quam tibiæ. Ab *E. pingui* (39) differt mandibulis supra apicem non impressis, cet. Ab *E. nudipalpi* (3), *inflexa* (4), *monocerote* (14), *erythrocephala* (40) et *quisquiliarum* (43) distinguitur palporum gracilium parte ultima maxima parte lineari, nec tota a basi ad apicem sensim acuminata. Ab *E. silvestri* (41), cui simillima est, differt tibiis anticis vix ultra 3:plo longioribus quam patellæ, femoribus anticis non evidenter 4:plo longioribus quam crassioribus, pedibusque non tam crebre neque adpresso- neque erecto-pilosis. Ab *E. longipalpi* (1) differt mandibulis non crassioribus quam femora antica, lævibus nec granulatis, thoracis margine non reflexo, colore thoracis rarius nigro-piceo.

Sub quisquiliis et lapidibus ad litora maris et fluvii Göta Elf prope Gbg. frequenter capta.

§§. Maris caput neque in lateribus fovea ulla distincta impressum, neque fronte, sive sincipite, retusum vel impressum. *E. dentata* (35), occipite versus frontem paullo sensim descendente, sincipite autem non retuso, haud cum speciebus divisionis § est confundenda.

†. Palporum pars patellaris aut regulariter conica aut tota subæqualiter crassa, arcuata, rarius globosiuscula sive quasi inflata; fere in omni conditione longitudine patellas pedum anticorum æquans vel subæquans, non tam breviter conica vel nodiformis, ut quam hæ insigniter brevior evadat. Mares quatuor mandibulis introrsum pone medium dente armati. Thoracis color rufescens vel piceo-rufescens.

31. **E. simplex**: *Mas* thorace pedibusque rufo-testaceis; parte cephalica per impressionem normalem lateralem distincta, pone oculos intermedios posticos clypeoque mox infra oculos anticis leviter impressis, unde oculis 4 intermediis elevationi communi humili, paullo porrectæ impositis; elevatione non altiore quam summa convexitas occi-

pitalis; dorso mox pone occiput etiam leviter impresso, unde dorsum, a latere inspectum, anterius quasi levissime biimpressum videtur; palporum parte tibiali non breviore quam patellaris, utraque per se breviore quam patellæ pedum anticorum; illa (radiali) in apice lateris externi dente brevissimo, subtili, recto armata; toto bulbo globuliformi, vix longiore quam pars tibialis, et quam femora antica saltem non crassiore.

WESTR. Enum. Ar. p. 44.

Mas pulice non multo major. Thorax longit. $^3/_4$ mm., supra obsoletissime coriaceus, subtus omnino glaber, nitidus; elevatio occipitalis parum altior quam thoracis dorsum medium. Series oculorum 4 anticorum deorsum arcuata (?); intermedii antici evidenter longius ab ore quam ab intermediis posticis distant; propter eminentiam communem oculorum 4 intermediorum clypeus paullo impressus videtur; altitudo facialis parum brevior quam efficit latitudo. Mandibulæ basi non crassiores quam femora antica, ibique mediocriter convexæ, nonnihil longiores quam altitudo facialis, paralleliter extensæ, extus parum attenuatæ, apice æquales (nec supra hunc impressæ). Palporum pars femoralis mediocriter crassa, ad formam non extrorsum sensim clavata; pars patellaris longit. $^3/_4$ patellarum pedum anticorum, conica; pars tibialis ad formam parti patellari fere æqualis sed crassior, basi æque crassa atque apex partis patellaris, inter se arcte connexæ et in statu extensionis rectæ conum communem referentes; pars patellaris extus angustior, pars tibialis vero ibi æque crassa atque apex patellarum pedum anticorum; pars tibialis in apice lateris externi stilo brevissimo fusco, supra clavam extenso, parum evidente instructa; tota hæc pars pilis rarioribus, æqualiter promiscuis, non ullo loco in penicillum congestis, vestita. Femora saturatius rufa quam articuli insequentes; patellæ et præsertim basis summa tibiarum pallido-diaphanæ; seta in apice patellarum et nonnullæ versus basin et apicem tibiarum verticales, præsertim in pedibus posticis quam diameter articulorum longiores,

adsunt. Pedum posticorum patellæ longit. [1], tibiarum, quam proportionem iidem articuli pedum anticorum fere habent. Abdomen, erga lucem contemplatum, pilis longiusculis vestitum.

Femina hactenus non certo cognita. Vide descriptionem feminæ *E. retusæ* (30).

Mas descriptus mense Aug. et Septembri sub foliis in Slottskogen prope Gothob. captus. Mas semel ad Sårö in societate cum *E. retusa* inventus.

32. **E. graminicola** (SUND.): *Femina* thorace pectoreque rufo-piceis, mandibulis, palporum parte femorali femoribusque lætius rufis sive castaneis, patellis cum reliquis articulis pedum palpisque extrorsum testaceo-lutescentibus; thoracis margine parum elevato; mandibulis basi angulato-elevatis, parce et obsoletius seriato-granulatis; palporum parte tibiali et tarsali gracilibus, illa triplo longiore quam crassiore, lineari et, similiter ac basis partis tarsalis, non crassiore quam metatarsi antici; abdomine nigro, breviter et crebre piloso; serie oculorum 4 anticorum recta, non evidenter deorsum curvata; (maxillis extus prope apicem buberculo minuto pilifero, minus evidente quam in ♂ instructis).

Mas mandibulis altius vel in angulum ferer ectum elevatis, serie granulorum vel denticulorum, ab angulo mandibularum versus apicem directa, et pone medium interius dente robustiore armatis; palporum parte patellari paullo longiore quam pars tibialis, structura et longitudine patellarum pedum anticorum; illa parte sub apice dente brevi, deorsum vergente aucta, parte tibiali superne in apice dente gracili, parum visibili, nigro aucta; lamina ordinaria una cum bulbo genitali conjunctim femoribus anticis vix latioribus.

Linyphia gram. SUND. A:o 1829, p. 213. — *Erigone idem* A:o 1832, add. p. 259. — *Theridion rubripes* HAHN die Ar. I, p. 92, T. 22, f. 70. — *Michryphantes rubripes* KOCH IV, p. 121, T. 142, f.

næ palporum partem patellarum tumidam habent. Femina, quæ cum *E. graminicola* (32) satis congruit, ab hac facile distinguitur colore thoracis, mandibularum et pedum; color scilicet in *E. graminicola* semper e rufo saturatius tinctus, et mandibulæ non æqualiter sed subangulatim convexæ, sæpius ejusdem coloris ac femora, vel castaneo-, nec brunneo-vel luteo-testaceo-rufescentes. — Thorax sat late ovatus, longit. $1\,{}^1\!/_3$ mm., superficies sub lente acuta obsoletius coriacea; margine non elevatus; latitudine antica ${}^2\!/_3$ medii partis thoracicæ, vel fronte aut oculorum serie antica evidenter longiore quam efficit altitudo facialis; humilis, altitudine medii partis thoracicæ vix majore quam efficit ${}^1\!/_3$ hujus latitudinis maximæ; latitudo facialis evidenter duplo major quam altitudo; dorsum antice rectum, nec pone occiput neque in medio altius convexo-elevatum quam locus, cui oculi intermedii postici impositi sunt; altitudo clypei non major quam spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, vel oculi intermedii antici perparum longius ab ore quam ab intermediis posticis distant, hi inter se non longius quam ab anticis remoti; impressio normalis lateralis inter partem cephalicam et thoracicam vadosa et minus evidens. Mandibulæ femoribus anticis crassiores, quam altitudo facialis vix duplo longiores, in ♀ superne minus, tamen sat alte convexæ, granulis vel denticulis evidentibus carentes, in ♂ altius convexæ, tamen non ut in ♂ *E. graminicolæ* in angulum subrectum elevatæ; sat evidenter ut in eo denticulatæ et intra apicem dente præditæ, colore parum pallidiores quam thorax, h. e.: color neutiquam ut in *E. graminicola* in eundem ac femorum transit. Palpi in ♀ tenues, parte tibiali non ultra duplo longiore quam latiore, et quam pars patellaris duplo longiore, his articulis supra apices seta erecta ut in plerisque aliis speciebus vestitis; maris palpi toti crassiusculi, parte patellari longitudinem patellarum pedum anticorum attingente, ovato-globosa vel superne arcuata, æque crassa ac femora antica, parte tibiali breviore, inæquali, angulosa, hac una cum clava fuscis; lamella ordina-

ria, instrumenta genitalia tegens, evidenter latior quam femora antica. Maxillæ in ♂ prope apicem extus tuberculis seu denticulis 1—2 piliferis, sed minus evidentibus quam in ♂ *E. graminicolæ* armatæ. Abdomen fuscum aut luteo-fuscum. Pedes toti vel lætius vel pallidius rufescentes, unicolores; patellis anticis longit. vix ultra $1/4$ tibiarum. Seta patellarum et duæ ejusmodi in tibiis verticales, distinctæ, subrobustæ adsunt, et præterea metatarsi nonnullis ejusmodi subtilioribus et brevioribus vestiti. Color patellarum in vivis flavescit, at tibiæ basi non pallido-diaphanæ ut in nonnullis aliis speciebus subsimilibus. Toti pedes et palpi unicolores.

In gramine et plantis altioribus prope Gothob. excipulo capta. In Scania *Sund.*; in Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

34. **E. dentifera**: *Mas* thorace luteo-brunneo, pedum femoribus palporumque parte femorali et patellari pallido-testaceis, tibiis tarsisque pallidis; clypeo breviore quam efficit longitudo oculorum seriei anticæ; mandibulis luteo-brunneis, quam femora antica vix vel paullo tantum crassioribus, basi mediocriter convexis, superficie parce et brevissime granulatis, infra medium, introrsum, dente parvo armatis; palporum parte patellari conica, æquali, nec sub apice evidenter dentato-producta, longitudine $2/3$—$3/4$ patellarum anticarum; parte tibiali paullo breviore, at superne in laminam sat longam, apice inæqualem, fere bilobatam producta; thorax elongato-ovatus, frontis latitudine vix majore quam efficit dimidia latitudo partis thoracicæ.

Differt ab *E. graminicola* (32) mandibulis non basi angulatim elevatis, palporum parte patellari breviore quam patellæ pedum anticorum, sub apice nullo dente evidenti armata, num dente rudimentario dicendo?, colore thoracis et pedum non colore tam læte rubicundo tincto, præsertim thorax ett mandibulæ. Similiter atque illa differt ab *E. rufipede* (33) thorace antice minus lato, ita ut frons non ultra

æ palporum partem patellarum tumidam habent. Femina, quæ cum *E. graminicola* (32) satis congruit, ab hac facile distinguitur colore thoracis, mandibularum et pedum; color scilicet in *E. graminicola* semper e rufo saturatius tinctus, et mandibulæ non æqualiter sed subangulatim convexæ, sæpius ejusdem coloris ac femora, vel castaneo-, nec brunneo- vel luteo-testaceo-rufescentes. — Thorax sat late ovatus, longit. $1^1/_2$ mm., superficies sub lente acuta obsoletius coriacea: margine non elevatus; latitudine antica $^2/_3$ medii partis thoracicæ, vel fronte aut oculorum serie antica evidenter longiore quam efficit altitudo facialis; humilis, altitudine medii partis thoracicæ vix majore quam efficit $^1/_3$ hujus latitudinis maximæ: latitudo facialis evidenter duplo major quam altitudo: dorsum antice rectum, nec pone occiput neque in medio altius convexo-elevatum quam locus, cui oculi intermedii postici impositi sunt; altitudo clypei non major quam spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, vel oculi intermedii antici perparum longius ab ore quam ab intermediis posticis distant, hi inter se non longius quam ab anticis remoti; impressio normalis lateralis inter partem cephalicam et thoracicam vadosa et minus evidens. Mandibulæ femoribus anticis crassiores, quam altitudo facialis vix duplo longiores, in ♀ superne minus, tamen sat alte convexæ, granulis vel denticulis evidentibus carentes, in ♂ altius convexæ, tamen non ut in ♂ *E. graminicolæ* in angulum subrectum elevatæ; sat evidenter ut in eo denticulatæ et intra apicem dente præditæ, colore parum pallidiores quam thorax, h. e.: color neutiquam ut in *E. graminicola* in eundem ac femorum transit. Palpi in ♀ tenues, parte tibiali non ultra duplo longiore quam latiore, et quam pars patellaris duplo longiore, his articulis supra apices seta erecta ut in plerisque aliis speciebus vestitis; maris palpi satis crassiusculi, parte patellari longitudinem patellarum pedum anticorum attingente, ovato-globosa vel superne arcuata, æque crassa ac femora antica, parte tibiali breviore, inæquali, angulosa, hac una cum clava fuscis; lamella ordina-

ria, instrumenta genitalia tegens, evidenter latior quam femora antica. Maxillæ in ♂ prope apicem extus tuberculis seu denticulis 1—2 piliferis, sed minus evidentibus quam in ♂ *E. graminicolæ* armatæ. Abdomen fuscum aut luteo-fuscum. Pedes toti vel lætius vel pallidius rufescentes, unicolores; patellis anticis longit. vix ultra $^1/_4$ tibiarum. Seta patellarum et duæ ejusmodi in tibiis verticales, distinctæ, subrobustæ adsunt, et præterea metatarsi nonnullis ejusmodi subtilioribus et brevioribus vestiti. Color patellarum in vivis flavescit, at tibiæ basi non pallido-diaphanæ ut in nonnullis aliis speciebus subsimilibus. Toti pedes et palpi unicolores.

In gramine et plantis altioribus prope Gothob. excipulo capta. In Scania *Sund.*; in Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

34. **E. dentifera**: *Mas* thorace luteo-brunneo, pedum femoribus palporumque parte femorali et patellari pallido-testaceis, tibiis tarsisque pallidis; clypeo breviore quam efficit longitudo oculorum seriei anticæ; mandibulis luteo-brunneis, quam femora antica vix vel paullo tantum crassioribus, basi mediocriter convexis, superficie parce et brevissime granulatis, infra medium, introrsum, dente parvo armatis; palporum parte patellari conica, æquali, nec sub apice evidenter dentato-producta, longitudine $^2/_3$—$^3/_4$ patellarum anticarum; parte tibiali paullo breviore, at superne in laminam sat longam, apice inæqualem, fere bilobatam producta; thorax elongato-ovatus, frontis latitudine vix majore quam efficit dimidia latitudo partis thoracicæ.

Differt ab *E. graminicola* (32) mandibulis non basi angulatim elevatis, palporum parte patellari breviore quam patellæ pedum anticorum, sub apice nullo dente evidenti armata, num dente rudimentario dicendo?, colore thoracis et pedum non colore tam læte rubicundo tincto, præsertim thorax ett mandibulæ. Similiter atque illa differt ab *E. rufipede* (33) thorace antice minus lato, ita ut frons non ultra

dimidiam latitudinem partis thoracicæ attingat; structura palporum partis patellaris longe alia quam in illa specie. Thorax longitudine vix ultra 1 mm., patellæ et tibiæ anticæ conjunctim etiam vix longiores, vel $^1/_3$ breviores quam in *E. graminicola* et *rufipede*. Clypeus ut in his non longior quam spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, immo quam quod ab oculis intermediis anticis et posticis occupatur. Palporum membrum genitale ut in *E. graminicola* apice in stilum brevem nigrum productum, et tota clava parum crassior quam femora antica. Pedes satis evidenter pilosuli, ut in *E. graminicola* patellis supra apicem tibiisque pone basin et medium pilo vel setula verticali, parum longioribus quam diameter articulorum et non plane tam robustis atque in *E. rufipede*; tibiæ anticæ ut in utraque specie allata 4:plo longiores quam patellæ, et tarsi evidenter breviores quam metatarsi. Tibiæ et tarsi ut in *E. graminicola* pallida, obsoletius rufo-tincta.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

35. **E. dentata** (Wider): *Mas* thorace fusco-piceo, pedibus totis palpisque, excepto membro genitali nigricante, luteo-testaceis; clypeo paullo breviore quam oculorum series antica; mandibulis rufo-brunneis, basi paullo crassioribus quam femora antica, ibi læteraliter paullo angulato-elevatis, illinc ultra medium denticulis sive granulis adspersis, his fere seriatim digestis, mandibulis infra medium introrsum dente robusto armatis; thoracis superficie, exceptis parte cephalica et clypeo, subtilissime coriacea, certo lumine subopaca; occipite versus angulum frontalem sensim æqualiter leviterque declivi, crista e pilis, antrorsum flexis, sat rigidis ornata; palporum parte patellari obconica, crassiore et fere paullo longiore quam patellæ pedum anticorum, parte tibiali dimidio breviore, vix vel parum crassiore, in apice lateris externi in calcar, apice simplici, producta; membro genitali magno, introrsum versus os longe producto, una cum lamina ordinaria ultra duplo crassiore quam femora antica; saltem in

siccatis setam spiraliter flexam et stilos sive uncos aliquot emittente.

Femina thorace ut in ♂ concinne coriaceo et pedum colore minus e rubedine tincto; tibiis anticis vix ultra 3:plo longioribus quam patellæ; mandibulis etiam rufescentibus, basi vix crassioribus quam femora antica; seta verticali superiore, infra basin tibiarum posticarum sita, ad summum dimidio longiore quam diameter tibiæ.

Theridium dentatum WIDER Mus. Senck. p. 229, T. 15, f. 8.

Si notas, in diagnosi enumeratas, bene observes, hic mas facile a proxime affinibus distingui potest. Thorax long. 1 mm., a postice inspectus ut in *E. dentifera* (34) elongato-ovatus, fronte vix latiore quam 1/2 latitudinis partis thoracicæ. Declivitas occipitis recta (non ut, ex. gr., in *E. retusa* (30) deorsum impressa). Frons cum clypeo paullo ultra os porrecta, h. e. clypeus paullo introrsam descendens. Angulus basalis mandibularum ut in *E. graminicola* (32) evidenter ultra marginem clypei prominet; hic æque altus atque efficit spatium, quod circiter ab oculis 3 seriei anticæ occupatur, parum longior quam frons. Oculi magni, plerique deplanati, ægrius discernendi; intermedii postici inter se evidenter latiore spatio distant, quam quo a lateralibus posticis sunt separati. Clypeus cum partis cephalicæ dorso glabra, nitida. Impressio normalis inter partem thoracicam et cephalicam ad latera tantum dinstincta; occiput autem æqualiter cum dorso partis thoracicæ confluens. Abdomen evidenter pilosum, nigricans. Pedes toti testacei, patellis supra apicem tibiisque infra basin et medium superne pilo verticali, parum longiore quam diameter tibiæ, nisi pilus sive seta infra basin tibiarum posticarum paullo longior dicenda est. Pectus glabrum, nitidum. Maxillæ granulis sive denticulis brevissimis nonnullis, apice piliferis munitæ, non ut in *E. graminicola* denticulo 1 tantum juxta apicem. Tibiæ anticæ vix ultra 3:plo longiores quam patellæ; femora ejusdem ordinis supra basin non cito incrassata, haud ultra 4:plo longiora quam crassiora; tibiæ et patellæ anticæ conjunctim haud ultra 1 mm. longæ.

Femina dignoscitur ab *E. graminicola* (32) et *rufipede* (33) thoracis superficie evidenter concinne coriacea, tibiis anticis vix ultra 3:plo, posticis circiter 4:plo longioribus quam patellæ, setis, ex. gr., supra apicem patellarum et in tibiis pedum posticorum neutiquam duplo longioribus quam diameter articulorum. Thorax ut in *E. rufipede* magis fuscus quam in *E. graminicola*; mandibulæ ut in *E. graminicola* obsolete granulatæ, minus quam in hac ad basin elevatæ, et non tam regulariter et fortiter convexæ atque in *E. rufipede*, etiamque vix crassiores quam femora antica. Pedes minus rubedine tincti, in siccatis extus concolores. Pectus ut in ♂ glabrum. Cephalothoracis dorsum longitrorsum sat alte et regulariter arcuatum.

Mense Majo sub lapidibus ad fluvium Göta Elf ad Gbg. inventa.

Obs. Hæc araneola cum descriptione et fig., a *Wider* datis, certissime congruit, et cum *Ther. cristato Wider* (specie mihi ignota) haud confundi potest.

36. **E. chelifera** (Wider): *Mas* thorace læte aurantiaco- vel luteo-rufescente, pedibus luteo-rufescentibus; palporum parte femorali clavata, apicem versus superne muricata, prope apicem dente erecto armata; pedum quatuor anteriorum, præsertim 2 anticorum tibiis subtus extrorsum incrassatis, tum ad apicem cito angustatis, ibique densius et longius quam alibi pilosis.

Femina parte cephalica paullo minus quam in ♂ prominente, nihilo minus altitudine faciali mandibulis parum breviore, et clypeo fere duplo longiore quam spatium inter oculos intermedios anticos et posticos, vel æque alto atque efficit longitudo seriei oculorum 4 anticorum; serie antica evidenter deorsum arcuata; area, ab oculis omnibus occupata, nigricante; thorace nitidissimo, margine sat evidenter replicato, vel canalicula intra-marginali subtiliore prædito (Confer *E. isabellinam*).

Theridion chelif. Wider Mus. Senck. I, p. 237, t. 16, f. 4. — *Argus id.* Walck. Apt. II, p. 364.

Mas et *Femina*. Color thoracis medius inter latericium vel castaneo-rufum et aurantiacum; abdomen aut aurantiaco-brunneum, aut fuscum, sæpe rufo-reticulatum, nunquam ut in *E. bituberculata* (8) pure nigrum; cui quoad colorem thoracis et pedum læte luteo-rufescentium satis similis est; *femina* ab hac facile distinguitur altitudine faciali multo majore. *Mas E. isabellinæ* ut ovum ovo simillimus, nisi hujus structuram palporum et clypeum, minus evidenter impressum, bene inspiciamus. — Thorax vix ultra 1 mm. longus, glaberrimus, nitidissimus, margine evidenter elevatus, in lateribus foveolis minutis impressus; antice angustatus, ibique $1/3$ latitudinis partis thoracicæ non, nisi in ♀, superans. Thorax, a latere inspectus, eminentia capitis in ♂ altiuscula, vel ultra centrum thoracis dorsi evidenter elevata; caput ab angulo frontali vel a loco, quo oculi intermedii postici insistunt, in planum rectum nec convexum retrorsum declive, antrorsum fronte evidenter porrectum, ita ut clypeus infra oculos impressus videatur, quæ forma capitis ad eandem atque in ♀ *E. cornuta* quodammodo appropinquatur; in ♀ caput non omnino tam altum est, ideoque ultra os perparum porrectum; clypeus minus impressus. Frons, ab antice inspecta, convexa, unde oculi 4 intermedii altius quam laterales siti esse videntur, vel ambæ series in lineas deorsum arcuatas dispositæ. Mandibulæ in ♀ fere paullo crassiores quam femora antica (?), in ♂ paullo angustiores. Palporum structura in ♀ vulgaris, parte patellari supra apicem seta solitaria ut in plerisque speciebus, et parte tibiali seta ejusmodi, propter plures setulas breviores præumbrata, vestitis. *Maris* palporum pars patellaris oblongo-globosa, evidenter longior quam latior, et quam femora antica evidenter angustior; pars tibialis basi angustata, dein mox in lobos duos producta, vel potius excavatione profunda exsculpta, marginibus elevatis excavationis nigris; hæc excavatio fortasse ut receptaculum pro parte patellari, cum membrum genitale sub lusu venereo retrorsum reclinatur, est consideranda. Pedes luteo-rufescentes; patellæ anticæ $1/3$ tibiarum fere longiores, supra, præsertim in ♂, sat ar-

cuatæ et in illo robustiores; femora anteriora, præsertim in illo, superne solito magis incrassata, et in illo quam mandibulæ multo crassiora; maris tibiæ quatuor anteriores, præsertim anticæ evidentius ante apicem subtus incrassatæ, dein ad apicem cito angustatæ; locus, ubi tibiæ incrassatæ sunt, densius quam alibi pilosus; tibiæ eædem in ♀ forma vulgari; omnes tibiæ amborum sexuum ut in plerisque aliis superne setis paucis verticalibus vestitæ.

Mense Augusto et Septembri sub foliis deciduis, et sæpe in ipsis foliis arbustorum, in locis montosis ad Gothob. inventa. In Upl. a *Thorell* capta.

37. **E. isabellina** (Koch): *Mas* palporum parte femorali subclavata, supra apicem inermi; parte patellari subglobosa (in latere interno paullo magis dilatata), tota latitudine evidenter majore quam crassities femorum anticorum, saltem evidenter æque magna; parte tibiali brevissima, angusta, ægre observanda, extus calcari breviore piceo, et superne calcari altero rufo-brunneo, vel, si mavis, appendice semilunata, angusta, apice superiore nigra, tota longitudinem patellarum anticarum evidenter superante et supra laminam ordinariam pilosam longe extensa armata, convexitate hujus appendicis introrsum versa; tibiis anterioribus subtus apicem versus incrassatis, hic longius et densius pilosis.

Micryphantes isabellinus Koch, VIII, p. 109, T. 282, f. 676.

Mas structura singulari pedum 4 anteriorum et colore omnium partium ut in ♂ *E. cheliferæ*. Pars cephalica, a latere inspecta, parum ultra planum clypei porrecta, ita ut impressio infra oculos intermedios anticos levissima evadat. In *E. chelifera* autem prominentia frontalis tam magna esse dici potest, ut ejus longitudo circiter dimidiam longitudinem patellarum attingat. Superficies thoracis omnino ut in illa specie. Palpi perfecte explicati, quare non credere vellem hunc marem esse individuum tantum junius *E. cheliferæ*.

Exempla feminina, quæ uno eodemque loco ac ♂ descriptus, sive in foliis arbustorum inventa fuerunt, feminæ

E. chelifera etiam tam similia sunt, ut, si ad marem descriptum pertineant, neutiquam ab hac distingui possint. Potius crederem easdem fiminas rectius ad *E. cheliferam* esse referendas; quam ob causam femina vera investiganda est.

Mas descriptus, una cum feminis dubiis, ad Ulricæhamn a *Thorell* inventus.

††. Palporum pars patellaris (an omnium, quorum exempla feminina huc relata sunt?) parum longior quam efficit ejus latitudo apicalis, et quam patellæ pedum anticorum insigniter brevior; breviter conica, angulata vel nodiformis.

* Thorax et in siccatis et in vivis rufo-ferrugineus vel luteo-rufescens, non saturate fuscus, neque luridus sive lurido-nigricans, neque pure niger.

38. **E. robusta**: *Femina* thorace longit. 1$^3/_4$ mm., glabro, polito, pedibusque castaneo-rufescentibus, illius margine æquali, nec replicato; parte cephalica per impressionem lateralem obsolete distincta, fere æqualiter cum parte thoracica confluente; fronte latitudine ultra $^2/_3$ thoracis medii, clypeoque altitudine parum ultra $^1/_3$ latitudinis attingente, vel vix tam alto atque efficit spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur; occipite, postice non impresso, evidenter altius convexo-elevato quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt; dorso posterius fovea ordinaria majuscula; oculorum serie antica recta; mandibulis robustis, quam femora antica duplo crassioribus, basi extus sat alte, sed non angulatim convexis, quam clypeus 3:plo longioribus, et latitudine communi maxima paullo majore quam latitudo clypei; palpis colore pedum, extus fuscioribus, articulis duobus ultimis haud crassioribus quam antepenultimus, vel nullo in loco crassitiem basalem metatarsorum pedum anticorum superantibus, ultimo sensim acuminato; abdomine griseo-fuscescente, pilis erectis evidenter ultra cutem eminentibus vestito; patellis anticis longitudine non ultra $^1/_3$ tibiarum; tibiis anticis haud crassioribus quam posticæ, omnibus basi concoloribus, non pallide diapha-

nis; femoribus anticis supra basin mediocriter et sensim, nec abrupte incrassatis.

Mas (?) oculis intermediis anticis ut in ♀ ab ore non longius quam ab oculis interm. posticis remotis; palporum parte tibiali non longiore quam patellaris, conjunctim longitudinem patellarum pedum anticorum æquantibus, illa medio subinflata, præsertim superne extus pilis nonnullis evidentioribus vestita; lamina ordinaria cum bulbo genitali crassioribus quam femora antica; bulbo basi lamina falcata seu calcari armato, hoc in siccatis forsitan evidentius in lucem porrecto; mandibulis ut in ♀ supra apicem æqualibus (non excavatis).

WESTR. Enum. Ar. p. 43.

Femina ad maximas numeranda; *E. erythrocephalæ* (40) valde similis, sed differt altitudine faciali multo minore quam latitudo, vel clypeo non evidenter altiore quam efficit spatium, ab oculis 4 intermediis occupatum; palporum articulis duobus ultimis haud ullo loco crassioribus quam basis metatarsorum pedum anticorum; mandibulis adhuc robustioribus et basi extus convexioribus?, latitudine communi maxima evidentius majore quam latitudo clypei; occipite distinctissime elevatiore quam locus, quo oculi interm. postici insistunt; frontis latitudine fere $^3/_4$ latitudinis partis thoracicæ. Ab *E. pingui* (39) mox distinguitur mandibulis supra apicem ne ad minimum excavatis, tibiisque anticis evidenter 3:plo longioribus quam patellæ; thoracis margo superne omnino glaber, non subtiliter rugulosus. — Si omnes notas, in diagnosi allatas, bene respiciamus, femina descripta certe facile dinstingui potest ab aliis speciebus consimilibus.

Mas (?). Unicum specimen, quod lustravi, secundum analogiam potius ad *E. robustam* quam ad *E. erythrocephalam* mihi videtur esse referendum, an ad aliam speciem, ab his distinguendam? — Ab *E. erythrocephala* differre videtur clypeo humiliore; hic in ejus speciei femina satis evidenter altior quam efficit spatium, quod ab oculis intermediis anticis et posticis occupatur; in ♂ autem *E. robustæ* clypeus

non longior est, etsi secundum normam hic major quam in feminis esse solet. Ab *E. pingui* mox distinguitur mandibulis supra apicem non excavatis; palporum parte tibiali non breviore quam dimidia pars patellæ pedum anticorum, neque angustiore quam hæ, cet. — Ab *E. silvestri* (41) differt clypeo non altiore quam efficit spatium inter oculos interm. anticos et posticos, palporum parte tibiali non longiore quam patellaris, neque est hæc pars supra apicem seta robusta ornata.

Femina ad Dovrefjell in Norvegia a *Boheman*, mas descriptus in Upl. a *Thorell* captus.

39. **E. pinguis**: *Femina* thorace, longit. 1 $\frac{1}{2}$ mm., supra marginem subtiliter ruguloso, de cetero glabro, nitido, pedibusque brunneo-testaceis, tibiis tarsisque una cum palporum articulis ultimis saturatius coloratis; mandibulis linearibus, vel extus non evidenter attenuatis, supra apicem leviter excavatis; patellis anticis evidenter longioribus quam $\frac{1}{3}$ tibiarum; secundis $\frac{1}{2}$ tantum tibiarum longitudinis attingentibus; metatarsis cum tarsis anterioribus robustis, vel extus solito minus attenuatis, his non gracilioribus quam palporum articulus ultimus; totis pedibus evidenter longius setulosis; tibiis tarsisque et ad latera et superne setis verticalibus pluribus, longitudinem diametri articulorum superantibus; abdomine aut pallido- aut fusco-olivaceo, interdum fusco-punctato, superne setis fere æque longis atque in pedibus vestito.

Mas mandibulis etiam extus non attenuatis, supra apicem fovea lata profundiore; palporum parte femorali extus non crassiore quam metatarsi pedum anticorum, lamina ordinaria superne leviter convexa, una cum membro genitali clavam æque longam ac $\frac{1}{2}$ (interdum $\frac{2}{3}$) tibiarum pedum anticorum constituentibus, hac crassiore quam femora antica; pedibus ut in ♀.

WESTR. Enum. Ar. p. 43.

Femina toto corpore valde nitido, quasi oleo obducto. Thorax longit. 1 $\frac{1}{2}$ mm.; patellæ cum tibiis posticis con-

junctim $1\frac{1}{2}$ mm.; ille robustus, antice æque latus ac $\frac{3}{4}$ medii partis thoracicæ; thoracis dorsum ad oculos intermedios posticos æqualiter arcuatum, pone occiput non impressum; impressio normalis lateralis, obliqua, distincta est; margo laterum rugulis longitudinalibus concinnis; dorsum de cetero glabrum, nitidum. Mandibulæ ad basin evidentius elevato-convexæ, ultra duplo longiores quam clypeus; hic non longior quam efficit spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur; rectus, non evidenter infra oculos intermedios anticos impressus; intervallum inter oculos 2 intermedios anticos et posticos non multo brevius quam clypeus. Oculi intermedii postici planiusculi, non evidenter ultra cutem elevati, antici et laterales paullo eminentes; oculi interm. antici propter frontis directionem magis planam nec decliviorem ægrius quam in pluribus aliis discerni possunt, si oculi ab antice et horizontaliter contemplentur. Palpi subrobusti, at propter pedum structuram etiam robustiorem pars tarsalis non crassior quam tarsi pedum anticorum videtur; illa pars sensim acuminata. Abdomen majusculum, apice obtusum, nitidissimum, quasi oleo obductum, fuscum aut olivaceum, sæpe fusco-punctatum, vel pallido-reticulatum, interdum supra anum macula pallida, post mortem evanescente notatum; longius parce pilosum, pilis evidentissime ultra cutem eminentibus, fere æque longis ac setæ decumbentes pedum. Pedes in senioribus brunneo-rufescentes, in subadultis pallidiores, et abdomen in his pallidius griseo-olivaceum; tibiæ et tarsi saturatius brunnescentia vel picea, quo colore etiam palporum articuli duo ultimi picti sunt; tibiæ et metatarsi antici, præter setulas laterales patentes, superne setis verticalibus circiter 5—6, et præterea ut in reliquis speciebus setis ordinariis adpressis vestita; setæ verticales in metatarsis duplo longiores, in tibiis paullo longiores quam diameter articulorum; tarsi superne etiam setis verticalibus nonnullis muniti. Patellæ anticæ non insigniter breviores quam $\frac{1}{2}$ tibiarum, saltem evidenter longiores quam $\frac{1}{3}$ harum. Apex articuli metatarsalis pedum anticorum vix angustior quam reliqua pars articuli, h. e. articulus totus

potius linearis quam sensim attenuatus dicendus. Oculi intermedii antici inter se parum magis approximati quam postici, illi et hi simul aream potius quadratam quam elongato-trapezoideam occupantes.

Mas palporum parte patellari paullo longiore quam tibialis, ambabus conjunctim longitudinem patellarum anticarum vix attingentibus; pars tibialis extus producta, præsertim subtus longius at parce pilosa; lamina ordinaria ovata, superne leviter arcuata, secundum normam pilosa; illa cum membris genitalibus clavam æque longam ac circiter $^1/_2$ tibiarum anticarum constituentibus; tota clava paullo crassior quam mandibulæ vel quam femora antica videtur. Pedes ut in ♀ constructi et colorati. Individuum unicum cepi, quod clava duplo crassiore quam mandibulæ vel femora antica, et mandibulis supra apicem minus profunde excavatis instructum erat. A ♂ *E. quisquiliarum* (43) differt mandibulis apice non tam insigniter acuminatis, et palporum parte femorali non extus incrassata, neque hic evidenter crassiore quam metatarsi antici, ut et fronte minus angusta. Palporum pars patellaris non ut in eodem mare pilis vel setis porrectis robustis, penicillatim congestis instructa.

Et vere et auctumno feminæ sub lapidibus et foliis deciduis, in locis humidis et umbrosis, prope Gothob. captæ. Uterque sexus initio Julii ad prædium Sårö inventus. In Upl., *Thorell.*

40. **E. erythrocephala** (Koch): *Femina* thorace, longit. $1^3/_4$ mm, sub oculo armato inspecto subtiliter reticulato, non omnino glabro, margine anguste elevato; illo una cum pedibus colore rufo-testaceis, tibiis basi pallide diaphanis; parte cephalica per impressionem lateralem distincta; fronte latitudine $^2/_3$ medii partis thoracicæ, regione mox pone oculos intermedios posticos vix altiore quam locus, quo oculi insistunt; oculorum serie antica recta; mandibulis quam femora antica vix duplo crassioribus, basi extus sat alte convexis, parum ultra duplo longioribus quam clypeus; hic æque altus atque efficit spatium, quod

ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, simulque nonnihil longior quam frons; palpis colore pedum, extus fuscioribus, articulis duobus ultimis solito crassioribus, penultimo extus sensim leviter incrassato, ultimo a basi ad apicem sensim subulato, paullo longiore quam duo præcedentes, simul sumti; ultimo in sua basi haud angustiore quam apex articuli penultimi, ibique, similiter ac hujus articuli apex, paullo crassiore quam basis metatarsorum pedum anticorum; epigyne rufa instar gibbi ex apertura eminente.

Michryphantes erythrocephalus KOCH III, p. 85, T. 101, f. 233 (per lapsum calami supra figuram stat "234", et in fine tabulæ "*M. sylvarum*", pro *M. erythrocephalus*; vide corrigenda in fine Partis III. — *M. erythrocephalus* KOCH VIII, p. 98, T. 280, f. 667 & 668 alia species esse videtur, præsertim fig. 667, mas, qui quoad robustitatem thoracis *E. robustæ* non dissimilis videtur.)

Femina ad majores numeranda; patellæ posticæ una cum tibiis conjunctim $1^3/_4$—2 mm.; tibiæ anticæ 4:plo, posticæ 5:plo? fere longiores quam patellæ. Abdomen fuscum, longius pilosum, vel pilis erectis evidenter ultra cutem eminentibus. Margo thoracis saltem in siccatis leviter replicatus, vel linea tenui impressa, secundum marginem ducta insculptus (?). Ab *E. robusta* (38) differt parte cephalica per impressionem lateralem evidentius distincta, mandibulis vix ultra duplo longioribus quam spatium inter os et oculos intermedios anticos; altitudo facialis non ultra dimidio brevior quam latitudo clypei; hic magis evidenter altior quam efficit distantia inter oculos intermedios anticos et posticos, et magis evidenter id spatium attingit, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur. Pedes ut in *E. graminicola* (32) et nonnullis aliis evidenter et sat longe pilosi; in apice patellarum, ante et pone medium tibiarum, superne, seta verticalis evidentissima adest; seta in patellis et pone medium tibiarum paullo robustiores sunt, omnibus duplo, saltem dimidio longioribus quam diameter articulorum; in apice palporum partis patellaris et tibialis seta ejusmodi etiam adest. Si magnitudinem thoracis, structuram palporum articulorum

2 ultimorum et mandibularum, altitudinem facialem, cum clypei latitudine comparatam, tibias anticas non crassiores quam posticæ, seriem oculorum anticam rectam, colorem thoracis rufo-brunneum vel fusco-castaneum, totam superficiem thoracis obsolete reticulatam, fere glabram, et alias notas bene inspiciamus, femina descripta non difficile distingui potest ab aliis, quibus quoad colorem confundi potest. Cavendum est ne eam cum *Linyphiis* quibusdam confundas, e. gr. cum *Lin. rufa* et *comata*, quæ differunt tibiis anterioribus subtus evidenter aculeatis, et tibiis posterioribus aculeis hic illic sparsis instructis. Thorax in declivitate postica fovea magna. Tota superficies, etiam in clypeo, subtilissime reticulata videtur, si eam sub oculo optime armato inspicias; fugaciter inspecta glabra videtur.

Mense Julio, sub foliis deciduis, in societate cum *E. quisquiliarum*, in silva ad prædium Sårö Hallandiæ minus frequenter capta. In Upl. *Thorell.*

41. **E. silvestris**: *Femina* thorace longit. $1^{1}/_{2}$ mm., omnino glabro, nec evidenter reticulato, margine summo æquali; mandibulis, palpis, præter apicem piceum, pedibusque rufo-testaceis; mandibulis quam femora antica non crassioribus, basi non evidenter prominentibus, quam clypeus duplo longioribus, hoc æque alto atque efficit spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum, et quam frons non longiore; palporum partibus 2 ultimis rufo-piceis; parte tibiali lineari, vel extus non crassiore quam in basi; parte tarsali sensim acuminata, basi crassitie apicis partis tibialis; utraque parte his locis vix crassioribus quam basis metatarsorum pedum anticorum.

Mas clypeo æque longo atque efficit longitudo spatii, ab oculis omnibus 4 anticis occupati, et oculis intermediis anticis ab ore fere duplo longius quam a posticis remotis; mandibulis etiam ut in ♀ ad basin non evidenter elevato-convexis; palpis totis luteo-testaceis, vel colore pedum; parte patellari subtrigona, dimidiam longitudinem patellarum anticarum vix attingente, supra

apicem seta robusta, recta, seu aculeo graciliore instructa; parte tibiali cylindracea, longitudine $^3/_4$ patellarum pedum ejusdem ordinis, quam hæ fere crassiore?; lamina ordinaria pilosa breviter ovata, latere externo sinuata, quam mandibulæ vix latiore, basi in tuberculum adscendente; membro genitali in basi lateris externi lamella arcuata nigro-marginata, et in apice appendicibus nonnullis aliis instructo; tibiis anticis non evidenter crassioribus quam posticæ.

Femina E. erythrocephalæ (40) valde similis et ab hac ægerrime distinguenda. Thoracis superficies in hac etsi satis obsolete tamen sub oculo optime armato sat evidenter reticulata; in *E. silvestri* autem, ut mihi videtur, tota superficies, etiam in clypeo, omnino glabra est. Mandibulæ basin versus ne ad minimum fornicatæ, ita ut, ab antice comtemplatæ, cum convexitate sua non ultra latera clypei prominere videantur. Oculi intermedii antici, ut mihi videtur, ab ore parum longius quam ab intermediis posticis remoti. Palporum pars tibialis extus non latior quam in basi, linearis dicenda. Femora et reliqui articuli pedum ut in specie allata setis adpressis ordinariis distinctissimis, æque longis vel paullo longioribus (?) quam diameter tibiarum anticarum, et setis paullo robustioribus, vertibalibus, una in apice palporum partis patellaris et tibialis, una in apice patellarum pedum, unaque pone basin et ante apicem tibiarum vestita. Ab *E. rufipede* (33) distinguitur colore thoracis supra subtusque (etiam in siccatis) rufo-brunneo, vel testaceo, nec fusco-piceo, superficieque non reticulata, palpis totis non concoloribus, sed articulis 2 ultimis obscurioribus, rufo-piceis, mandibulis basi non elevato-convexis, neque evidenter crassioribus quam femora antica. Ab *E. robusta* (38) differt mandibulis non crassioribus quam femora antica, occipiteque non altiore quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt. Ab *E. graminicola* (32) differt mandibulis basi non alte convexis, cet. — Ab *E. chelifera* (36) mox distinguitur clypei altitudine differentia tantum exigua majore quam efficit spatium, ab oculis 4 intermediis longitrorsum occupa-

tum. Pedum longitudo ab eadem in *E. erythrocephala* vix differt; patellæ posticæ cum tibiis longit. conjunctim 2, anticæ $1^2/_3$ mm.; thorax long. $1^1/_2$ mm.; tibiæ anticæ 4:plo, posticæ 5:plo fere longiores quam patellæ. Quoad hanc mensuram pedum non difficile distingui potest ab aliis speciebus, subsimiliter constructis et coloratis. Forma genitalis in eo differt, quod hoc laminam vel scutum planum, æque latum atque efficit longitudo coxarum posticarum, totum rufum, repræsentet; ut mihi videtur est scutum anterius transverse rugulosum; a latere visum, margo ejus posticus in lucem porrectus est, similiter ac appendix sive vagina sexualis in *E. erythrocephala* se repræsentat.

Mas a ♂ *E. æqualis* (42) differt altitudine clypei, quæ evidenter duplo major est quam efficit spatium inter oculos intermedios anticos et posticos, tibiis anticis non evidenter crassioribus quam posticæ vel quam palporum pars tibialis. Tibiæ et metatarsi antici, erga lucem contemplata, præter pilos paucos verticales longiores, ut in *E. erythrocephala* pilis aliis brevioribus ejusmodi numerosioribus vestita, quos non apud *E. æqualem* detegere potui. Palpi ut in hoc ♂ structura eadem. Seta erecta, recta, supra apicem partis patellaris, ut mihi videtur, paullo robustior?, circiter duplo longior quam diameter articuli, multo crassior quam setæ in tibiis verticales, et fere similis illis aculeis, qui in pedibus *Linyphiarum* occurrunt. Seta talis robusta, solitaria, rarius in *Erigonis* adesse videtur, et ut nota magni momenti consideranda est.

Sub lapidibus et foliis deciduis ad Gothob. capta.

42. **E. æqualis** (Koch?): *Mas* thorace longit. $1^1/_3$ mm., omnino glabro nec reticulato, margine summo æquali, nec reflexo, cum mandibulis, palpis pedibusque luteo-rufescentibus; mandibulis quam femora antica non crassioribus, in latere antico rectis, nec basi evidenter convexo-elevatis, duplo longioribus quam clypeus, hoc non longiore quam efficit spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur, et oculis intermediis anticis a mar-

gine supra os perparum longius quam ab oculis intermediis posticis distantibus; palporum parte patellari subtrigona, dimidiam longitudinem patellarum anticarum vix attingente, supra apicem seta robusta, erecta; parte tibiali cylindracea, longit. $^{3}/_{4}$ patellarum, quam hæ vix crassiore, apice oblique truncata; lamina ordinaria pilosa ovata, latiore quam mandibulæ, in latere externo sinuata, basi in tuberculum minutum adscendente; membro genitali in basi, in latere externo, lamella arcuata, nigromarginata, et in apice appendicibus nonnullis aliis instructo; tibiis anticis evidenter crassioribus quam posticis, vel quam palporum pars tibialis.

Micryphantes æqualis Koch VIII, p. 101, T. 280, f. 669. (Figura et descriptio palporum art. genitalis hunc multo graciliorem delineant; bulbus, ab eo membro et lamina ordinaria compositus, in nostra araneola crassitie communi fere duplo ampliore quam femora antica).

Mas, fugaciter inspectus, *E. silvestri* (41) ut ovum ovo similis. Ab hoc ♂ præsertim facilius distinguitur clypeo non altiore quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis tantum tribus seriei anticæ occupatur, vel non insigniter altiore quam efficit spatium inter oculos intermedios anticos et posticos; tota altitudo facialis (h. e: ab ore ad locum, quo oculi interm. postici insistunt) itaque magis humilis dicenda, ita ut dimidio minor quam latitudo faciei vel clypei evadat. Tibiæ anticæ, quæ, ut in illa specie, 4:plo longiores quam patellæ sunt (an paullo longiores?), satis evidenter crassiores quam tibiæ posticæ, et evidenter crassiores quam palporum pars tibialis. Patellæ anticæ et tibiæ conjunctim tantum $1^{1}/_{3}$ mm. longitudine. Palporum pars tibialis, fugaciter inspecta, ut in ♂ allato cylindrica, potius autem apice oblique truncata, latere inferiore dimidio breviore quam latus superius, hoc longitudine $^{3}/_{4}$ patellarum anticarum. Thoracis dorsum pone medium non ut in aliquot speciebus foveola libera, sed ut in specie allata tantum ipsa basi pro receptione abdominis late et profunde excavata, vel hic fovea ampla insculptum. Seta in apice palporum partis patellaris et setæ graciliores seu pili in apice pedum patella-

rum et in tibiis omnino ut in illa specie. Seta in apice partis tibialis non (ut in figura, a Dom. *Koch* data) adest, an fortuito defracta? — Pedes etiam ut in illa evidentius adpresso-pilosi; setulæ breves, verticales, numerosiores, quæ in metatarsis nec non tibiis anticis cum pilis longioribus verticalibus, paucioribus in illa specie alternant, non in *E. æquali* detegi possunt, an ita in exemplis magis completis?; pili longiores in apice patellarum et in tibiis in utraque specie, similiter atque in pluribus aliis, in pedibus posterioribus robustiores sunt, potius setæ dicendi. Thorax ut in ♂ *E. silvestris* late ovatus, frontis latitudine vix dimidiam latitudinem mediam partis thoracicæ attingente.

Sub lapidibus et quisquiliis nemoralibus ad Gothoburg. capta.

43. **E. quisquiliarum**: *Mas* thorace supra subtusque subtiliter coriaceo: mandibulis tenuibus, basi non crassioribus quam femora antica, apicibus angustatis, superne profunde impressis vel quasi reclinatis, pedibusque rufobrunnescentibus, horum tibiarum basi pallido-diaphana; tibiis anticis crassioribus quam posticæ; femoribus anticis supra basin sat abrupte incrassatis; palporum parte femorali extrorsum sensim incrassata, parte patellari haud longiore quam tibialis, ambabus conjunctim patellarum anticarum longitudinem parum vel vix superantibus, parte patellari extus penicillo e setulis 5—6 rigidis ornata.

Femina mandibulis minus attenuatis, apiceque non evidenter impressis; palporum parte tibiali vix duplo longiore quam patellaris, vel non ultra duplo longiore quam crassiore, ut pars tarsalis subrobusta dicenda, hac sensim acuminata; parte cephalica per impressionem lateralem evidentius distincta, at occipite cum dorso insequente ut in ♂ æqualiter confluente; pectore et dorso thoracis, sub oculo bene armato inspectis, etiam subtiliter reticulatis. Genitale castaneo-rufescens, instar gibbi subcordati, basi transversaliter latioris quam efficit longitudo coxarum, se repræsentat.

Var. a. abdomen olivaceum, lateribus lituris 2—3, oblique ductis, fuscis, dorso vel unicolore vel litura fusca longitudinali signato.

Var. b. ut *a*, sed latera abdominis concoloria.

Var. c. abdomen fuscius, parum vel vix olivacescens.

WESTR. Enum. Ar. p. 44.

Mas. Palporum pars femoralis longit. $^2/_3$—$^3/_4$ femorum pedum anticorum, extus sensim sat incrassata, apice crassiore quam patellæ, et vix angustiore quam tibiæ eorundem pedum. Mandibulæ extus valde angustatæ, supra apicem profunde impressæ, apice quasi sursum reclinatæ. Hæ notæ una cum reticulatione thoracis et præsentia penicilli in palporum parte patellari eum ab aliis maribus generis *Erigones* facile distinguunt. Thorax longit. 1 $^1/_3$ mm., late ovatus, depressiusculus, triplo latior quam efficit altitudo media; pars cephalica vix altior quam dorsum partis thoracicæ, occipite subplano, nec convexitate altiore quam locus, quo oculi interm. postici insistunt; lateribus sensim nec abrupte declivis; margo thoracis æqualis, non replicatus; fovea ordinaria pone medium evidens, cum declivitate basali confluens. Oculi intermedii antici minuti apparent, ab ore evidenter longius quam ab intermediis posticis distantes, laterales majores, paullo inferius siti, quare series antica paulo deorsum arcuata evadit (?). Mandibulæ basi parum convexæ, vix ultra dimidio longiores quam altitudo facialis, et duplo longiores quam clypeus; propter apices solito angustiores mandibulæ satis hiantes evadunt; clypeus paullo altior quam efficit spatium, ab oculis tribus seriei anticæ occupatum. Pedes rufo-brunnei vel fusco-castanei, in mortuis parum rubedine tincti; femora sæpe infumata; toti pedes pilis parum distinctis vestiti; tibiis superne setis quibusdam verticalibus. Pili 5—6 in apice palporum partis patellaris fere longitudinem patellarum pedum anticorum attingunt. Clypeus, sub oculo optime armato inspectus, etiam subtilissime coriaceus, quare non ut in plerisque aliis politus et magis nitidus est dicendus. Clava palporum duplo

crassior quam femora antica, in siccatis calcari laterali instructa; una cum lamella ordinaria colore nigro-picea.

Femina oculis intermediis anticis ab ore et ab oculis interm. posticis æqualiter distantibus; mandibulis non supra apicem impressis, vix crassitiem femorum anticorum attingentibus, ut in plerisque aliis basi modice convexis, potius planis; palporum pars tibialis vix duplo longior quam latior, una cum basi partis tarsalis crassitiem basis metatarsorum pedum anticorum fere superat?. Thorax obsoletius coriaceus videtur, unde superficies magis nitida; pars cephalica per impressionem lateralem evidenter distincta, tamen similiter atque in ♂ non pone occiput impressa. Apex femorum, basis et apex tibiarum in vivis pallido-diaphana. Lituræ vel fasciæ laterales abdominis in *var. a.* ut in ♂ dentatæ vel undulatæ, quarum una ante et pone medium, unaque prope anum sitæ sunt, vix nisi certo lumine discernendæ; in plerisque exemplis senioribus abdominis color unicoloriter fuscus. Tibiæ anticæ vix triplo, saltem non 4:plo longiores quam patellæ, evidenter crassiores quam tibiæ posticæ. Thorax tener, præsertim feminæ, post mortem facile corrugandus; in hoc statu (an etiam in vivis?) clypeus antrorsum declivis, margine ultra basin mandibularum protensus, et his ad pectus inflexis; quod sæpe videbimus in pluribus aliis araneis, quæ corpus tenerum et molle habent.

Uterque sexus semper in quisquiliis et foliis deciduis in locis nemoralibus tota æstate, omnium frequentissima, versatur ad Gbg.

44. **E. gibba**: *Femina* thorace late ovato, versus margines subtusque ubique subtiliter coriaceo, pedibusque brunneo-rufescentibus; parte cephalica per impressionem vel foveam lateralem, angustato-oblongam, obliquam distincta; occipite cum dorso partis thoracicæ in directionem æqualem fornicatam concreto, summa convexitate evidenter altius elevata quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt, his una cum reliquis in eminentia communi distinctissima concentrice congregatis; abdomine globoso

fusco, subunicolore, vel præsertim in lateribus et postice punctis pallidis notato; fronte angusta, latitudine vix ultra $1/3$ latitudinis partis thoracicæ superante; mandibulis tenuibus, altitudine faciali non longioribus.

Mas: thoracis lateribus fere totis coriaceis; abdomine brunneo-rufescente, depresso, cute subtiliter coriacea, duriuscula, plerumque etiam in siccatis non recidua, scutum suborbiculatum assimilante; palporum parte patellari longitudine vix dimidium patellarum pedum anticorum attingente, superne arcuata; parte tibiali paullo breviore, angulosa vel sub apice paullo amplificata, una cum parte patellari simul vix longitudinem totius patellæ superantibus; lamina ordinaria elongato-ovata, longiore quam patellæ, sat evidenter latiore quam femora ejusdem ordinis.

WESTR. Enum. Ar. p. 44.

Mas et *Fem.*: pulice non multo majores. Thorax longit. $1/2$—$2/3$ mm., margine æquali, non elevato; ♀ dorso cum parte cephalica glabris, nitidioribus, margines versus pectoreque ubique subtiliter coriaceis; in ♂ thoracis latera fere tota coriacea sunt, restante parte cephalica glabra. Impressio in lateribus partis cephalicæ nec marginem neque summum dorsi attingit, tota æqualiter excavata, nec ut, ex. gr., in *E. gibbicolli* (15) superne in foveolam adhuc profundiorem finita. Thorax, a latere inspectus, alte fornicatus, juxta limitem inter partem cephalicam et thoracicam non inflexus, sed his partibus in arcum communem regularem confluentibus, non dissimiliter atque in *E. phæopode* (51). Oculi intermedii postici ut in hac specie sat longe infra summam elevationem occipitalem locati, evidenter ultra cutem elevati et una cum reliquis eminentiam communem tuberculiformem ræpresentantibus, hoc tuberculo circiter æque alto ac efficit $1/3$ longitudinis patellarum pedum anticorum. Thorax, a postice inspectus, fronte vix latiore quam $1/3$ medii partis thoracicæ; spatium faciale saltem æque altum ac latum. Clypeus longior quam frons, vel oculi intermedii antici ab ore vix non brevius distant quam efficit longitudo

oculorum seriei anticæ; hæc series satis evidenter deorsum arcuata, oculi 2 intermedii scilicet altius locati; hi minores, in vivis fusci, reliqui majores, vitrei. Mandibulæ tenues, saltem non crassiores quam femora antica, potius angustiores, breves, vix altitudinem totius faciei sed clypei tantum attingunt. Feminæ palporum pars patellaris supra apicem seta crassiore, et pars tibialis, quæ linearis et gracilis est, ut in plerisque speciebus, medium versus seta graciliore prædita. Illa pars in ♂ forma fere patellarum pedum anticorum, at dimidio brevior, et multo angustior; pars tibialis angulosa, pilis quibusdam sparsis vestita; toti palpi cum lamina ordinaria brunneo-rufescentia; lamina cum membro genitali bulbum majusculum formant; hoc evidenter crassiore quam femora antica, et longitudine articulo tarsali eorundem pedum vix cedente. Abdomen in ♀ nigro-fuscum, nitidius, plerumque punctis flavidis in lateribus et supra anum notatum; globosum, cute molliore, corruganda; abdomen in ♂ colore bruneo-rufescens, minus nitidum, subtiliter reticulatum vel coriaceum, etiam sub margine, qui subtus non convexus sed potius excavatus videtur, saltem in siccatis et plerumque in his subdiaphanus evadit; cutis dorsalis etiam in siccatis plerumque distenta et similiter atque in *E. phæopode* ut scutulum suborbiculare se ræpræsentat. Pedes proportione 4, 1 vel 1, 4, 2, 3; antici et postici quoad patellas una cum tibiis longitudine vix inter se discrepant; patellæ anticæ longit. $1/_3$ tibiarum; tibiæ basi non pallido-diaphanæ, anticæ non crassiores quam posticæ. Clypeus, sub oculo bene armato inspectus, etiam coriaceus, præsertim in ♂ evidentius.

Sub foliis deciduis et quisquiliis nemoralibus, tota æstate in Slottskogen prope Gothob. etiamque ad balnearia Särö Hallandiæ cribro lecta.

45. **E. parasitica**: *Femina* thorace longit. $2/_3$ mm., luteo-brunneo; pedibus testaceis; parte cephalica per impressionem lateralem evidenter distincta, regione pone occiput obsolete impressa, hoc arcuatim elevato, summa elevatione paullo altiore quam locus, quo oculi intermedii

postici insistunt, his parum eminentibus, ab anticis duplo longius quam inter se distantibus, ideoque inter se solito magis approximatis, quare etiam a lateralibus posticis evidenter remotiores quam inter se videntur; serie oculorum 4 posticorum valde procurva; area quatuor intermediorum, cum hi a latere inspiciuntur, vix in elevatione ulla communi distincta eminente, oculis intermediis anticis tamen paullo eminentibus; clypeo altiusculo, vel oculis intermediis anticis ab ore æque longe dissitis atque efficit longitudo spatii, a serie tota antica occupati, vel ab ore non brevius, potius paullo longius quam a posticis remotis; palporum parte patellari supra apicem seta robusta, verticali, non longiori quam diameter ipsius articuli intructa (an ad partem præfracta?); abdomine in vivis olivaceo, fusco-maculato; patellis pedum anticorum longitudine $1/3$ tibiarum, metatarsis evidenter longioribus quam tarsi; tibiis pone basin seta verticali, breviore quam diameter articuli, et pone medium setis quibusdam subtilioribus, una evidenter longiore quam eadem diameter (in apice patellarum seta non ulla; certe detrita); setis iisdem in pedibus posterioribus evidentioribus; pedibus de cetero obsoletius adpresso-pilosis.

WESTR. Enum. Ar. p. 45.

Ab *E. tessellata* (46) distinguitur clypeo paullo longiore quam spatium, quod ab oculis 4 intermediis longitrorsum occupatur; ille saltem non brevior est; metatarsi antici evidentius longiores quam tarsi, et oculi 2 intermedii postici a lateralibus posticis evidenter magis remoti quam inter se, serie oculorum 4 posticorum evidentius procurva, omnibusque oculis igitur non annulum ovalem regularem describentibus. Distantia inter oculos intermedios posticos angusta, vix diametrum oculorum attingens; oculi laterales postici, a latere inspecti, erga centrum areæ 4 intermediorum locati, proinde serie oculorum 4 posticorum evidenter procurva. Quoad colorem abdominis exemplis variantibus *E. quisquiliarum* (43) subsimilis. Ab hac distinguitur, præ-

ter colorem magis pallidum et magnitudinem minorem, oculis depressiusculis, ita ut 4 intermedii, a latere inspecti, non eminentiæ communi nisi quam humillimæ impositi esse videantur; occiput evidenter altius quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt; palpi multo brevius setosi, ita ut seta in apice partis patellaris vix longior quam diameter articuli videatur; hæc seta in *E. quisquiliarum* fere 3:plo longior est quam eadem diameter. Thorax longit. tantum $^{2}/_{3}$—$^{3}/_{4}$ mm., superficie obsolete reticulata, capite magis polito; spatio faciali summa altitudine fere æque magna atque efficit latitudo maxima; fronte æque lata ac $^{2}/_{3}$ medii partis thoracicæ. Mandibulæ luteo-brunneæ, subrobustæ, æque crassæ ac femora antica. Oculi concentrici, vel area ab iis occupata vix ultra $^{1}/_{3}$ latior quam longior; area ab oculis 4 mediis occupata ut in *E. tessellata* trapezium oblongum format, at hoc evidentius duplo longius quam latius, quod ex intervallo breviore inter oculos 2 intermedios posticos pendet. Abdomen in siccatis fuscum, in vivis plerumque griseo-olivaceum, linea media longitudinali fusco-cincta, posterius sensim dilatata, utrinque secundum formam fuscedinis sinuata vel dentata notatum; lateribus vittis obliquis fuscis 2—3 undulatis vel utrinque dentatis, cum intervallis griseo-olivaceis ejusdem formæ alternantibus; an pictura semper eadem?. Seta juxta basin tibiarum posticarum brevis, crassior, reliquæ molles, tenuissimæ, quarum una pone medium duplo longior quam diameter articuli; pedes, erga lucem inspecti, breviter et multo obsoletius adpresso-pilosi quam in *E. quisquiliarum* et pluribus aliis subsimilantibus. Tibiæ basi concolores, non pallido-diaphanæ, anticæ evidenter triplo longiores quam patellæ. Femora antica supra basin leviter nec abrupte incrassata. Pectus subtilissime coriaceum videtur.

Mense Majo in gramine prope formicetum in Slottskogen ad Gothob. capta.

Obs. Theridion lichenis WIDER Mus. Senck. p. 240, et *Th. marginellum* ib. p. 244 satis affines, at synonyma eorum valde sunt dubia, similiter ac *Th. terrestris* ib. p. 239, quæ species etiam affinis est, at

oculorum area in hac duplo latior quam longior. Cave ne hanc cum ulla specie *Linyphiarum* confundas.

46. **E. tesellata** (Koch?) *Femina* thorace, long. $^2/_3$ mm., pedibusque brunneo-testaceis, parte cephalica per impressionem lateralem satis evidenter distincta; toto dorso absque ulla impressione pone occiput ad oculos intermedios posticos in arcum regularem procurrente, summa elevatione capitis parum altiore quam locus, quo oculi interm. postici insistunt, his perparum eminentibus, ab anticis fere duplo longius quam inter se distantibus, tamen, propter eorum intervallum majus, ad laterales posticos æqualiter atque inter se approximatis; oculis duobus lateralibus conjunctim erga centrum areæ, ab oculis 4 intermediis occupatæ, sitis, posticis in seriem leviter antrorsum flexam dispositis, 4 intermediis, a latere inspectis, haud in elevatione communi sitis; clypeo non altiore quam efficit spatium, ab oculis 3 seriei anticæ occupatum, vel paullo humiliore quam efficit spatium, ab oculis intermediis anticis et posticis occupatum; abdomine olivaceo-griseo, dorso aut vitta continua media fusca, a linea tenui pallido-olivacea percurrente bipartita, aut vitta in seriem duplam macularum dissoluta, lateribusque fasciis 3—4 obliquis ejusdem coloris notatis; patellis anticis longioribus quam $^1/_3$ tibiarum, metatarsisque non longioribus quam tarsi; pedibus, erga lucem contemplatis, evidentius pilosis, tibiis anticis pilis nonnullis verticalibus, quarum unus, similiter atque in medio metatarsorum, subtilissimus, ultra duplo longior quam diameter articulorum.

Micryphantes tessellatus Koch III, p. 86, T. 101, f. 234 (?) (233 erratum typographicum est).

Femina: nonnihil minor quam *E. parasitica,* cui valde similis est. Thorax long. $^2/_3$ mm. tantum. Ab illa differt clypeo paullo humiliore quam efficit longitudo spatii, quod ab oculis 4 intermediis occupatur, vel illo evidenter breviore quam series oculorum 4 anticorum, immo vix spatium

id attingente, quod a tribus horum oculorum occupatur (?); oculi seriei posticæ intervallis magis æqualibus inter se dispositis, ita ut medii haud longius a lateralibus quam inter se distent, omnes 4 ut in illa specie deplanati, sive parum ultra cutem eminentes, laterales, a postice et in directione obliqua inspecti, haud ut in permultis aliis tuberculum commune repræsentare videntur, antici tamen propter suam convexitatem paullo eminent, omnino ut in *E. parasitica.* Oculi 2 laterales conjunctim exacte erga centrum areæ quatuor intermediorum siti, quare oculi omnes 8, a latere vel, si mavis, ab antice insimulque perpendiculariter inspecti, in annulum ovalem dispositi esse videntur; hic annulus vix ultra dimidio latior quam longior est. Pedes paullo robustiores et breviores; tibiæ anticæ $2 \frac{1}{2}$, posticæ 3:plo longiores quam patellæ videntur; anticæ in *E. parasitica* 3:plo, posticæ evidenter 4:plo longiores quam patellæ. Palporum partes duæ ultimæ ut in illa mediocriter crassæ, vel pars ultima, quæ etiam ut in illa sensim attenuata est, sua basi haud ut in quibusdam aliis speciebus crassior quam basis metatarsorum pedum anticorum, potius angustior; articulus metatarsalis pedum anticorum vix longior quam art. tarsalis, saltem in exemplis siccatis (articulis geniculatis). Abdomen, erga lucem contemplatum, setulis ut in eadem specie evidenter ultra cutem eminentibus vestitum. Abdominis vittæ laterales 3—4, obliquæ, fuscæ, haud ut in illa marginibus undulatis vel dentatis, sed æqualibus. Pictura abdominis ut nota minoris momenti est consideranda, nam forsitan exempla occurrunt, quæ, similiter atque in *E. quisquiliarum,* pictura omnino carent; nonne partes internæ in statu fecundationis et post expansionem cutis translucentis picturam formant?, abdomen scilicet in specimine uno lustrato valde diaphanum, in altero fuscius erat, et tunc lineæ pallidiores inter picturas fuscas ægre discernendæ erant.

Mense Majo sub lapide, et Julio sub foliis deciduis ad Gbg. capta.

Obs. Propter descriptionem insufficientem, a Dom. *Koch* datam, non certo est dijudicandum, an hæc species vel *E. parasitica* ad *Mi-*

chryph. tessellatum, l. c. descriptum, referenda sit nec ne. Quoad aculeos tibiarum potius cum *Linyphia convexa* (p. 137) competit. *Theridion lichenis Wider*, p. 240, et *Th. marginellum*, p. 244, etiam araneolæ descriptæ subsimiles sunt. Similiter ac *E. parasitica* facile dignoscitur a *L. convexa* pedibus posticis longioribus quam antici (confer tibias), defectu aculeorum femorum et tibiarum, cet. A *L. convexa* præterea mox distinguitur tibiis anticis parum ultra duplo longioribus quam patellæ, tibiarumque setis verticalibus pili- nec aculeiformibus.

** Thorax aut fuscus vel lurido-infuscatus, aut pure niger, non colore castaneo, luteo rufescente sive testaceo tinctus.

47. **E. compar:** *Mas* thorace, supra subtiliter coriaceo, simulque sat nitido, pectore glabro polito, abdomine, mandibulis palporumque clava nigro-piceis, horum parte femorali pedibusque castaneo-rufescentibus, limite laterali inter partem thoracicam et cephalicam leviter lateque impresso, occipite autem cum dorso partis thoracicæ regulariter confluente; patellis in apice seta singula, tibiisque inter basin et apicem pilis nonnullis verticalibus minus conspicuis vestitis, seta in patellis et pilo infra basin tibiarum non diametrum articulorum superantibus; tibiis basi vix nisi concoloribus (thoracis dorso serie longitudinali e setis sive pilis 4—5 erectis antrorsum flexis ornato).

Cavendum est ne hanc cum *Linyphiis* nonnullis minoribus confundas, ex. gr. *L. convexa* (pag. 137). Palporum pars femoralis non rufo-lutescens, sine dubio in vivis saturate castanea, in specimine lustrato, siccato, rufo-picea; clava, e lamina ordinaria et membro genitali composita, amplitudine duplo major quam femora antica, saturatius fusco-nigricans. Clypeus etiam coriaceus sive impresso-reticulatus, paullo (an dimidio?) altior quam efficit longitudo spatii inter oculos intermedios anticos et posticos. Mandibulæ longitudine clypeum paullo, sed non spatium faciale superare videntur, paullo angustiores quam femora antica. Pedum color saturate castaneus nec luteo-testaceus. Loco setarum robustarum, quæ præsertim in posticorum pedum patellis et tibiis in *L. convexa* adsunt, illæ in *E. compari* non

nisi e pilis constant, diametrum articulorum haud superantibus; in tibiis apicem versus tamen adest pilus subtilissimus, qui diametrum articuli superat, præsertim in tibiis posticis. In femoribus anticis, apicem versus, haud ulla seta sive aculeus adest. Tibiæ posticæ ut in specie allata vix ultra 4:plo, anticæ parum ultra 3:plo longiores quam patellæ. Color thoracis et mandibularum purius niger. Palporum pars femoralis ut in nonnullis aliis longitudine $^1/_2$ femorum anticorum, et pars patellaris vix $^1/_2$ patellarum pedum attingunt; pars tibialis paullo longior quam hæc, apice truncata, superne in lobum uncatum producta.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

48. **E. rurestris** (KOCH): *Mas* thorace long. $^3/_4$ mm., nigro-lutescente, in siccatis nigro, supra subtusque glabro, forma vulgari, dorso in arcum parum convexum æqualiter ad oculos intermedios posticos procurrente, occipite mox pone hos oculos non altiore quam locus, quo hi insistunt; palporum parte femorali et patellari sæpe ad partem infumatis, pedibusque luteo-testaceis; palporum parte tibiali et partibus ultimis nigris, parte patellari minuta, globosa, supra apicem seta porrecta, parte tibiali semiglobosa vel depresso-campanulata, ambabus conjunctim longitudinem patellarum pedum anticorum parum vel vix superantibus; clava, e lamina ordinaria et membro genitali composita, duplo crassiore quam femora antica; clypeo vix tam longo ac frons, vel non longiore quam efficit longitudo spatii, ab oculis tribus seriei anticæ occupati, potius brevior dicendo (?); altitudine faciali multo breviore quam efficit latitudo clypei; pedibus gracilibus, breviter vel parum evidenter pilosis, apice patellarum, tibiisque versus basin et apicem seta verticali, at metatarsis superne non ullibi neque seta neque pilo ullo erecto distincto vestitis; setis saltem in pedibus posticis quam diameter tibiarum duplo longioribus; tibiis anticis 4:plo longioribus quam patellæ.

Femina colore simili maris; palporum parte tarsali sensim acuminata, cum patellari nigricantibus, hac vix

ultra duplo longiore quam latiore, et similiter atque hæc supra apicem seta duplo longiore quam diameter partium vestita; clypeo adhuc evidentius breviore quam frons et quam id spatium, quod ab oculis 3 seriei anticæ occupatur; saltem in siccatis infra oculis impresso.

Micryphantes rurestris KOCH III, p. 84, T. 101, f. 231—32.

Mas. Cavendum est ne hunc cum *Linyphiis* ullis, ex. gr. *L. pygmæa* ♂ (pag. 126) et *parvula* (p. 135) confundas. Omnes tres quoad colorem inter se simillimæ sunt, sed differunt constanter armatura pedum dissimili, et aliis notis propriis. Thorax longit. vix 1 mm., sub oculo armato obsolete coriaceus, nitidus, in vivis luteo-nigricans sive luridus, in siccatis plerumque nigricans; pectus glabrum, non coriaceum; altitudo clypei et spatium longitudinale, quod ab oculis 4 intermediis occupatur, inter se fere æqualia, nisi clypeum paullo humiliorum esse dicere velles. Mandibulæ clypeo non ultra duplo longiores (præsertim in ♀). Oculi intermedii antici parum longius ab intermediis posticis distant quam hi inter se; hi, a latere inspecti, vix humilius quam summum occipitis eminent, inter se non brevius quam a lateralibus separati, et una cum his in lineam levissime procurvam dispositi; clypeus infra oculos intermedios anticos impressus; hi oculi inter se parum magis approximati quam interm. postici, quare area, ab omnibus 4 occupata, perparum a forma rectangulata recedere mihi videtur. Palporum pars patellaris apice seta tenui erecta, et pars tibialis, quæ longior et extus paullo latior, quasi oblique truncata est, setis nonnullis brevibus, longitudine subæqualibus vestitæ; clava, e lamina ordinaria et membro genitali composita, globosa, duplo crassior quam femora antica. Abdomen, a latere inspectum, pilis evidenter ultra cutem eminentibus vestitum, horum non ullis neque basi neque alibi longioribus, sed inter se aqualiter longis, quam pedum patellæ distincte brevioribus. Pedes luteo-testacei vel brunneo-pallescentes, non rubedine tincti, antici et postici longitudine subæquales; patellæ anticæ $1/4$ tibiarum vix superant; femora superne

aculeo haud ullo armata; apex patellarum et tibiæ versus basin et apicem seta singula verticali, subrobusta; de cetero hi articuli cum metatarsis nullis setulis brevioribus verticalibus evidenter vestiti; metatarsi præterea superne non ullibi neque seta neque pilo quodam verticali distinctiore præditi; femora ut in pluribus aliis sub apice et basi setis sive pilis nonnullis longioribus, et præterea nonnullis brevibus; seta una sub apice æque longa ac diameter femorum; basis tibiarum non nisi obsolete pallido-diaphana. Patellæ anticæ cum tibiis conjunctim longitudine vix ultra 1 mm.

Femina. Impressio normalis juxta partem cephalicam evidentior. Mandibulæ ut in ♂ luridæ vel luteo-nigricantes, basi non crassiores quam femora antica, in siccatis nigræ. Clypeus parum altior quam efficit spatium, quod ab oculis tantum duobus seriei anticæ occupatur (?). Propter clypeum humiliorem latitudo frontalis duplo major quam altitudo videtur. Fovea normalis pone medium thoracis dorsi non ut in pluribus aliis libera, sed in ipsa declivitate basali sita, lata, vadosa, in declivitate evanescens, sive cum hac confluens. Frons latitudine $^{1}/_{2}$ medii partis thoracicæ. Propter palporum colorem luridum vel in mortuis nigrum, clypei humilitatem, thoracis formam, oculorum dispositionem, ut et tibiarum anticarum longitudinem 4:plo majorem quam patellæ non difficile ab aliis feminis *Erigonarum*, ei subsimilibus, distingui potest.

Mense Aprili et Octobri sub muscis montium et sub lapidibus ad Gothob. capta.

49. **E. penicillata**: *Mas* thorace, longit. $^{2}/_{3}$—$^{3}/_{4}$ mm., fusco-nigricante, supra subtusque glabro, nitidissimo, dorso pone occiput levissime vel vix impresso, capite haud evidenter ultra planum partis thoracicæ elevato, parte cephalica per impressiones laterales evidenter distincta (an etiam in vivis?); oculis dispositione vulgari; pedibus palpisque luteo- vel rufo-brunneis, horum partibus ultimis fuscis, parte et patellari et tibiali brevioribus quam patellæ pe-

dum anticorum, hac extus dilatata, quam illa duplo crassiore, superne setulis pluribus, brevibus, rigidiusculis, penicillum constituentibus vestita; tibiis posticis evidenter longioribus quam anticæ, his non ultra triplo longioribus quam patellæ.

WESTR. Enum. Ar. p. 60.

Magnitudine *E. Sundevallii* (50), vel thorace longitudine circiter $^2/_3$ mm. — Palporum lamina ordinaria et membrum genitale, simul sumta, bulbum, quam femora antica duplo crassiorem formant; in apice bulbi calcar præsertim unum distinctum observatur; hoc tortuosum nec ut in quibusdam spiraliter flexum; pars tibialis, similiter atque in *E. quisquiliarum* (43) et nonnullis *Linyphiis*, penicillo instructa, hujus setulis crassiusculis, fere brevioribus quam diameter ipsius articuli, quo insistunt. In præsentia penicilli mas descriptus ab omnibus aliis maribus hujus generis, hactenus mihi cognitis, facile distinguitur. Pedes postici, ut in reliquis speciebus, longiores quam antici, quod in ipsis tibiis, inter se sub lente comparatis, facile videbis; tibiæ posticæ evidenter 4:plo, anticæ 3:plo longiores quam patellæ. Thoracis basis pro receptione abdominis late retusa vel declivis; fovea normalis cum ea confluens, lata. Thoracis forma et dispositio oculorum omnino ut in ♂ *E. rurestris* (48); pedes robustiores quam in hoc; h. e: breviores, ita ut metatarsi antici vix longiores quam tarsi et simul non triplo longiores quam patellæ videantur. Seta in apice patellarum (saltem posticarum) minus crassa; supra tibias pili nonnulli verticales adsunt; versus medium metatarsorum observatur pilus verticalis, ultra duplo longior quam diameter articulorum.

Ad Upsaliam a *Thorell* inventa.

50. **E. Sundevallii**: *Femina* thorace, longit. vix $^2/_3$ mm., abdomineque fuscis, illo in siccatis fusco-nigricante, pedibus pallide rufo-brunneis, anteriorum tibiis tarsisque rufo-piceis, tibiis metatarsisque anterioribus utrinque

serie aculeorum 4—5, his patentibus, longiusculis, per paria dispositis, thoraceque in dorso serie e setis 3 longiusculis erectis ornatis; tarsis anticis parum vel vix longioribus quam dimidia pars metatarsorum.

Mas aculeis in pedibus anterioribus gracilioribus, setæformibus (an semper?); palporum parte patellari minuta, globosa, multo breviore quam patellæ pedum anticorum, parte tibiali quam ea duplo longiore et triplo crassiore, depresso-campanulata; parte genitali una cum lamina ordinaria conjunctim bulbum dimidio crassiorem quam femora antica vel quam mandibulæ constituentibus; lamina breviter ovata, parum longiore quam latiore; metatarsis anticis ut in femina fere duplo longioribus quam tarsi.

Westr. Enum. Ar. p. 44.

Femina valde insignis propter armaturam pedum anteriorum. Thorax in vivis rufo-brunneus, capite fusciore; ille in siccatis piceo-nigricans, longit. vix 1 mm., structura vulgari; basi abrupte declivi; pars cephalica satis distincta; superficies tota omnino glabra, nitida; dorsum, erga lucem contemplatum, seriem e setis 3, antrorsum nutantibus repræsentat; his setis æque longis atque aculei in tibiis anterioribus; interdum derasis. Oculi laterales antici majusculi, una cum posticis tuberculum distincte elevatum referentes; intermedii antici a lateralibus longius remoti quam inter se. Abdomen vel olivaceo-fuscum vel rufo-piceum, erga lucem contemplatum pilis longiusculis vestitum, ut in *E. pingui* (39), cui quoad robustitatem pedum palporumque etiam similis est; pedes scilicet extus minus attenuati quam in perpluribus aliis, quare articuli duo ultimi palporum, etsi solito robustiores, non crassitiem metatarsorum apicis excedunt; pars tarsalis palporum sensim acuminata, longitudinem tarsorum anticorum vix attingit; eadem pars et pars tibialis fusciores, utraque crassior quam pars femoralis. Aculei intermedii in tibiis anterioribus longiores quam primus et ultimi; in metatarsi aculei deinceps breviores sunt; præter aculeos laterales setæ vel pili aliquot erecti supra tibias ad-

sunt, et in femoribus anticis, in latere antico, aculei nonnulli observantur, quorum unus longior; quod omne ut nota non parvi momenti observandum est; pedes de cetero evidenter et rude setosi; pedes posteriores, ut anteriores, in apice patellarum et pone basin tibiarum seta robusta verticali, et præterea in his exteriús, similiter ac supra apicem metatarsorum, pilis quibusdam vel potius singulo erecto, subtiliore, 3:plo longiore diametro tibiarum, vestiti; patellæ anticæ fere longiores quam $^{1}/_{3}$ tibiarum; articulus tarsalis dimidiam longitudinem art. metatarsalis vix vel parum superat, itaque solito brevior dicendus est. Abdomen in junioribus magis pallidum.

Mas præter gracilitatem aculeorum in tibiis anticis et structuram palporum non a ♀ differt. In specimine uno lustrato aculei vel setæ erectæ in dorso thoracis, longitrorsum seriatæ, haud præsentes, forsan detritæ.

Sub foliis deciduis et in quisquiliis in silvis ad Gothob. et ad prædium Särö Hallandiæ uterque sexus frequenter inventus.

51. **E. phæopus** (Koch): Thorace, dorso toto ad clypeum fornicato, parte cephalica per impressiones laterales non evidenter distincta, illo late ovato, ubique subtilissime reticulato, abdomineque impresso-punctato nigris, hujus cute dorsali duracina, post mortem non recidua, sed in statu convexo permanente; pedibus rufo-brunneis, breviusculis, patellis anticis longitudine paullo ultra $^{1}/_{3}$ tibiarum, tarsisque metatarsorum fere longitudinem attingentibus; femoribus anticis linearibus vel superne non incrassatis, quam tibiæ ejusdem ordinis vix crassioribus.

Micryphantes phæopus Koch XII, p. 151, T. 431, f. 1071—72. — *Theridion id.* Walck. Apt. IV, p. 495.

Mas et *Femina* quoad structuram thoracis similes; hujus forma satis vulgaris; capite nec foveola ulla laterali, nec fronte retusa, neque elevatione insolita prædito, at pars cephalica solito altior dicenda. Ab *E. brevipede* (52) præcipue distinguitur hujus thoracis superficie supra margines

tantum obsolete coriacea vel rugulosa, dorso et tota parte cephalica glabra, polita. Thorax longit. $^3/_4$ mm., solito latior, vel latitudine media fere ultra $^3/_4$ totius longitudinis; dorsum alte convexum, antice ad latera abrupte, basin versus sensim declive; pars cephalica superne tam fornicata, ut regio occipitalis nonnihil altior evadat quam locus, cui oculi intermedii postici impositi sunt; hi oculi uti intermedii antici satis distincte eminent, præsertim sunt antici, a latere contemplati, evidenter ultra cutem elevati; oculi duo laterales tuberculum commune satis distinctum referunt; distantia inter oculos intermedios anticos et posticos haud brevior quam efficit altitudo clypei, in ♂ paullo brevior; pars cephalica in lateribus cum parte thoracica absque ulla impressione evidentiore interjacente confluens; tamen ad latera occipitis impressio vadosa brevior observatur; reticulatio, quam superficies sub lente acuta repræsentat, concinna et fere ut in *E. longimana* (5) et *scabristerni* (6) scutula rotunda, et in lateribus et in dorso sparsa, assimilat; pectus omnino glabrum videtur, magis nitidum quam dorsum. Mandibulæ piceæ basi crassiores quam femora antica, fere breviores quam facies? — Abdomen late ovatum, cute dorsali duracina, post mortem incorrugata permanente, scutum suborbiculatum convexum formante; satis rude et crebre impresso-punctata, quoque puncto pilifero, pilis autem in exemplis lustratis non visibiliter ultra cutem, nisi ad latera, eminentibus. In exemplis in spir. vini asservatis scutum allatum quoad limites ejus melius observandum, in 4:ta parte dorsi juxta anum desinens. Pedes rufo-brunnei, breviusculi, antici longit. vix ultra 2 mm., patellæ et tibiæ conjunctim $^2/_3$ mm.; patellæ anticæ longiores quam $^1/_3$, et paullo breviores quam $^1/_2$ tibiarum; tarsi longit. metatarsis vix vel parum cedunt. Femora antica levissime nec abrupte mox supra basin incrassata, maxima parte superne recta, nullo loco evidenter crassiora quam tibiæ anticæ. Patellæ superne paullo arcuatæ, hic altius elevatæ quam latus superius tibiarum. Palpi rufo-brunnei, maris parte patellari longit. circiter $^1/_2$ patellarum pedum anticorum, globosa; parte tibiali æque

longa, extus angulatim vel lobatim dilatata; clava tota brunneo-fusca, crassiuscula, vel quam femora antica plus duplo amplior; pars patellaris et tibialis nullo indumento insigniore vestitæ. Tibiæ medium versus et metatarsi pone basin saltem pilo singulo verticali, subtilissimo, qui longitudine diametri articuli duplo major est; tibiæ basi concolores, non pallido-diaphanæ; posticæ evidenter longiores quam anticæ, evidenter 3:plo longiores quam patellæ. Thorax, a latere inspectus, antice vel quoad altitudinem maximam partis cephalicæ non insigniter humilior quam efficit longitudo tibiarum anticarum.

Mense Aprili sub lapidibus in collibus nemorum, et sub foliis deciduis et quisquiliis capta ad Gothob. In Upl. *Thorell.*

52. **E. brevipes.** *Femina* thorace parte cephalica per impressiones laterales evidenter distincta, superficie, præter margines laterales, omnino glabra, nitida, abdomineque globoso, creberrime impresso-punctato, nigris, clypeo sæpe cum mandibulis rufo-piceis; abdominis cute dorsali post mortem jam recidua, tamen incorruganda, jam distenta permanente, puncta impressa evidenter repræsentante; pedibus rufo-brunneis; patellis anticis longioribus quam $^1/_3$, at paullo brevioribus quam $^1/_2$ tibiarum; tarsis anticis longitudinem metatarsorum æquantibus; dorso thoracis pone occiput non impresso, toto usque ad oculos intermedios anticos æqualiter fornicato.

WESTR. Enum. Ar. p. 43.

Femina simillima *E. phæopodi* (51), ita ut ab hac difficile distingui possit, nisi superficiem thoracis maxima parte glabram magisque nitidam, impressionem lateralem inter partem cephalicam et thoracicam magis profundam, usque ad marginem supra insertionem palporum decurrentem, ut et altitudinem partis cephalicæ minorem respicias; hæc altitudo non $^2/_3$ tibiarum anticarum superat. Thorax longit. $^3/_4$ mm., nonne in summo margine rugulosus? at præterea videtur tota reliqua superficies omnino glabra, polita, etiam

sub oculo quam optime armato. Pectus etiam glabrum videtur, nitidum. Dorsum thoracis ab loco pone medium usque ad locum, quo oculi intermedii antici insistunt, in arcum regularem procurrens, omnino ut in *E. phæopode*, et clypeus rectus dein perpendiculariter descendens. Oculi 4 intermedii, parum visibiles, a latere inspecti depressi, saltem non evidenter eminent; oculi duo laterales autem tuberculum commune, paullo elevatum formant. Mandibulæ in exemplis lustratis ad pectus paullo inflexæ, crassitiem femorum anticorum attingentes, vix longiores quam altitudo facialis. Abdomen in vivis globosum, foveolis 4 normalibus dorsalibus, in trapezium dispositis, evidentibus; in exemplis siccatis, quorum cutis dorsalis distenta remanet, hæc puncta crebra impressa ut in vivis evidenter repræsentat. Venter ut in *E. phæopode* semper post mortem recidit, et abdomen tunc, in statu expansionis, et a latere visum, scutulum convexum assimilat. Tibiæ et metatarsi ut in *E. phæopode* superne pilis normalibus verticalibus vix pluribus quam singulo instructa, hoc pilo, versus medium tibiarum et pone basin metatarsorum sito, duplo longiore quam diameter articulorum. A femina *E. parallelæ* differt thoracis defectu serierum e punctis impressis. Ab aliis speciebus subsimilantibus differt, similiter atque *E. phæopus*: pedibus breviusculis, femoribus gracilibus, sublinearibus, vel superne ut et subtus non evidenter longitrorsum convexis: patellis, quarum anticæ paullo longiores quam $^1/_3$, at breviores quam $^1/_2$ tibiarum sunt, supra apicem nulla seta verticali, neque brevi neque longa: tibiis cum tarsis pilis erectis vix pluribus quam 1 distincto, tenuissimo vestitis: ut et brevitate metatarsorum anticorum, cum articulo tarsali comparatorum, thoraceque omnino glabro, cet. Impressio lateralis inter partem cephalicam et thoracicam usque ad ipsum marginem decurrit; quare locus mox supra hunc etiam inpressus, nec ut in *E. phæopode* convexus evadit, apud quam impressio magis in medio laterum remanet, et non ad marginem decurrit. Patellæ anticæ ut in *E. phæopode* satis arcuatæ.

Ad Prædium Särö Hallandiæ, sub fucis, e mare rejectis, mense Julio, et ad fluvium juxta Gbg., mense Majo sub lapidibus capta.

VIII. PHOLCUS WALCK.

Thorax orbicularis, parte cephalica distincta, parva. Oculi intermedii postici inter se valde distantes, arcte ad oculos duos laterales locati. Mandibulæ breves, tenues. Maxillæ apice attenuatæ, circa apicem labii convergentes. Abdomen in specie cognita teretiusculum, subcylindricum, ano cum mamillis subconice descendentibus. Pedes gracillimi, longissimi, proportione 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longit. circiter $^1/_{12}$ tibiarum. Statura corporis, fugaciter inspecta, fere *Opilionis*.

1. **Ph. opilionoides** (SCHRANCK).

Ar. opilionoides SCHR. Enum. ins. Austr. d. 580, N:o 1103. — *Pholcus phalangoides* WALCK. Tab. d. Ar. p. 80, pl. 8, f. 79 et 80. — *Ar. phalangoides* WALCK. Faune par. II, p. 213, N:o 53. — LATR. gen. Cr. et Ins. I. p. 99. — HAHN die Ar. II, p. 34, T. 50, f, 119. — *Ph. opilionoides* KOCH ib. IV. p. 95, T. 135, f. 311. — *Ph. phalangoides* WALCK. Apt. I, p. 652, 1, pl. 8, f. F 2 D et F 3 D.

Femina: thorax longit. 2, pedes antici 40—45, femora antica 10—11, patellæ cum tibiis conjunctim 12, patellæ per se tantum 1, metatarsi una cum tarsis circiter 20—22 mm. Thorax orbicularis, pallidus, in vivis macula centrali fusca, hac aut simplex aut in duas partes divisa; pars cephalica elevata; clypeo infra oculos impresso. Oculi intermedii antici minores, inter se approximati; laterales maximi, omnes 4 in lineam paullo recurvatam dispositi; intermedii postici inter se insigniter distant, cum duobus lateralibus arcte congregati et una cum his tuberculo communi impositi. Palpi breves, parte tibiali et tarsali pilosis, illa crassiore, hac graciliore, sensim acuminata. Mandibulæ tenues, quam dimidia altitudo faciei parum longiores, pallidæ vel pallido-lutescentes. Maxillæ attenuatæ, labio duplo longiores. Abdo-

men longit. 5—6 mm., subcylindricum, posterius sensim at perparum incrassatum, apice obtuso, ano una cum mamillis paullo deorsum productis; a latere visum ambitum fere cultri hortulanorum repræsentat; mollissimum, griseum vel plumbeum, certo lumine maculis quibusdam lateralibus fuscioribus pictum; scutula pulmonalia cereo-albida, nitida, magna; genitale subinflatum. Pedes tenuissimi, femoribus linearibus, attamen ad basin paullo incrassatis; proportione 1, 2, 4, 3; primi thorace 20:plo, toto corpore 6:plo longiores, omnes pallidi, tenue pilosi, aculeis carentes; pili patentes præsertim in tibiis et metatarsis anterioribus longiores quam efficit dupla longitudo diametri tibiarum; femora et tibiæ apicibus annulo albido-diaphano cinctis, vicinitate ante hunc annulum et patellis infuscatis; tibiæ anticæ longit. circiter 12:plo longiores quam patellæ, tarsi $^1/_5$—$^1/_6$ metatarsorum; patellæ et tibiæ posticæ, simul sumtæ, 9—10 mm., antici ordinis 12—13 mm.

Mas. Palporum pars femoralis (in specimine lustrato, corrugato) ovata, medio inflata vel angulosa, vix vel perparum longior quam patellæ pedum; pars patellaris dimidio brevior, pars tibialis ambabus, simul sumtis, parum brevior, valde inflata, ovata vel subpyriformis; membrum genitale globosum, calcari seu lamina vomeriformi, extus sita, nigra instructum. Abdomen brevius quam in ♀. Pedes longiores, femoribus anticis longit. 13—14 mm., totis pedibus ejusdem ordinis usque 47 mm.

Rete e filis paucis, in angulo quodam domuum affixis, contextum, in quo aranea subversa pendet. Animalculum, etsi pedibus longissimis instructum, sat velociter in prædam, in rete incidentem, irruit et illam filis, motu citiore pedum posticorum ex mamillis productis, irretit.

Uno alterove anno in angulis portarum in domo, quam vocant *Ost-Indiska huset*, ut et in *Curia Portorii* Gothoburgi a me lectus. Pulluli abdomine magis globoso. An re vera ad Faunam Sveciæ pertinens?

FAM. III. DRASSIDAE SUND. (*Tubitelae* LATR).

I. SEGESTRIA WALCK.

Thorax semicylindricus, fere duplo longior quam latior, antice vix, nisi in ♂, angustior quam in medio, fovea ordinaria, pone dorsum sita, vadosa, parva, rotunda; parte cephalica haud distincta. Oculi 6 tantum; duo medii seriei posticæ desunt; majusculi, convexi; duo intermedii inter se brevius quam ab oculis lateralibus anticis distantes, altius quam hi ab ore locati; ambo oculi laterales etiam inter se contingentes. Mandibulæ paullo antrorsum directæ, in femina supra evidentius quam in mare convexæ. Maxillæ basi angustatæ, extus dilatatæ. Labium lineare, apice truncatum, longitudine patellas anticas attingens. Abdomen oblongo-cylindricum; pictura præsertim in *S. senoculata* e pigmento, sub epidermide translucente, nec ut in congeneribus e pube, cutem dense obtegente, pendet. Mamillæ breves. Pedes proportione 1, 2, 4, 3, primi et secundi subæqualiter longi; aculeis et pilis tenuibus longiusculis instructi; tarsi antici ut in *Drasso* scopulati.

Rete e tubo sericeo constat, in quo aranea, pedibus 6 anterioribus antrorsum directis sedens, prædam exspectat.

1. **S. Bavarica** (KOCH): thorace longit. 4½ mm., mandibulisque fusco-brunneis seu piceis, illo pube griseo-albida, adpressa, distinctiore vestito; abdomine fusco serie dorsali macularum, harum antica antrorsum acuminata, insequentibus 4—5 ovatis seu rotundis, nigro-fuscis, utrinque pube griseo-albida cinctis et longitrorsum linea ejusdem coloris persectis; pedibus rufo-brunneis, eviden-

tius fusco-maculatis; tibiis posticis annulo 1 pone basin et medium, unoque apicali; anteriorum pedum tibiis tarsisque saturatius fusco-brunneis; patellis et tibiis anticis in ♂ conjunctim 6 $1/2$—7, in ♀ 5 $1/2$—6 mm.; metatarsis anterioribus scopulis seu pube densiore, in ♂ minus densa, at paullo longiore magisque patenti, in ♀ magis adpressa vestitis, subtus utrinque non nisi aculeo singulo, inter basin et medium vel in quarta parte sito, nec ullo inferiore.

KOCH X, p. 93, T. 351, f. 818.

S. senoculatæ quoad structuram partium omnino similis. Ab ea facile distinguitur paucitate aculeorum in metatarsis 6 anterioribus ut et indumento albido, quod vittam macularem abdominis circumdat. Thorax in ♂ crebrius, in ♀ obsoletius griseo-albido-pubescens, pube, præsertim in illo, cutem maxima parte præumbrante. Palpi in ♂ ut in *S. senoculata* bulbo genitali pyriformi, apice crassiore mox sub basi laminæ ordinariæ radicato, apice tenuiore cuspidatim producto; lamina ordinaria maxima parte valde angustata, nullibi, nisi in basi, vix tarsis crassior. Abdomen in ♂ tam dense griseo-albido-pubescens, ita ut cutis minus evidenter observari possit; pubescentia in illo ut et in ♀ (specimine detrito) circa maculas dorsales instar fimbrii densioris has lateraliter circumdat; latera abdominis et propter pubescentiam allatam et propter indumentum alterum fuscius ita obtecta, ut maculæ vel lineolæ fuscæ, quæ in *S. senoculata* ibi evidentissimæ sunt, obsoletius tantum, immo in siccatis vix perspici possint; in ♀ lustrata tamen maculæ ejusmodi propius ventrem adsunt (an pictura in exemplis vivis ita se repræsentet?). In *S. senoculata* eædem maculæ vel lineolæ propter inopiam pubescentiæ evidentissimæ sunt et tota latera occupant. Femora anteriora apice, tibiæ et metatarsi ante et ponc medium annulo fusco cincta, ut in *S. senoculata,* at hæc pictura magis saturata et in siccatis evidentius remanet; femora subtus macula basali et media ejusdem coloris notata, forsitan semper remanentibus, etiam in femoribus posterioribus; patellæ omnes in utroque latere

apicis macula distinctiore, et tibiæ posticæ non solum in ipso apice et pone basin, sed etiam pone medium annulo fusco; in *S. senoculata* annuli sub femoribus anterioribus quidem satis evidentes, at in femoribus posticis vix ulli adsunt, an semper?; tibiæ posteriores in illa tantum annulo 1 propius basin, unoque in ipso apice, at pone medium non ullo cinctæ. Si indumentum sub metatarsis anticis in maribus utriusque speciei comparemus, illud in *S. Bavarica* æqualiter longum et densius inveniemus, pilis longioribus, ultra indumentum sub articulo seorsum eminentibus, vix perspiciendis; in *S. senoculata* autem indumentum illud, vel, si mavis, scopuli breviores et multo rariores sunt, et in exemplis lustratis magis decumbent (an semper?), et præterea sunt pili nonnulli verticales et alteri patentes adhuc longiores immixti; præter scopulos densiores in *S. Bavarica* nullum aliud indumentum longius (e pilis remotis constans), nisi ad latera vel superne observari potest. Pedes antici toti in ♂ long. usque 18—19, tibiæ et patellæ conjunctim 7, metatarsi una cum tarsis 6½ mm.; illi in ♀ 14—15, tibiæ et patellæ conjunctim 5½, metatarsi et tarsi 5 mm.; tibiæ anteriores ut in *S. senoculata* utrinque serie ex aculeis 4—5, inferius sita, et serie altera ex aculeis 3—4, altius locata; mox sub basi metatarsorum non nisi aculei duo, oblique positi, adsunt; infra basin, prope medium, aculei haud ulli detegi possunt; metatarsi non solum 4 anteriores sed etiam tertii paris simili modo armati sunt, quod sane mirabile est, nam omnes aliæ araneæ, quod sciam, pedes omnes 4 posteriores per se aliter quam 4 anteriores aculeatos habere solent. Etiam observandum est quod animalculum ut *S. senoculata* omnes pedes 6 anticos antrorsum dirigit in statu quieto, an etiam sub ingressu?

In rima montis in insula Hisingen prope Gothob. capta.

2. **S. senoculata** (Linn.): thorace, longit. 4 mm., pilis paucioribus fuscis vestito, cute per hos non præumbrata, nitidiuscula; abdominis dorso lateribusque pube fusca rariore adspersis, cute evidenter translucente, hac in la-

teribus lutea vel luteo-brunnea et ibi ubique maculis lineolisve fuscis adspersa; dorso serie macularum fuscarum unicolorium, his etiam lateribus nudis, neutiquam griseo-albido-marginatis; pedibus pallidius rufo-brunneis, maculis post mortem obsoletioribus pictis, tibiis posticis annulo fusco prope basin et in apice, at nullo in medio; metatarsis sex anterioribus utrinque serie ex aculeis 3, subterius sitis, aculeorum paribus duobus primis semper evidentibus, pari ultimo apicali, minus facile observando. Variat rarius abdomine unicolore, lutescenti-pallido.

Ar. senoculata LINN. F. SV. 2016. — DE GÉER VII, p. 258, pl. 15, f. 5—10. — WALCK. F. par. II, p. 223, 72 et *Seg.* idem Tabl. p. 48. — LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 89. — SUNDEV. A:o 1831, p. 145. — HAHN die Ar. I, p. 6, T. 1, f. 2, ♀, et KOCH ib. V, p. 75, T. 164, f. 388, ♂. — WALCK, Apt. I, p. 268.

Tibiæ et patellæ anticæ conjunctim in ♀ long. 4½, in ♂ 5½ mm., metatarsi et tarsi conj. in ♀ 3½, in ♂ 5 mm. Scopuli sub metatarsis anticis in utroque sexu parum conspicui. De cetero confer diagnosin et descriptionem *S. bavaricæ.*

Species ad Gothob. frequentissima, fere in omnibus sæpibus, sub lapidibus superis invenienda; sub cortice arborum et muscis sæpe degit. In Scania, Blek., Gottl. et Upl. a *Sundevall* capta; in Upl. etiam *Thorell,* ubi hic varietatem abdomine unicolore invenit. In Ostrog., *v. Post.*

II. DYSDERA WALCK.

Thorax elongato-ovalis, humiliter convexus, antice posticeque obtusus, ibi latitudine ½ thoracis medii; dorsum fovea vel canalicula pone medium nulla. Oculi tantum 6, duo laterales in serie antica deficiunt; duo restantes majores quam reliqui; series 4 posticorum, quorum intermedii minutissimi, et laterales paullo minores quam 2 antici sunt, valde antrorsum arcuata; spatium ab omnibus his 4 occupatum non multo majus quam id, quod a duobus anticis

occupatur, unde area, ab omnibus 6 occupata, parum latior quam longior evadit. Abdomen elongato-ovatum, unicolor. Pedes in specimine lustrato, corrugato, proportione 1, 4, 2, 3, vel 4, 1, 2, 3 (?); patellæ anticæ fere paullo longiores quam $1/2$ tibiarum; pedes anteriores aculeis carere videntur, posteriorum tibiæ et metatarsi aculeis quibusdam sparsis instructa.

1. **D. Hombergii** (Scop.): thorace unicolore abdomineque fuscis, hoc basi anoque pallidis; pedibus luteo-testaceis seu pallidis, femoribus extrorsum tibiisque introrsum infuscatis; thorace longitudine $1\,1/2$—$1\,2/3$ mm.

Aranea Hombergii Scop. Ent. Carn., 403, N:o 1119. — *Dysdera Hombergii* Walck. Apt. I, p. 263. — Koch die Ar. X, p. 95, T. 351, f. 819 et 820. — *Dysdera gracilis* Wider Mus. Senck. I, p. 200, t. 14, f. 1 (?).

Mas (specimen palpis defractis) thorace ferrugineo-fusco, elongato-ovali, a medio ad partem cephalicam et ad basin sensim angustato, parte cephalica $1/2$ latitudinis medii partis thoracicæ, hujus basi vix latiore quam frons; totus thorax satis humilis, vel altitudine $1/3$ latitudinis maximæ (vel mediæ) attingente, superficie in specimine lustrato subtiliter et concinne coriacea, subopaca, fronte cum occipite tamen magis nitidis magisque glabris. Oculi aream circularem occupant, ordine 2, 2, 2, deinceps minores; oculi intermedii distantissimi, antici paullo magis distantes quam postici, hi sat minuti, 4 anteriores magni, duo antici paullo majores quam intermedii; oculi antici ori valde propinqui, distantia ab hoc minor quam diameter ipsorum oculorum. Cum area oculorum a latere et a postice contemplatur, eminentiam communem repræsentat. Dorsum thoracis longitrorsum leviter convexum. Femora anteriora supra basin cito incrassata. (Pedes antici deperditi.) Tibiæ et patellæ secundæ, simul sumtæ, longitudine 2 mm.; illæ duplo longiores quam hæ; metatarsi ejusdem ordinis duplo longiores quam tarsi, (hi subtus haud scopulati); tibiæ et metatarsi posteriores, erga lucem contemplata, aculeis spar-

sis evidentibus instructa, superne, præter setulas ordinarias adpressas, pilis 2—3 verticalibus prædita, his duplo longioribus quam diameter articulorum, et ultra; an ita in anterioribus?; in metatarso dextro pedum secundorum pilus talis prope apicem adest. Mandibulæ basi vix tam crassæ ac femora antica, extus attenuatæ (superne hic illic seriatim muricatæ?).

Prope Vicum Tingstad, insulæ Hisingen, haud procul a Gothob., A:o 1836 a Med. Doct. *J. A. Carlsson* sub lapide capta.

III. TEGENARIA, Walck.

Thorax ovatus, lateribus sensim depressis, dorso canalicula postica, ad occiput producta, distinctissima; pars cephalica alte convexa, per impressiones laterales sat profundas evidenter distincta; frons aut paullo latior, aut fere æque lata atque efficit dimidia latitudo partis thoracicæ; superficies totius thoracis pube adpressa subopaca obtecta, et præterea setis erectis, præsertim in capite, ut in mandibulis vestita. Clypeus aut subæqualiter aut paullo magis altus quam efficit longitudo spatii inter oculos intermedios anticos et posticos. Oculi 4 anteriores in seriem rectam aut quam minime deorsum curvatam dispositi; oculi 2 laterales inter se approximati, at non contigui, neque tuberculo communi impositi, interstitio oculorum impresso nec convexo, minus evidenter breviore quam spatium inter anticos et oculum adjacentem duorum intermediorum anticorum; oculi intermedii postici inter se paullo distantiores quam antici. Mandibulæ robustæ, tamen quam femora antica parum vel vix crassiores, in ♀ non vel parum longiores quam dimidium tibiarum anticarum, at duplo longiores quam efficit latitudo areæ oculorum, qui satis concentrici sunt; plerumque longiores quam patellæ anticæ. Maxillæ convexæ, rectæ, intus pro margine labii emarginatæ. Abdomen pube adpressa et pilis erectis, fere æque longis atque in pedibus, vestitum. Mamillæ sat longæ, superiores biarticulatæ.

Palpi feminæ aculeis similibus atque in tibiis, vel evidenter longioribus quam diameter harum, immo quam femorum instructi. **Pedes** longi, proportione 4, 1, 2, 3, inter se longitudine parum discrepant; tertii paris thorace circiter 3:plo longiores; toti pilis mollibus patentibus et aculeis gracilibus decumbentibus vel adpressis instructi; pili sub femoribus æque longi ac diameter femorum; illi in tibiis evidenter longiores sunt quam diameter articuli; pedes, erga lucem contemplati, superne non pilis peculiaribus verticalibus paucis, longitrorsum sparsis induti, an hi pili, qui in pluribus aliis *Drassidis* evidenter adsunt, propter pilos ordinarios densiores, patentes, haud seorsum discernendi (?); patellæ anticæ neque in ♀ neque in ♂ longitudine non plane 1/3 tibiarum attingunt; metatarsi antici æque longi vel paullo longiores quam mandibulæ. Habitatio in domibus.

Inter omnes *Drassidas* *Tegenaria* et *Agelena* textrices perfectissimæ sunt, qua in nota familiam *Therididarum* assimilant. Non ut hæ corpore subverso in parte inferiore retis scandunt, sed in parte superiore retis telæformis, tubo centrali instructi, vivacissime currunt. Motus velocior secundum meam sententiam e longitudine pedum posticorum pendet. Eam ob causam etiam ess araneæ, quæ pedes anticos longiores quam postici habent, ex. gr. familiæ *Epeïridarum* et *Therididarum*, lentiores esse videntur, et simili modo videntur mihi ess species *Drassidarum*, quæ contra normam vulgarem pedes anticos paullo longiores quam postici habent, minus veloces, ex. gr. *Amaurobius* et *Cheiracanthium*. Genus *Textrix*, ad hanc Familiam pertinens, proportionem pedum fere 4, 3, 2, 1 habet, quare hæc aranea fere omnium cursu velocissima est, nisi genus *Drassum* excipere velles, qui non solum pedes posticos longiores quam reliqui, sed etiam omnes 8 robustissimos et pro cursu aptissimos habent, fere similiter ac genus *Lycosa* *Fam.* *V:tæ.*

1. **T. atrica** (Koch): *Femina* cinerea, thorace longit. 7 mm., serie oculorum anticorum subrecta; abdomine in fundo lutescente, lateribus lineolis vel punctis crebris, in fascias obliquas congregatis, nigris, dorsoque serie longitudinali ex angulis nigris et luteis alternantibus notatis; pedibus pallide brunneis unicoloribus, anticis longit. circiter 28 mm., tibiis per se 7—7 1/2, ùna cum patellis 9 1/2—10 mm.; mandibulis, a latere inspectis, crassioribus quam femora antica; pilis sub tibiis anterioribus subperpendicularibus.

Mas thorace long. 6 1/2, pedibus anticis 36—37 millim., patellis et tibiis conjunctim 12—13, metatarsis 10, his simul cum tarsis 14—15; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 11, metatarsis 12, simul cum tarsis 16—17 mm.; palporum parte tibiali in apicis latere externo in tuberculum, apice cuspidatim productum incrassato; femoribus anticis fere linearibus, vel superne haud evidentius longitrorsum convexis; quam mandibulæ non crassioribus.

Koch X, p. 105, T. 353, f. 825.

Femina. Totum corpus longit. circiter 16 mm. Thorax 7—7 1/2, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 10, metatarsi 7 1/2, hi et tarsi conjunctim 12; patellæ posticæ cum tibiis conjunctim 10, metatarsi 9, conjunctim cum tarsis 14 mm. Thorax cinereus, disco fuscus vel vittis duabus parallelis approximatis undulatis notatus; margo pallidior, introrsum propter formam vittæ dorsalis undulatus, margo summus anguste fuscus seu niger; latera thoracis canaliculis seu foveis transversis impressa. Oculi 4 antici in lineam fere rectam dispositi, intermedii differentia capillari altius locati, vel multo minus quam in *T. domestica*, in qua ea series evidenter deorsum curvata est; oculi intermedii antici evidenter majores quam intermedii postici, saltem in mortuis. Mandibulæ robustæ, femore antico crassiores, et fere longiores quam tarsi pedum anticorum (?), saltem quam secundorum; multo longiores quam patellæ anticæ; basi sat convexæ; tuberculum, quod in multis araneis in basi laterali mandibularum mox juxta marginem thoracis observatur, distincte luteo-albidum. Pictura abdominis constat versus basin e macula oblonga, utrinque unidentata, vel, si mavis, e rudimento signaturæ hastatæ, ut in plerisque *Lycosis*, colore nigro; discus maculæ (vel laminæ hastæ) obliteratus, vel colore luteo percursus, quo colore etiam latera circumdantur, unde restant latera hastæ et, satis distinctum, ipsum manubrium, quod cum primo angulorum nigrorum insequentium confluit (an semper?); dein insequuntur anguli 5—6 lutei, quorum intervalla, colore nigro repleta, angulos me-

moratos nigros alternantes formant; hi anguli (nigri) apicibus in colore laterali nigro evanescunt; anguli lutei autem potius liberi dicendi; apices horum angulorum sæpe extus dilatati, et paullo antrorsum arcuati, vel, si mavis, in margine antico excavati, unde illi sæpe circumflexibus oppositis subsimiles sunt, qui, oblique positi, introrsum angulatim connectuntur. Pictura lateralis e striolis crebris nigris constat, quæ fere in fascias obliquas congregatæ sunt. Venter luteo-pallidus, lineis duabus parallelis nigris, postice confluentibus, et extra has linea altera tenuiore e punctis nigris contiguis, satis obsoleta, notatus. Coxæ subtus utrinque maculis nonnullis nigricantibus notatæ.

Mas. Palporum pars tibialis cylindrica, fere duplo longior quam pars patellaris, paullo brevior quam patellæ pedum anticorum, juxta apicem extus in tuberculum, apice stiliferum productus, ipso stilo nigro; tuberculo una cum stilo saltem æque longis ac diameter ipsius partis; inferius sub ipso apice partis observatur spina acuta minor rufo-fusca, ægrius observanda; pars patellaris superne et pars tibialis ubique longe et sat dense pilosæ aculeisque nonnullis gracilibus vestitæ; lamina ordinaria angustato-pyriformis, basi vix tam lata ac femorum anticorum apex; membrum genitale nodosum, calcari acuto et pilo spiraliter flexo instructum, suo apice haud ultra medium laminæ extensum. Tibiæ et tarsi anteriores pilis longis densis verticalibus circumcirca vestita, pilis in metatarsis non brevioribus, sed fere paullo longioribus quam pili in tibiis, saltem duplo longioribus quam diameter tibiarum. Femora antica non ut in ♂ *T. civilis* tam evidenter superne arcuatim incrassata, neutiquam crassiora quam mandibulæ.

In domibus Gothoburgi passim inventa. Pullus, omnino similis figuræ *Philoicæ advenæ*, a *Koch* descriptæ (v. die Ar. VIII, p. 57, T. 268), in domo, a me inhabitata, et sub lapide prope Gothob. captus. Ad Holmiam a Dom. *Hedström* inventa.

2. **T. domestica** (CLERCK): cinerea, serie oculorum 4 anticorum evidenter deorsum curvata, abdomine in dorso utrinque vitta nigricante, seriem e maculis seu punctis luteis, anticis majoribus, excipiente, in spatio interjacente antice aut macula simplici aut lineis duabus fuscis notato, posterius plerumque unicoloriter luteo-brunneo seu murino; pedibus brunneo-testaceis, evidenter fusco-annulatis, annulis sub femoribus quasi geminatis vel ambitu marginali colore saturatioribus, disco dilutioribus. Thorax longit. 5—5 1/2, pedes antici circiter 22—24, patellæ et tibiæ conjunctim 7—7 1/2, metatarsi 5 3/4—6 mm. *Mas* palporum clava saltem æque crassa ac femora antica, bulbo genitali laminam falcatam et setam spiraliter flexam emittente, illa evidentissima, hac forsitan in vivis ægrius observanda; parte tibiali in apicis latere externo spinis duabus, inferiore ægrius observanda.

Ar. domesticus CLERCK p. 76, pl. 2, t. 9, f. 1 (f. 2 ad *T. civilem* est referenda). — FABR. E. S. p. 412, N:o 21. — WALCK. F. par. II, p. 216 et *Tegen. id.* Tabl. p. 49. — LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 96. — *Agelena idem* SUNDEV. A:o 1831, p. 125, 1. — *Teg. idem* WALCK. Apt. II, p. 2, pl. 16, f. 2 D, 2 E. — KOCH VIII, p. 25, T. 260, f. 607 et 608.

Margo superior oculorum lateralium seriei anticæ ut in *T. atrica* evidenter humilius quam margo oculorum intermediorum situs, qua in nota a *T. civili* dignoscitur. Ab ambabus distinguitur ambo sexus femorum annulis nigris geminatis, cet.

Habitat in domibus Gothoburgi minus frequens, a *Thorell* capta; secundum *Sundevall* ubique in Svecia frequentissima. In Upl. *Clerck.*

3. **T. civilis** (WALCK.): cinerea, serie oculorum 4 anticorum levissime deorsum curvata, fere recta, abdomine superne seriebus tribus macularum griseo-nigricantium, maculis seriei intermediæ quoad earum positionem cum maculis serierum adjacentium alternantibus, lateribus maculis crebris inordinatis ejusdem coloris; thorace pedibusque

in ♀ pallidius brunneo-testaceis, his evidenter fusco-annulatis, in ♂ saturatius coloratis pedibusque saltem in siccatis obsolete annulatis. Thorax longit. 4 $1/3$, pedes antici in ♀ 14—15, patellæ et tibiæ conjunctim 5 $3/4$, metatarsi 4 $1/3$ mm.; pedes antici in ♂ 17—18, patellæ et tibiæ 6 $1/2$, metatarsi 5 $1/3$ mm. *Mas* bulbo genitali minore, quam femora antica angustiore; parte tibiali in apicis latere externo spina evidenter breviore quam diameter articuli; femora superne incrassata, quam mandibulæ crassiora; pedum pilositas decumbens, vel pilis paullo patentibus, non verticaliter spectantibus.

Ar. civilis WALCK. F. par. II, p. 216. — *Agelena idem* SUND. A:o 1831, p. 127, 2. — *Tegenaria idem* WALCK. Apt. II, p. 7, 5, pl. 16, f. F 1. — KOCH VIII, p. 37, T. 264, f. 618—19. — *Ar. domestica* DE GÉER VII, p. 264, 19, pl. 15, f. 11. — LINN. F. sv. Ed. 2, p. 487, 2000 (?).

Series oculorum anticorum minus evidenter deorsum arcuata quam in præcedentibus, margo superior oculorum lateralium non humilius quam margo intermediorum situs, sive non ut in illis erga centrum horum locatus.

Habitat in domibus frequentissima; primo vere e latebris hiemalibus provenit et dein tota æstate usque ad initium hiemis in angulis parietum occurrit. In Scania et Upl., *Sundevall;* in Wäderö Hallandiæ, *A. W. Malm;* in Upl., *Clerck, T. Thorell* et *Boheman.* Duo exempla in nave svecica, ex Oriente adventa, a Dom. *H. J. Ekeberg* capta et mihi communicata, sine dubio e Svecia cum eadem nave exportata. In Ostrog., *v. Post.*

IV. AGELENA WALCK.

Thorax clypeus et os ut in *Tegenaria.* **Oculi** 4 antici in seriem valde deorsum curvatam dispositi. **Mamillæ** nonnihil longiores quam in illa, superiorum articulo exteriore longiore quam interior, totis fere patellarum longitudinem superantibus. Indumentum abdominis, pedum et palporum feminæ ut in *Tegenaria.*

Retia ut *Tegenariæ;* in gramine camporum et in plantis hortorum rurestrium extenduntur: numquam in ipsis domiciliis nidificat *Agelena,* nisi in rimis parietum vel in angulo quodam sæpimentorum, juxta domos jacentium, ubi plantæ crescunt, inter quas et latebram animalculi rete extenditur. Ova magna, sub indusio denso, orbiculari, depresso asservantur; hoc indusium loco cuidam plano affigitur et extus textura altera obtegitur.

1. **A. labyrinthica** (Clerck): cinerea, serie oculorum 4 anticorum valde deorsum curvata, ita ut margo superior oculorum lateralium non altius quam margo inferior intermediorum situs esse videatur; abdominis lateribus cinerascentibus fusco-punctatis, dorso nigricante, vitta media cinerea, utrinque lineolas pallidiores subarcuatas 5—6 emittente, his sæpe in medio vittæ angulatim connexis; pedibus obsolete fusco-annulatis; thorace longit. 5 mm., pedibus anticis in ♀ circiter 16, in ♂ 18—19, patellis et tibiis anticis conjunctim in illa 5 ½, in hoc 6 ½, metatarsi postici in ♀ 5¾, in ♂ 7 ½ mm. *Mas* bulbo genitali æque crasso ac femora antica, parte patellari fere longiore quam pars tibialis, illa apice in spinam producta, hac subterius spina altera armata; metatarsis anterioribus subtus pilis non brevioribus quam in tibiis, duplo longioribus quam diameter tibiarum.

Ar. labyrinthicus Clerck p. 79, pl. 2, t. 8. — Linn. F. sv. Ed. 2, p. 487, 2003, et *Ar. riparia,* ibidem, 2002 (= pullus). — *A. labyrinthica* Fabr. Ent. S., p. 418, 41. — Walck. F. par. II, p. 217 et *Agelena idem* Tabl. p. 51. — Latr. Gen. Cr. et Ins. I. p. 95. — Sund. A:o 1831, p. 129. — Hahn die Ar. II, p. 61, T. 65, f. 150 et 151. — Walck, Apt. II, p. 20.

Habitat frequentissima ad Gothob., in campis et hortis rurestribus, interdum in sæpibus etc.; numquam in domibus. Pulluli parentibus valde dissimiles, vel toti rufescenti-picei seu coffeati; mense Majo in gramine ubique dispersi inveniuntur, ubi retia hic illic, præsertim tempore matutino, dum rore humectata sunt, facile deteguntur. Post

mutationem pelliculi nova retia ampliora conficiunt, et contemporanee picturam adultorum adsumunt. — In Scania, Gottl. et Upl. a *Sundevall*, in Blek. a *Boheman*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* inventa.

V. TEXTRIX Sund.

Thorax angustato-ovatus, dorso carinato, lateribus abrupte declivibus, his glabris, nitidis; ipso dorso adpresso-pubescente et præterea setis longis erectis, anterius crebrioribus, similiter atque in mandibulis vestito. Clypeus una cum fronte in unum idemque planum perpendiculare concreta. Oculi intermedii postici in ipso angulo plani, quod antrorsum spectat, siti sunt; hi oculi maximi; laterales postici in lateribus capitis superius siti, paullo minores et ab illis brevius quam hi inter se distant; a lateralibus anticis iidem oculi æque longe distant atque ab intermediis posticis, vel omnes tres oculi aream triangularem fere æquilateram occupant; oculi 4 antici minores, in lineam rectam vel levissime recurvam dispositi, intermedii ab ore et ab oculis intermediis posticis æqualiter distant; totius areæ circumscriptio ad segmentum circuli appropinquata. Mandibulæ subtenues, quam femora antica vix crassiores et quam tota altitudo facialis vix $^1/_3$ longiores. Maxillæ ovatæ, paralleliter porrectæ. Mamillæ superiores multo longiores quam patellæ, articulo secundo longiore quam primus. Pedes fere ut in *Tegenaria* et *Agelena* aculeati et pilosi, sed pilis ordinariis magis robustis et aculeis magis erectis, vel minime pedibus adpressis instructi; articuli iidem breves sunt; tibiæ anticæ vix ultra duplo longiores quam patellæ, et parum longiores quam mandibulæ; femora antica supra basin abrupte incrassata, tertii, immo quarti paris breviora quam thorax.

Retia satis ampla, plerumque in locis absconditis, sub lapidibus, muscis et in ruderibus, etiamque in rimis montium extensa; pars retis tamen in lucem protensa et non difficile ab investigatiore reperienda.

1. **T. lycosina** (Sund.): thorace longit. 3 millim. nigro, vitta dorsali media albida, abdomine nigro, lateribus albido-punctatis, in dorso vitta densius albida, hac antice duo paria lineolarum vel punctorum nigricantium includente et dein serie utrinque marginali e punctis lineolisve 3—4 purius albidis notata; vitta eadem plerumque posterius in fundo rubedine tincta; pedibus pallidis, femoribus annulis tribus nigricantibus, apice patellarum et reliquorum articulorum, tibiis metatarsisque inter basin et medium annulo ejusmodi notatis.

Agelena lycosina Sund. 1831, p. 130, et *Textrix idem* Consp. Ar. p. 19. — *Tegenaria idem* Walck Apt. 2, p. 15. — *Textrix idem* Koch VIII, d. 46, T. 266, f. 623—24.

Pedes postici longit. 9, patellæ et tibiæ conjunctim 3, pedes antici 7, patellæ et tibiæ conj. $2\frac{1}{2}$ millim.; patellæ anticæ longit. $\frac{1}{2}$ tibiarum. Mamillæ superiores biarticulatæ, articulo secundo æque longo ac patellæ pedum, colore rufo-testaceo. Pubescentia in thoracis carina dorsali et in abdomine quasi e squamulis adpressis angustis constat. Aculei in palpis feminæ crebri et fere æque longi atque in pedibus; femora subtus setis pluribus (in series 2 digestis) distincte longioribus quam diameter articuli, radicibus incrassatis, vel instar granulorum eminentibus; pedes de cetero setis sat robustis satisque crebris vestiti; pedum aculei potius patentes quam adpressi dicendi. Mandibulæ piceo-brunneæ. Maris palporum pars tibialis in latere externo spina robusta; bulbus genitalis cochleæformis, parte sursum versa spinæ apice biuncinatæ simili; parte inferiore stilum acutissimum sive setam spiraliter flexam emittente.

Habitat ad Gothob. inter rudera, in rimis montium, sub lapidibus et muscis cet. frequens, valde agilis et ægre capienda. In Scan., Blek. et Oel., *Sundevall;* in Upl., *Thorell.*

VI. AGROECA n.

Femina. Thorax fere ut in *Tegenaria* vel in *Agelena;* ovatus, parte cephalica per impressiones laterales distincta;

frontis latitudine $1/2$ medii partis thoracicæ, vel paullo latior; dorso a fronte usque pone canaliculam ordinariam, in hoc genere sat inconspicue disignatam, in planum parum convexum decurrente, prope basin abruptius declivi; superficies pube parciore adspersa; hac magis nitida, unde susuperficies subnitida videtur. Oculi 4 antici in seriem evidenter deorsum curvatam dispositi, intermedii duo a margine supra os brevius quam ab oculis interm. posticis distant; laterales postici ad anticos minus approximati, vel ambo spatio fere æquæ magno distantes atque efficit distantia inter laterales posticos et oculum adjacentem duorum intermediorum posticorum (?), vel eorum intervallum saltem non brevius quam diameter unius oculi; series oculorum 4 posticorum leviter antrorsum arcuata, 4 intermedii in trapezium obtusum dispositi, postici scilicet distantiores, (an semper?); oculi singulæ seriei inter se subæqualiter distant. Mandibulæ haud crassiores quam femora antica, a basi ultra medium convexæ, convexitate summa proinde non in basi sed medium versus sita, hic evidenter ultra marginem clypei prominente. Maxillæ convexæ, tumidiusculæ, ovatæ, parallelæ, apice rotundatæ. Palpi robusti, parte tibiali vix duplo longiore quam crassiore, parte tarsali sensim acuminata. Abdomen elongato-ovatum, teretiusculum, adpresso-pubescens, et præterea pilis erectis, haud longioribus quam diameter metatarsorum vestitum. Pedes femoribus subtus pilis non tam longis ac diameter femorum, et pedum setis ordinariis decumbentibus evidenter non diametrum tibiarum attingentibus; pili autem tenuissimi verticales, pauci, qui superne in tibiis et tarsis longitrorsum sparsi sunt, in hoc et insequentibus generibus diametrum tibiarum superant; pedes mediocriter longi, postici evidenter longiores quam antici; patellæ anticæ = $1/2$ tibiarum longitudinis, vel paullo breviores, ambo articuli conjunctim vix breviores quam metatarsi et tarsi, simul sumti; tarsi in specie cognita minus abrupte breviores quam metatarsi vel $5/6$ horum longitudinis. Femora antica supra basin abrupte incrassata. Tibiæ et metatarsi anteriores in

utroque latere aculeo 1 versus basin et medium, aculeo apicali minus conspicuo; tibiæ posteriores, exceptis aculeis lateralibus, similiter atque in *Drassode* superne aculeo 1 pone basin et medium armatæ, hoc facile observando, nec ut in genere *Hahnia* et *Aposteno* propter setas ordinarias adpressas ægrius discernendo; aculeus medius lateris postici, qui in patellis 4 posterioribus in nonnullis *Drassidis*, ex. gr. *Clubiona*, adest, in *Agroeca* deest. Mamillæ concentricæ, sat breves. Habitatio abscondita sub lapidibus et ad radices plantarum. Medium tenet inter *Tegenariam* et *Anyphænam* vel *Hahniam*. Motus velox *Drassorum* et horum affinium.

Nota. Dom. *Koch* araneas tres, inter se characteribus satis distinctas, sub genere "*Philoica*" (vide Verzeichniss der in den 16 Bänden des Werkes Die Arachniden vorkommenden arten, pag. 49) descripsit, quarum ea species, quæ sub genere *Agroeca* a nobis infra descripta est. Posteriore tempore Dom. *Koch* (vide Uebers. des Ar. Syst. V, p. 26) araneas alias etiam diversas, antea ab illo sub *Walckenaeri* genere "*Tegenaria*" descriptas, cum genere *Philoica* sine omni jure conjunxit. Propterea quod *Philoica (Agroeca) linotina*, hic infra allata, neutiquam in domibus sed in locis rurestribus habitat, nomen *Philoicam* in *Agroecam* ut aptius commutavi.

1. **A. linotina** (Koch): *Femina* rufo-brunnea, thorace longit. 2⅓ mm., anguste nigro-marginato, lateribus signatura angulari postica lineolisque antejacentibus 2 obliquis nigris, in siccatis vittam obsoletam formantibus; abdomine elongato-ovato, subtereti, pube densa brevi, adpressa, rufo-brunnea, et pilis erectis fuscis obtecto, dorso serie longitudinali ex arcubus transversis 5—6, anticis plerumque per lineolam, e basi exeunte, in punctum vel lineolam utrinque divisis, colore nigricantibus, certo lumine evidentioribus; patellis et tibiis anticis conjunctim longitudine metatarsos et tarsos, simul sumtos, subæquantibus, tarsis paullulum brevioribus quam metatarsi.
Philoica linotina Koch die Ar. X, p. 108, T. 354, f. 826.

Thorax antice vix ⅔ latitudinis mediæ partis thoracicæ attingit; dorsum sensim ad latera declive; pars cepha-

lica distincta, origine impressionis in margine supra palpos evidentius designata; superficies satis nitida, pube brevi luteo-brunnea vestita; latera lineolis tribus fere anguliformibus (præsertim postica), post mortem animalculi magis obsoletis, colore nigricantibus; pars cephalica pilis erectis vestita. Oculi omnes convexi, in utraque serie spatiis æqualibus inter se distantibus; oculi seriei anticæ evidenter in lineam deorsum arcuatam dispositi, intermediis ab ore dimidio brevius quam ab intermediis posticis distantibus, vel ab ore non multo longius remoti quam efficit longitudo diametri unius oculi; oculi intermedii postici inter se evidenter magis distantes quam antici, laterales duo inter se perparum brevius quam posticus horum ab adjacente intermediorum posticorum distant; oculus lateralis anticus et oculus proximus intermediorum posticorum inter se distantiores, quare omnes hi tres oculi vix aream triangulam æquilateram occupant; area ab omnibus oculis occupata, non ultra duplo latior quam longior; oculi laterales antici majores quam intermedii. Mandibulæ rufo-brunneæ, glabræ, nitidissimæ, parce longius pilosæ, basi satis convexæ, ita ut illæ, perpendiculariter inspectæ, basi evidenter ultra marginem clypei supra os porrectæ videantur. Maxillæ ovatæ, convexæ, nec ullo modo impressæ, apicibus porrectæ, nec circa apicem labii arcuatæ. Abdómen elongatum, subcylindricum, vel postice perparum latius, ano obtusum, in fundo fuscum, pube brunnea vel luteo-rufescente, quam levissime attacta facile deterenda vestitum, lineolis nonnullis basin versus longitudinalibus, serieque insequente ex arcubus 3—4 connexis aut, his medio abruptis, e lineolis oppositis conformata, in vivis certo lumine evidentibus notatum; abdomen, erga lucem contemplatum, pilis erectis, evidentius ultra cutem eminentibus, haud brevioribus quam diameter metatarsorum posticorum vestitum. Mamillæ rufo-testaceæ, mediocriter longæ, vel diametrum tibiarum vix attingentes. Pedes pallide rufescentes, patellis anticis longitudine $1/2$ tibiarum, metatarsis anticis discrepantia capillari longioribus quam tarsi, femoribus posticis fere longioribus quam thorax;

pedes toti setis sat robustis, non densis, neque longis, decumbentibus, et in tibiis tarsisque superne pilis subtilioribus longiusculis, verticalibus, paucis, longitrorsum sparsis vestiti, nonnullis horum patellis anticis vix longitudine cedentibus, singulo versus apicem metatarsorum plerumque geniculato; tibiæ et metatarsi anteriores subtus aculeo 1 prope basin et in medio, utrinque; illi ambo articuli pedum posticorum in utroque latere aculeis 3—4 et femora supra 3—5 robustis et evidentioribus armata; tarsi antici subtus scopulis evidenter carent. Pedes postici longit. 9 1/2—10, patellæ et tibiæ conjunctim 3, pedes antici 8, patellæ et tibiæ conjunctim, 2 1/2 mm.

Ad radices graminum et plantarum, ad infimos montes, minus frequenter occurrens; in Insula Hisingen et passim ad Gothob. inventa. In Upl., *Thorell.*

VII. HAHNIA Koch.

Corpus minutum, tenerrimum, facile currugandum. Thorax antice æque latus ac 1/2 latitudinis mediæ partis thoracicæ; parte cephalica subdistincta; superficies tota glabra, nitida; dorsum præsertim anterius pilis rigidis erectis paucis vestitum, fovea ordinaria inconspicua, saltem vadosa, ovata, non instar canaliculæ se repræsentans. Oculi 4 antici in *H. pusilla* et *pratensi* in seriem rectam, in *H. silvicola* (ut in genere *Aposteno*) deorsum arcuatam dispositi; oculi intermedii antici in nonnullis minuti, ægrius observandi, a margine supra os brevius quam ab interm. posticis distantes, una cum intermediis posticis in trapezium dispositi; oculi duo laterales inter se approximati, quare series 4 posticorum paullo antrorsum flexa evadit. Mandibulæ aut æque crassæ aut angustiores quam femora antica, in latere antico omnino rectæ, nec convexæ. Maxillæ alte convexæ, in latere externo arcuatæ, arcuatione ad summum apicem, qui introrsum situs est, extensa, apice non rotundato vel introrsum non oblique truncato. Abdomen rude pilosum, interdum quasi squamulosum. Mamillæ solito magis

distantes, sive multo minus concentricæ quam in *Agroeca* et *Aposteno*, et pluribus aliis. Pedes pilis rigidis, decumbentibus, (etiam sub femoribus) et superne in tibiis et tarsis pilis nonnullis verticalibus, subtilissimis, longitrorsum sparsis vestiti, horum singulo in apice tibiarum et metatarsorum evidentiore. In *H. pusilla* aculei in tibiis anticis propter pilos ordinarios robustos seorsum ægerrime discerni possunt; in reliquis speciebus in iisdem tibiis et in metatarsis subtus adsunt, ut in *Aposteno* et *Zora*, series binæ ex aculeis 4—6 longissimis, adpressis, radicibus incrassatis, vel his ut puncta elevata fusca se repræsentantibus. Pedes proportione 4, 1, 2, 3; patellis anticis paullo longioribus quam $^1/_3$ tibiarum.

Habitatio sub muscis et quisquiliis foliisve deciduis, etiam ad radices graminum, in locis silvaticis. Media inter *Agroecam* et *Apostenum*.

1. **H. pusilla** (Koch): Thorace supra subtusque aut luteobrunneo aut fusco, post mortem facile corrugando et tunc nigricante; abdomine aut nigricante aut luteo-brunneo, subunicolore, vel serie ex angulis transversis pallidioribus, parum perspicuis notato, superficie propter pubescentiam obscuram certo lumine subopacata; pedibus luteo-brunneis, articulis medio late infuscatis, geniculis omnibus pallido-diaphanis; totis rude pilosis vel setulosis, aculeis sub tibiis anticis vix robustioribus quam setæ ordinariæ, undeque ab his haud seorsum discernendis; mamillis inter se valde separatis, longitudine tarsis haud cedentibus. Thorax long. $^3/_4$, vix 1 mm.

Hahnia pusilla Koch die Ar. VIII, p. 61, T. 270, f. 637, 638.

Mas. Pedes postici longitudine circiter 3, antici $2^3/_4$ mm. — Thorax nitidissimus, antrorsum superne serie e setis robustis vestitus. Series oculorum 4 anticorum vix deorsum arcuata, e margine supra os haud longius retracti, quam efficit longitudo diametri oculorum. Palporum pars patellaris nodiformis, apice in latere exteriore spina uncinata ar-

mata; pars tibialis minor (?) quam illa, in latere externo setulis quibusdam vestita; ambæ supra apicem seta longiore munitæ, simul sumtæ longitudinem patellarum vix superantes; lamina ordinaria æque lata ac femora antica, supra basin spinula minuta, ægre observanda armata. Mandibulæ colore thoracis, non evidenter convexæ; (maxillæ basi convexæ, extus oblique convexæ, attenuatæ, versus apicem labii convergentes?). Abdomen aut subunicolor, aut in dorso serie ex angulis vel arcubus pallidioribus, transversis, in exemplis in spiritu vini asservatis quodammodo evidentibus notatum; pilis nigricantibus opacis vestitum, unde superficies, a latere inspecta, opaca videtur. Mamillæ rufo-brunneæ, numero sex, in vivis fere in seriem retrorsum arcuatam dispositæ, intus deinceps breviores, extima sive lateralis longissima, vel quam patellæ pedum fere duplo longior, et haud procul a lateribus ventris locata; hæc mamilla ex articulis duobus constat, articulo extimo acuminato, piloso, longitudine tantum $1/4$—$1/3$ articuli interni; tota mamilla dimidio longior quam interiores, et tarsorum articulum ultimum attingere (an superare?) videtur. Femora anteriora maxima parte in vivis infuscata, femora insequentia latius ad basin, ut omnia genicula, pallido-diaphana; structura pedum ut in *H. silvicola* et hi forsitan ut in illa aculeati, at aculei tenuissimi sub tibiis anticis ægre discernendi, vel haud a setulis ordinariis robustioribus seorsum discernendi; in patellarum apice aculeus vel potius seta 1 et aliquot in tibiis, superne sitæ, verticales adesse videntur, præsertim sunt hi aculei evidentiores in tibiis posterioribus, scilicet 1 prope basin superne, 1 in medio subtus, et 1 apicem versus, in utroque latere sitis; præterea in apice patellarum aculeus 1 adest; omnes verticales vel erecti; femora superne aculeis nonnullis erectis et subtus setulis robustis seriatis vestita. Corpus tenerrimum, facile corrugandum.

Femina. Color maris; palpi setis robustis erectis vestiti; mamillæ laterales paullo breviores mihi videntur, ita ut tantum $1/4$—$1/3$ longiores quam internæ esse videantur (?).

Mense Augusto sub foliis et quisquiliis, in silva ad Prædium Sårö Hallandiæ inventa. In Upl., *Thorell.*

2. **H. pratensis** (KOCH): thorace pedibusque pallide testaceis, immaculatis, tibiis tarsisque fuscioribus; abdomine nigricante, longius piloso, serie dorsali ex arcubus transversis grisescentibus, ægrius discernendis notato; tibiis anterioribus utrinque aculeis 5—6, metatarsisque 4, longissimis, seriatis; serie oculorum 4 anticorum recta, a margine supra os æque longe dissita ac efficit longitudo dupla diametri oculorum. Thorax longit. 1 mm.

Mas palporum articulo ultimo calcari graciliore, retrorsum spiraliter flexo, longissimo, apice usque supra occiput extenso, similiter atque cornua in ariete.

KOCH VIII, p. 64, T. 270, f. 639.

Femina. Thorax longit. circiter 1 mm. duriusculus, quare oculi in exemplis siccatis melius quam in *H. pusilla* observari possunt, apud quam præterea thoracis color fuscus eos præumbrat. Ab *H. silvicola* mox distinguitur serie oculorum anticor. recta, nec deorsum arcuata, quare tam 2 intermedii quam laterales ab ore æque longe dissiti sunt; oculi interm. postici inter se latius quam 2 interm. antici, et a lateralibus posticis brevius quam inter se separati. Abdomen fuscescens; pictura, ex arcubus vel forsan in exemplis variantibus e maculis aut lineolis oppositis obliquis formata, haud rubicunda sed grisea vel pallida, in specimine lustrato sat inconspicua et non nisi certo lumine observanda; arcus 2 antici in medio abrupti erant, secundus major, reliqui 3—4 deinceps minores. Abdomen, a latere inspectum, pilis tam longis atque aculei supra femora vestitum; illud de cetero caret pube squamulæformi, qua pictura abdominis in *H. silvicola* ad partem investitur. Mamillæ valde distant, ut ipse anus pallidæ, quo colore lineæ 2 parallelæ in ventre nigricante pictæ sunt; hæ sat obsoletæ, an semper (?). Pedes immaculati, ut in *H. silvicola* in tibiis anticis subtus utrinque aculeis robustis et longis, in series regulares dispositis, decumbentibus vel articulo ad-

pressis, ipsis radicibus eorum crassis, ut puncta fusca se exhibentibus; numerus aculeorum 5—6. Femora antica in latere antico aculeis 1—2, et supra totidem; tibiæ posteriores aculeis nonnullis, inordinate sparsis, omnibus minus validis et longis quam in tibiis anterioribus; pedes toti de cetero setis robustis vestiti; tibiæ et tarsi superne pilis aliis verticalibus, tenuissimis, paucis induta, quorum 1 versus apicem metatarsorum longiore quam reliqui; patellæ anticæ paullo longiores quam $\frac{1}{3}$ tibiarum. Thorax antice pilis erectis, antrorsum flexis, æque longis atque in abdomine parcius vestitus.

Mas Palporum structura valde mirabilis; pars patellaris ovata, patellis pedum anticorum brevior, seta superne erecta, longa, graciliore, et in latere seta altera robustiore prædita; pars tibialis difformis, longitudine partis patellaris, subtus stilo acuto, et ad latus calcari, apice uncinato instructa; de cetero pilis vel setis pluribus longis vestita; lamina ordinaria longiuscula, pyriformis, setis longissimis, vel æque longis ac dimidia tibia induta, basi interna cum membro genitali subcochleariformi concreta, hoc (membr. gen.) calcar robustum rufo-brunneum, ad latus flexum emittente; hoc calcari iterum e sua origine calcar alterum sive setam robustissimam, sursum spiraliter flexam emittente, quod calcar tam longum est, ut ejus apex usque capitis posticam partem sive occiput attingat; mox infra apicem hujus calcaris (sive setæ robustæ) seta subtilissima, vel, ut verius dicam, pilus niger emittitur, qui ad membrum genitale iterum descendit et cum hoc concretus esse videtur; calcar, ad occiput directum, vix brevius quam pedes antici, saltem secundi.

Mense Oct. 1844 in formiceto ad prædium Gubbero prope Gbg. inventa. Formicetum ab inhabitatoribus (formica rufa) fere desertum, et, præter araneolam, pauca insecta aptera excipulo cribrario simul legebantur; araneolæ vitæ genus sine dubio non semper idem (?); potius credere vellem, formicetum ab araneola fortuito visitatum fuisse.

3. **H. silvicola** (Koch): thorace nudo, nitido, pedibusque pallido-testaceis, illo in vivis antice evidentius, at secundum latera obsoletius infuscato, his fusco-annulatis, vel potius subtus fusco-maculatis; abdomine fusco, dorso vitta rufo-brunnea, antice bifida, dein ad latera dentata; lateribus punctis vel maculis ejusdem coloris, hac pictura pilis crassis sive squamulis adpressis albidis plus minus dense subobtecta; tibiis anterioribus utrinque aculeis 4 (5?), metatarsisque 3, adpressis, longissimis, in seriem dispositis; oculis 4 anticis in seriem deorsum arcuatam dispositis. *Mas* palporum parte tibiali in spinam obtusam, articulo rectangulariter impositam producto.

Koch XII, p. 158, T. 482, f. 1076—77. — *Tegenaria silvicola* Walck. Apt. IV, p. 464.

Mas. Thorax longit. 1 $^1/_3$, patellæ anticæ et tibiæ conjunctim 1 $^1/_4$, posticæ cum his 1 $^1/_2$ mm.; ille tenerrimus, post mortem facile reciduus et corrugandus, ita ut impressio lateralis partis cephalicæ haud evidenter observari possit; pallidus in vivis perparum in colorem luteo-rubicundum vergens, nitidus, nudus, capite tamen pilis nonnullis fuscis induto; latera foveolis 2 et litura longitudinali, vel maculis 2—3 fuscis notata; pars cephalica tota infuscata; hæc pictura in siccatis evanescit. Oculorum ambæ series antrorsum curvatæ, antica magis curva; oculi intermedii antici minimi, ab ore et ab oculis interm. posticis subæque longe distantes, vel ab ore tam longe retracti atque efficit longitudo dupla diametri unius oculi; reliqui 6 satis magni, evidentissimi; oculi laterales antici a margine supra os non longius retracti quam efficit diameter oculi, vel eorum margo superior parum altius locatus quam margo inferior intermediorum. Mandibulæ basi haud convexæ, in toto latere antico omnino planæ, ultra duplo longiores quam altitudo facialis. Palpi colore thoracis, parte tibiali cum clava fuscis; illa apice extus in spinam rectam, obtusam, æque crassam ac basis tarsorum, et longitudine $^1/_2$ patellarum anticarum attingentem producta, pilis pluribus vestita; pars patellaris in apice superne seta erecta. Abdomen supra fuscum, vitta

in fundo aut rubicunda aut pallida notatum; hæc utrinque aut dentes breves aut arcus 5—6 emittit; dorsi color fuscus in basi saturatior, sæpe subnigricans, hic in anticam partem vittæ rubicundæ intrans, unde hæc bifida evadit; apices ramulorum furcæ e dente primo vittæ constant; hic dens plerumque a vitta disjunctus, et tunc maculam obliquam exhibet; dens secundus plerumque cum arcu adjacente confluens; tum insequitur series ex arcubus transversis, his plerumque in medio inter se confluentibus, et tunc vittam utrinque 4—5-dentatam constituentibus; vitta dorsalis et puncta, ad latera sparsa, pilis brevibus sive squamulis adpressis albidis parce induta, ut in *Amaurobio atroci.* Venter aut totus pallidus, aut anterius fuscescens, anum versus pallidus. Mamillæ breviores quam in *H. pusilla* et *pratensi*, inferiores vix paullo magis separatæ quam duæ superiores, vel æque late distantes atque efficit longitudo ipsius mamillæ, ambobus paribus conjunctim spatium subquadratum occupantibus, mamillas duas minutissimas includentibus (?); ideoque non multo magis dissimiliter constructæ sunt quam in pluribus aliis araneis; tamen respectu parvitatis araneolæ satis longæ et medium inter mamillas speciei descriptæ et *Apostení fusci* tenentes. Pedum femora subtus maculis 3, et tibiæ 2, nigricantibus notata; maculæ translucent, unde articuli, a supra inspecti, fusco-annulati esse videntur; metatarsi potius annulis 2 continuis cincti esse videntur. Aculei in tibiis anterioribus haud pluribus quam 4—5, quinto apicali, parum perspicuo (an adsit?), ideoque pauciores quam in *H. pratensi*; illorum secundus circiter 3:plo longior quam efficit longitudo diametri tibiæ; basalis apice medium tibiæ attingit vel superat, secundus $^3/_4$ vel $^5/_6$ illius articuli attingit. Si tibiæ illæ bene contemplentur, observabitur aculeus brevior et tenuior, inter secundum et tertium altius locatus; hic autem ægre et vix nisi quoad radicem crassam detegi potest. Femora et pedes de cetero ut in *H. pratensi* aculeata et setosa.

Femina pictura maris; thorax angustior, nec tam late circularis; palpi unicolores, articulo ultimo sensim ad apicem acuminato.

Tota æstate sub muscis montium et lapidum majorum, in locis montosis, sæpe in vicinitate *Amaurobii atrocis* ad Gbg. capta. Ananeola, fugaciter inspecta, facile pro pullulo illius araneæ haberi potest. In Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

VIII. APOSTENUS n.

Thorax ovatus, æqualiter convexus, nitidus et simul parce adpresso-pubescens, antice angustatus, vel $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ latitudinis mediæ partis thoracicæ; parte cephalica haud distincta. Tibiæ et Metatarsi anteriores utrinque serie ex aculeis adpressis robustis, longis, radicibus incrassatis armata. Mamillæ breves, concentricæ, nec lateralibus distantibus. Oculi 4 antici in seriem evidenter deorsum curvatam dispositi; series 4 posticorum fere paullo retrorsum curvata, saltem recta; oculi laterales, et antici et postici, majusculi, inter se distantes, vel spatio fere majore quam inter posticos et oculum adjacentem duorum intermediorum posticorum, saltem quam inter oculos laterales anticos et oculum proximum anticorum intermediorum. De cetero similis *Hahniæ,* inter quam et *Agroecam* medium tenet.

1. **A. fuscus**: pedibus pallido-brunneis, immaculatis, thorace abdomineque fuscis, hoc pone basin aut vitta utrinque dentata aut serie ex arcubus vel angulis transversis, et plerumque prope basin macula rufo-brunneis vel ferrugineis notato; hac pictura setis brevibus crassis vel squamulis tenuibus albidis rarioribus adspersa, his interdum tantum in apicibus arcuum instar punctorum remanentibus, et tunc seriem utrinque e punctis albidis formantibus; tibiis anterioribus utrinque aculeis 5 (6?) metatarsisque 3 adpressis, longiusculis armatis. *Mas* palporum parte tibiali apice in spinam acutam subflexu-

osam, longitrorsum porrectam, ipsoque membro genitali extus in spinam rectam minus acutam productis.

WESTR. Enum. Ar. p. 46.

Mas et *Femina:* quoad picturam abdominis *Hahniæ silvicolæ* (pag. 320) subsimiles. Thorax longit. $1\frac{1}{3}$, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longitudine 2 mm. vix cedunt; maris thorax antice magis angustatus, ita ut ibi dimidium latitudinis thoracis haud ut in ♀ attingere videtur; impressio lateralis partis cephalicæ vix conspicua; dorsum versus declivitatem posticam nonnihil altius, dehinc in planum rectum procurrens; superficies pube brevissima rariore vestita, et simul nitidissima. Series oculorum 4 posticorum recta, vix ullo modo arcuata; series antica evidenter deorsum arcuata, vel oculi laterales margini supra os propinqui, intermedii autem ab ore æque alte locati atque efficit longitudo dupla diametri unius oculi; hi minuti, ægre observandi; laterales antici maximi, tum laterales postici, dein intermedii postici deinceps minores, fere omnino ut in *Hahnia silvicola.* Mandibulæ ut in hac specie rectæ, vel haud convexitate ulla ultra marginem clypei supra os prominentes. Abdomen in ♂ lustrato macula basali oblonga ferruginea, an etiam in vivis?, tum serie utrinque e punctis 4—5 albidis, quoque puncto cum opposito per arcum vel angulum ferrugineum connexo; punctis iisdem ex indumento squamulæformi formatis; dorsum anterius et latera ad partem etiam hujusmodi indumento vestita erant; dorsum in ♀ uberius albido-pubescens vel squamulosum; venter pallidius rufo-brunneus (in ♂ obscurus). Pedes immaculati, rude setulosi et aculeati, ut in *Hahnia silvicola,* at numerus aculeorum in tibiis anterioribus 5(6?), et primus eorum, immo secundus longitudinem dimidiæ tibiæ haud attingunt. Femora antica ut in illa specie aculeo robusto, et sub apice setis nonnullis crassis vestita; ut femora succedentia superne aculeis 2, nonnihil longioribus quam in illa specie, vel longitudine vix aculeis tibiarum cedentibus. Setæ verticales mollissimæ et tenues, paucæ, superne in tibiis longitrorsum sparsæ adsunt. Mamillæ bre-

viusculæ, radicibus concentricæ. *Mas* in palporum parte tibiali spina acuta flexuosa nigra, nitida, apice longitrorsum secundum articulum porrecta instructus; membrum genitale, præter spinam apicalem, calcari subtilissimo laterali, ægrius observando munitum. Feminæ palporum articulus ultimus ut in *H. silvicola* acuminatus.

Ambo sexus in lapide, forsitan ad nuptias celebrandas coiti, velocisime currentes, a *Thorell* inventi; forsitan species minus frequenter obvia.

IX. ZORA Koch.

Hoc genus una cum genere *Dysdera* inter *Drassidas*, sola sunt, quorum oculi, ut in *Familiarum Sect. II:da*, aream haud latiorem quam longiorem occupant. Thorax adpresso-pubescens, late ovatus, humilis, dorso toto recto, parte thoracica transversim æqualiter convexa; frons valde angustata, latitudine non $1/3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ superante; pars cephalica per impressiones laterales leviter distincta, humilis, ita ut altitudo facialis $1/2$ tantum mandibularum longitudinis attingat; frons, ubi oculorum series antica locata est, nonnihil convexo-prominens. Oculi 4 antici, perpendiculariter et a postice inspecti, propter frontis formam in seriem recurvatam digesti, sed, ab antice contemplati, in seriem rectam digesti videntur; series postica valde recurvata; oculi laterales postici ab oculis lateralibus anticis duplo, saltem dimidio longius quam oculi intermedii antici et postici inter se distant; oculi intermedii antici a margine supra os evidenter brevius quam ab oculis intermediis posticis distant, vel clypeus vix altior quam efficit longitudo diametri unius oculi; oculi duo intermedii seriei posticæ majores quam oculi seriei anticæ, ut in *Lycosa* & *Dolomede Fam. V:tæ*, et *Textrice Fam. III:tiæ;* oculi, ab antice inspecti, in series tres transversas dispositi esse dici queant, seu ordine 4, 2, 2; series antica multo longior quam secunda, tertia duplo longior quam hæc. Mandibulæ tenuiores crassitiem femorum anticorum non attingunt. Ma-

xillæ breves, tumidiusculæ, introrsum ad apicem oblique truncatæ, vel extus sensim acuminatæ, ita ut ipse apex acutus nec obtusus vel truncatus evadat. Abdomen oblongo-ovatum, adpresso-pubescens et pilis erectis brevibus vestitum. Pedes breviusculi, femoribus anticis supra basin abrupte incrassatis; proportione 4, 1, 2, 3; tibiæ et metatarsi antici utrinque aculeis longis, in seriem dispositis, radicibus fuscis incrassatis instructa; superne pilis mollibus verticalibus paucis, longitrorsum sparsis vestita. Patellæ anticæ longiores quam $^1/_3$ tibiarum.

Secundum Dom. *Koch* ova in sacco lanato deponuntur; hic loco cuidam sub lapidibus vel aliis affigitur, ubi mater usque ad exclusionem pullorum vigilias agit. Animalculum semper inter folia et quisquilias a me inventum. *Zora* numquam ut *Lycosidæ* in locis apertis venandi causa circumvagatur, nec saccum ovorum secum trahit, qua in notis, ut et in thoracis forma et pedum armatura singulari ab araneis illius familiæ distinguitur, ad quam autem Dom. *Walckenaer* et *Koch* eam retulerunt.

Obs. Hoc genus a Dom. *Sundevall* primum in *Kongl. Vet. Acad. Handlingar* A:o 1832, p. 265, *Lycæna*, dein in *Conspect. Arachnidum* A:o 1833, p. 22, *Lycodia* appellatum est; tum a Dom. *Blackvall*, in *Brewsters Lond. et Ed. Phil. Mag.*, Vol. 3., N:o 15, p. 187, nomen in *Hecaërge* mutatum est. Dom. *Sundevall* postea, in *Årsberättelse om nyare Zoologiska Arbeten och Upptäckter*, A:is 1837—1840, Stockholm 1841, p. 340, indicavit, partim nomen *Lycænam* a *Fabricio* pro genere quodam *Lepidopterorum* assumtum esse, partim nomen *Lycodiam* erratum typographicum esse, unde, ut voluit, nomen *Hecaërge* secundum Blackvall adsumendum est. Dom. *Sundevall* autem non simul observavit, hoc nomen *(Hecaërge)* jam dudum, sive A:o 1816, a Dom. *Ochsenheimer* etiam pro genere quodam *Lepidopterorum* adsumtum fuisse, quam ob causam nomen *Zora*, a Dom. *Koch* datum, jam denique est adsummendum.

1. **Z. spinimana** (SUND.): Luteo-pallida, thorace linea marginali vittisque duabus dorsalibus fuscis; abdomine linea media punctorum, antice furcata, striolisque lateralibus ejusdem coloris, his plerumque dorsum versus densius congestis et vittam fuscam utrinque formantibus; pedi-

bus pallidis, patellis et reliquis articulis in ♀ languidius, in ♂ saturatius fuscescentibus; tibiis anticis utrinque serie ex aculeis 7, metatarsisque 3 robustis et longis instructis.

Lycæna spinimana SUND. Vet. Acad. Handl. A:o 1832, p. 265. — *Lycodia spinim.* SUND. Consp. Arachn. p. 22. — *Dolomedes Lycæna* WALCK. Apt. I, p. 348. — *Zora spinimana* KOCH die Ar. XIV, p. 102, T. 481, f. 1343— 44.

Thorax longit. 2⅓ millim.; frons haud latior quam ⅓ thoracis medii. Vitta in utroque latere dorsi thoracis æque lata ac tibiæ anticæ. Thoracis superficies, præsertim in dorso, pube albida vestita, quæ inter oculos intermedios quasi penicillum porrectum format; hic interdum detritus. Linea media in abdominis dorso postice punctis 4—5 simplicibus, anterius punctis 3—4 duplicibus continetur, his inter se sæpe connexis. Pedes posteriores aculeis pluribus sparsis, longiusculis; femora superne aculeis duobus erectis et aliis sparsis tenuioribus, femora antica præterea in latere antico aculeis 3—4, primo duplo robustiore alteris et magis oblique posito, subtusque serie longitudinali ex aculeis gracilibus, seu setis robustis armata. Aculei, sub tibiis et metatarsis anterioribus seriati, robusti et longi, radicibus incrassatis, ut nota maximi momenti sunt considerandi. Pedes, exceptis pilis depressis, aliis verticalibus paucis, superne longitrorsum sparsis vestiti; horum unus in metatarsis, apicem versus, plerumque medio retrorsum geniculatus. Femora superne plerumque striolis nonnullis fuscis ornata.

Sub foliis, quisquiliis et ad radices plantarum, in locis montosis et nemoralibus ad Gothob. frequens. In Scan. et Blek. a *Sundevall* et *Boheman* capta. In Upland., *Thorell;* in Ostrog. *v. Post.*

X. PHRUROLITHUS KOCH.

Thorax late ovatus, dorso æqualiter convexus, parte cephalica haud distincta, fronte angusta vel parum la-

tiore quam $1/3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ. Vestigium foveolæ vel canaliculæ angustæ pone medium dorsi parum distincte adest. Oculi fere ut in genere *Melanophora* dispositi, vel oculi duo laterales parum magis approximati quam oculi intermedii antici et postici inter se; hi depressiusculi; series postica subrecta, antica evidenter deorsum arcuata; oculi duo intermedii antici a margine supra os vix brevius quam ab oculis intermediis posticis distant, laterales antici majores. Mandibulæ sat tenues, quam femora antica angustiores. Maxillæ basi valde inflatæ, subsemilunatæ. Abdomen haud ut in præcedentibus pube adpressa, subopaca, sed, similiter atque in *Micaria*, pube sericea vel metallico-splendente obductum, hac brevissima, haud ultra cutem evidenter eminente, facile decidua. Pedes proportione 4, 1, 2, 3; patellæ anticæ longitudine vix $1/3$ tibiarum superant; brevissime et obsolete adpresso-pilosuli, tibiæ et tarsi superne pilis paucis verticalibus, uno alterove longitudinem diametri articuli attingente, vel præsertim in metatarsis superante, vestita; femora superne et pedes posteriores aculeo ne unico distincto instructa, quod ut nota valde characteristica est considerandum; femora antica supra basin abrupte incrassata; tarsi antici, ut in præcedentibus, scopulis vel setulis brevibus, perpendicularibus, crassis carent; tibiæ et metatarsi antici utrinque serie ex aculeis longiusculis, adpressis, radicibus horum ut puncta fusca elevata se repræsentantibus instructa.

Habitat sub lapidibus et aliis; in parte lapidum inferiore araneola, celerrime currens, plerumque deprehenditur. Nomen genericum, a φρουρός, custos, et Λίθος lapis, a Dom. *Koch* pro araneis diversis valde polymorphis usitatum, pro speciebus tantum infra descriptis ut aptissimum retinui.

1. **Phr. festivus** (Koch): Thorace supra subtusque piceo, breviter albido-pubescente; abdomine piceo-nigricante, fascia basali, in medio abrupta, aliaque in medio dorsi, hac aut continua, in medio sinuata, aut in maculas tres abrupta, colore albido-sericeis notato; pedibus pallide

rufescentibus, femoribus anterioribus superne nigricantibus, tibiis eorundem pedum subtus in utroque latere aculeis sat longis 4—5, metatarsisque 3—4, radicibus crassis fuscis instructis.

Var. a: abdominis fascia media unisinuata, continua.

Var. b: sinus fasciæ mediæ disjunctus, maculam vel lineolam liberam formans, unde dorsum quinque-maculatum evadit; maculis scilicet 2 basalibus, tum macula 1 ante medium dorsi, dein 1 utrinque, mox juxta hanc locata.

Phr. festivus Koch VI, p. 110, T. 207, f. 511—512.

Exempla detrita cum *Micaria pulicaria*, cui magnitudine subsimilia sunt, non confundenda. Ab hac specie facile distinguitur brevitate articuli tarsalis antici, qui nonnihil tantum longior est quam dimidia pars metatarsorum, nec horum longitudinem æquat; tibiæ et metatarsi antici evidenter aculeati. Thorax, præsertim in ♂, dilatato-ovatus, parum ultra 1 millim. longus, æqualiter convexus, satis humilis, antice non latior quam $1/2$ latitudinis mediæ, vel angustior, pilis nitidis, albidis, adpressis, non densis vestitus; in exemplis illæsis posterius observatur angulus, apice antrorsum versus, vel lineola utrinque, obliqua, densius pubescens. Pectus nigro-piceum. Oculi ut in descriptione speciei insequentis. Palpi maris sub apice partis femoralis tuberculo breviter pubescente præditi, ipsa pars in latere externo longitrorsum excavata, an pro receptione membri genitalis in palporum statu geniculato?; pars tibialis in latere externo in calcar falcatum longum, latiusculum, nigrum vel piceum, nitidum, laminam ordinariam lateraliter ad medium tegens producta; membrum genitale vesiculosum, subdiaphanum. Maxillæ convexæ, ad latera valde tumidæ, extus ad apicem æqualiter arcuatæ, ipso apice vix truncatæ, regione infra apicem et marginem internum nonnihil excavatæ vel impressæ. Abdomen parce pubescens, quare cutis translucens nitida videtur; supra anum sæpe observatur arcus minor vel punctum albidum; in exemplis illæsis apices fasciarum dorsalium in ventrem descendunt et cum colore

ibi albidescente commiscentur. Mamillæ pallidæ. Pectus fuscum aut fusco-nigricans. Femora, præsertim anteriora basi, apice et superne evidentius infuscata; patellæ plerumque introrsum macula fusca; tibiæ eorundem pedum subtus, in latere antico, aculeis 4, in postico 5, metatarsi in latere antico aculeis 4 et in postico 3, longiusculis vel æque longis atque efficit dupla vel dupla et dimidia pars diametri tibiarum instructa; aculei pallidi, articulo adpressi, propter radices fuscas facilius numerandi; femora antica inter medium et apicem aculeo paullo breviore quam aculei memorati, certo situ observando. Abdomen e pube adpressa, brevi, magis opacatum quam in *Phr. minimo*.

Primo vere sub lapidibus, plerumque in horum parte inferiore velocissime currentia, plura exempla quotannis lecta ad Gothoburg.; 4 Junii ambo sexus in copula deprehensi. In Scania a *Boheman* captus. In Upl., *Thorell*. In Ostrog., *v. Post*.

2. **Phr. minimus** (Koch): *Femina* thorace nudo, sub oculo bene armato quasi coriaceo, supra et subtus pedibusque rufo-castaneis; femoribus anticis superne, secundis in latere antico ad basin et apicem, palpisque, excepto articulo ultimo, nigris; abdomine nudo, nitido, nigro-fusco, puncto basali, utrinque sito, obsoletiore, unoque duobusve supra anum (secundum Dom. *Koch* præterea punctis tribus in medio dorsi) albidis notato; tibiis anterioribus in utroque latere subtus aculeis adpressis 4—5, metatarsisque 3—4, radicibus crassis fuscis, armatis.

Phr. minimus Koch VI, p. 111, T. 207, f. 518.

Femina thorace longit. 1, pedes antici $3\frac{1}{2}$, postici 4 millim. Individua, quæ secundum descriptionem Dom. *Kochii* in medio abdominis punctis tribus, præter punctum basale et supraanale, notantur, quoad hanc picturam *Phr. festivo var. b* subsimilia. Ab hac specie differt colore thoracis superiore et inferiore, ut et pedum, lætius rufo-testaceo seu castaneo. Superficies thoracis ut abdominis omnino nitida; ille in specimine lustrato nullo indumento obtectus,

erga lucem contemplatus subdiaphanus, fronte fusciore. Abdomen elongato-ovatum, piceum, basi præsertim subtus fusco-castaneum, qui color usque ultra aperturam genitalis extenditur; hac nigricante. Femora anteriora supra basin ut in *Ph. festivo* cito incrassata; nigredo femorum secundi paris consistit in macula basali et subapicali, in latere tantum antico sitis. Oculi, similiter atque in *Ph. festivo*, fere ut in *Micaria pulicaria* dispositi; h. e. oculi intermedii utriusque seriei inter se longius distant?, antici eorum supra os duplo longius retracti quam efficit longitudo tripla diametri unius oculi; laterales antici a margine supra os æque longe remoti atque efficit longitudo dupla diametri oculi; hi majores. Aculeorum numerus, longitudo et situs in pedibus anticis ut in *Phr. festivo.* Pedes posteriores, erga lucem contemplati, obsoletius adpresso-pilosi, superne tantum ut in illo pilis quibusdam subtilissimis verticalibus vestiti, his in tibiis et metatarsis deinceps longioribus, ultimo versus apicem metatarsorum 3:plo—4:plo longiore quam diameter horum articulorum; tarsi etiam pilis ejusmodi 3—4, uno longiore, vestiti.

Mense Majo sub lapide a *Thorell*, et mense Aprili in Slottskogen prope Gothob. a me captus.

XI. MICARIA n.

Quoad pubescentiam sericeam vel metallico-micantem abdominis, ut et genus vitæ subsimilis est generi *Phrurolitho*. Pedes pilis ordinariis adpressis adhuc obsoletioribus et sub lente acutissima tantum observandis vestiti. Pedes anteriores aculeis neque brevibus neque longis, at posteriorum tibiæ et metatarsi aculeis nonnullis brevibus evidentibus instructa; tibiæ et metatarsi supra pilis mollibus paucis verticalibus, longitrorsum sparsis vestita; tarsorum anticor. articul. ultimus longitudine metatarsis aut evidenter non cedit aut eos fere æquat, ambobus, simul sumtis, paullo longioribus quam patellæ conjunctim cum tibiis; quæ ambæ notæ satis characteristicæ sunt; tarsi antici parcius quam in *Drasso*

scopulati, vel setis tantum brevissimis, crassis, obtusis, verticalibus vestiti, his minus arcte congestis, vel in seriem simplicem utrinque dispositis, ita ut earum intervalla sub lente perspici possint; in mare eædem setulæ propter pilos molles perpendiculares, pro hoc sexu characteristicos, forsitan ægrius observandæ. Thorax alte convexus, subsemicylindricus, antice vel non angustior, vel paullo angustior quam in medio. Maxillæ paralleliter directæ, longitrorsum excavatæ, basi extus incrassatæ vel elevato-convexæ. Abdomen oblongum, teretiusculum. Pedes proportione 4, 1, 2, 3; tibiæ et metatarsi ordinis antici $^2/_3$ tantum eorundum articulorum ordinis ultimi attingere videntur; patellæ anticæ aut paullo longiores quam $^1/_3$, aut subæque longæ ac $^1/_2$ tibiarum. Femora quatuor anteriora supra basin abrupte incrassata. Habitatio sub lapidibus et aliis in collibus, sole radiatis. Saccus ovorum albidus, lenticularis, peripheria perpendiculari.

Obs. Nomen genericum *Macaria*, a Dom. Koch usitatum, antea a Curtis *Lepidopteris* quibusdam, dein a Dejean *Coleopteris* nonnullis tributum fuit, quam ob rem nomen in *Micariam*, a verbo *micare* sumtum, mutavi.

1. **M. fulgens** (Walck.): *Femina* capite mandibulisque cupreo-rutilanti-squamosis; abdomine fusco-viridi-sericeo, fasciis 3 rutilanti-albidis, præsertim duabus anterioribus evidentioribus et ad latera melius quam in dorso expressis; femoribus omnibus tibiisque anterioribus rufo-brunneis, harum posticis tarsisque omnibus fuscis, coxis trochanteribusque superne æneo-argenteo-squamosis, patellis tibiisque posticis conjunctim longit. $2^2/_3$ mm.; metatarsis anticis non longioribus quam tarsi; oculis intermediis posticis a lateralibus saltem non brevius, potius longius quam inter se distantibus.

Mas vide infra.

Drassus fulgens Walck. Tab. d. Ar. p. 46. — *Aran. id.* Id. F. par. II, p. 222. — *Drassus relucens* Latr. Gen. Cr. et Ins. I. p. 88. — *Clubiona formicaria* Sund. A:o 1831, p. 141. — *Dr. relucens*

[illegible]

[illegible] Pedes [illegible] inæqualiter longi; postici thorace 4plo longiores: femora illi longitudine subæqualia; pedes tertii longit. [illegible], posticorum, horum femora vix ultra ²/₃ thoracis vel femorum anticorum longitudinis. Coxæ anticæ superne squamulis [illegible]-aureis s. æneis, reliquæ cum trochanteribus squamulis argenteo-micantibus dense ob[illegible] tibiæ et tarsi posteriores

supra in exemplis recentibus linea tenui longitudinali albida notata. Femora antica aculeo versus apicem distincto, et præterea, similiter atque in reliquis femoribus, aculeo 1 basali et uno alterove, versus apicem superne sito, instructa; hi aculei propter fuscedinem femorum non nisi erga lucem discernendi; tibiæ posteriores aculeis quibusdam sparsis, diametro tibiarum brevioribus armatæ, anteriores aculeis haud ullis; metatarsi et tarsi anteriores subtus setulis brevibus obtusis, verticalibus, in seriem utrinque dispositis, non nisi sub oculo optime armato et certo lumine discernendis; patellæ et tibiæ anteriores in apice pilo verticali, diametro tibiarum duplo longiore, et posteriores præterea pilis quibusdam brevibus tarsique ejusdem ordinis extus pilis ejusmodi 4—5 vestita; patellæ anticæ longit. $1/_2$ tibiarum; ambo hi articuli conjunctim breviores quam metatarsi conjunctim cum tarsis. Femora subtus et pedes alibi pilis ordinariis haud ullis, nisi omnium brevissimis et ægre discernendis vestita.

Mas. Palpi toti ut in ♀ rufo-brunnei, parte tibiali in apice spina minuta armata, ut in ♂ *M. pulicariæ;* lamina ordinaria elongato-ovata, angusta, vel vix diametro tibiarum anticarum latiore, æque longa ac patellæ anticæ. Tibiæ et tarsi anteriores subtus pilis subtilissimis perpendicularibus, mollibus vestita (qui apud feminam desunt), quam ob causam scopulæ sive setulæ breves, seriatim positæ, in ♂ minus evidenter quam in ♀ seorsum discerni possunt. Patellæ anticæ evidentius quam in ♀ breviores quam $1/_2$ tibiarum; tarsi antici ut in ♀ longitudinem metatarsorum æquant. Mandibulæ ut in ♀ robustæ, vix angustiores quam latitudo basalis femorum anticorum, paullo longiores quam in illa, ita ut evidentius 3:plo longiores evadant quam efficit longitudo oculorum seriei anticæ. Maculæ nigræ in thorace et linea subtilis albida in pedibus posticis minus evidentes, an ad partem detritæ (?).

Sub lapidibus et ad infimos montes in collibus apricis ad Gothob. et ad prædium Särö Hallandiæ inventa. In Gottl., *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

HAHN die Ar. II, p. 55, T. 61, f. 143. — *Macaria fulgens* KOCH Uebers. des Ar. Syst. I, p. 17. — *Mac. fastuosa* KOCH VI, p. 92, T. 208, f. 498. — *Dr. fulgens* WALCK. Apt. I, p. 622, Pl. 16, f. F 5.

Femina. Thorax long. 2 1/2 mm.; pedes postici satis longi, usque 8 mm., patellis et tibiis conjunctim 2 2/3, metatarsis 1 3/4 mm.; pedes antici 5 1/2, tibiis et patellis conj. 1 2/3 mm. Thorax posterius pube cuprea vestitus. Coxæ anticæ superne, caput et mandibulæ squamulis pulchre igneo-rufescentibus, splendidissimis dense vestita. Mandibularum apices squamulis ejusmodi haud ornati sunt; in specimine lustrato (non pube detrita) observantur in dorso thoracis posterius maculæ duæ, in utroque latere sitæ, nigricantes, subopacæ. Oculorum ambæ series antrorsum arcuatæ, parallelæ; oculi intermedii antici ab ore et ab interm. posticis subæque longe distant, hi inter se remotiores quam illi, et a lateralibus posticis differentia parva longius quam inter se dissiti, vel intervallo inter illos et hos æque magno ac longitudo dupla diametri unius oculi; omnes 8 minores, ægrius observandi; oculi interm. postici sub oculo bene armato oblongi videntur, ut in plerisque *Drassis*, et maxillæ ut in illis excavatæ. Ambæ series oculorum inter se longius distant, ita ut intervallum inter oculos interm. anticos et posticos multo longius, vel duplo fere longius evadat quam efficit spatium inter posticos. Palporum pars patellaris aculeo 1, et tibialis 2 subbasalibus armatæ. Pectus et coxæ subtus squamulis subargenteis parce vestita. Abdomen oblongum, teretiusculum; fasciæ, dorsum cingentes, plerumque in medio dorsi minus evidentes, præsertim tertia, anum versus sita; basalis et media ad latera semper distinctæ et ad ventris latera continuatæ; ipse venter squamulis æneo-virentibus et rutilantibus commixtis vestitus. Pedes valde inæqualiter longi; postici thorace 4:plo longiores; femora illi longitudine subæqualia; pedes tertii longit. 2/3 posticorum, horum femora vix ultra 2/3 thoracis vel femorum posticorum longitudinis. Coxæ anticæ superne squamulis rubro-aureis s. æneis, reliquæ cum trochanteribus squamulis argenteo-micantibus dense obsitæ; tibiæ et tarsi posteriores

supra in exemplis recentibus linea tenui longitudinali albida notata. Femora antica aculeo versus apicem distincto, et præterea, similiter atque in reliquis femoribus, aculeo 1 basali et uno alterove, versus apicem superne sito, instructa; hi aculei propter fuscedinem femorum non nisi erga lucem discernendi; tibiæ posteriores aculeis quibusdam sparsis, diametro tibiarum brevioribus armatæ, anteriores aculeis haud ullis; metatarsi et tarsi anteriores subtus setulis brevibus obtusis, verticalibus, in seriem utrinque dispositis, non nisi sub oculo optime armato et certo lumine discernendis; patellæ et tibiæ anteriores in apice pilo verticali, diametro tibiarum duplo longiore, et posteriores præterea pilis quibusdam brevibus tarsique ejusdem ordinis extus pilis ejusmodi 4—5 vestita; patellæ anticæ longit. $1/2$ tibiarum; ambo hi articuli conjunctim breviores quam metatarsi conjunctim cum tarsis. Femora subtus et pedes alibi pilis ordinariis haud ullis, nisi omnium brevissimis et ægre discernendis vestita.

Mas. Palpi toti ut in ♀ rufo-brunnei, parte tibiali in apice spina minuta armata, ut in ♂ *M. pulicariæ;* lamina ordinaria elongato-ovata, angusta, vel vix diametro tibiarum anticarum latiore, æque longa ac patellæ anticæ. Tibiæ et tarsi anteriores subtus pilis subtilissimis perpendicularibus, mollibus vestita (qui apud feminam desunt), quam ob caussam scopulæ sive setulæ breves, seriatim positæ, in ♂ minus evidenter quam in ♀ seorsum discerni possunt. Patellæ anticæ evidentius quam in ♀ breviores quam $1/2$ tibiarum; tarsi antici ut in ♀ longitudinem metatarsorum æquant. Mandibulæ ut in ♀ robustæ, vix angustiores quam latitudo basalis femorum anticorum, paullo longiores quam in illa, ita ut evidentius 3:plo longiores evadant quam efficit longitudo oculorum seriei anticæ. Maculæ nigræ in thorace et linea subtilis albida in pedibus posticis minus evidentes, an ad partem detritæ (?).

Sub lapidibus et ad infimos montes in collibus apricis ad Gothob. et ad prædium Särö Hallandiæ inventa. In Gottl., *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

2. **M. pulicaria** (SUND.): *Femina* nigro-picea, pedibus palpisque pallido-rufescentibus, femoribus quatuor anterioribus totis ut et palporum parte femorali nigris; thorace in exemplis indetritis squamulis æneo-albidis parum densis vestito, his posterius in lineolas obliquas, utrinque tres, condensatis, et conjunctim fere signaturam stellatam albidam constituentibus; abdomine subpurpureo-æneo, fascia basali superiore alteraque laterali obliqua, tum fascia in medio dorsi, et denique in exemplis completis punctis nonnullis, inter fascias dorsales et anum longitudinaliter seriatis, colore niveis notato; patellis et tibiis posticis conjunctim longit. $1\frac{1}{2}$ mm.; oculis intermediis posticis a lateralibus brevius quam inter se distantibus; oculorum serie antica evidenter deorsum arcuata.

Mas vide infra.

Clubiona pulicaria SUND. A:o 1831, p. 140 (specimen detritum). — *Macaria formosa* KOCH VI, p. 97, T. 203, f. 501. — *Drassus lugubris* WALCK. Apt. I, p. 624, 14? (specimen detritum?).

Femina: minor quam præcedens. Thorax long. $1\frac{3}{4}$, pedes postici tantum $5\frac{1}{2}$, patellæ et tibiæ conjunctim $1\frac{1}{2}$, pedes antici $4\frac{1}{2}$, patellæ una cum tibiis $1\frac{1}{4}$ millim. Thorax pube albida rariore adpressa vestitus, in exemplis illæsis stellula 6-radiata albidiore posterius ornatus, radiis posterioribus plerumque remanentibus. Oculorum dispositio ab illa in præcedente aberrat; series ambæ brevius distant inter se, ita ut oculi intermedii duo ambarum serierum inter se vix distantiores evadant quam efficit latitudo areæ, quæ ab iis occupatur; series postica ad latera brevius extensa, unde oculi laterales tam prope ad intermedios locati sunt, ut distantia inter illos et hos brevior quam intervallum horum evadat. In *M. fulgente* distantia eadem paullo major est, vel æque magna ac dupla longitudo diametri unius oculi, at in *M. pulicaria* vix major est quam efficit hæc diameter. Abdomen elongatum, purpureo-aureo vel æneo-splendens, hoc colore e squamulis adpressis orto; fascia basalis brevis, in extremitate dorsi sita, angusta, albida, interdum obsoleta; fascia media totum dorsum cingit et suis

apicibus usque in latera abdominis descendit; in medio dorsi leviter sinuata esse solet; in exemplis completis præterea observatur punctum solitarium inter fasciam basalem et mediam, dein puncta 1—4 inter hanc fasciam et anum, albida, omnibus simul seriem regularem in medio dorsi formantibus. Venter squamulis cupreo- vel æneo-aureis dense obductus; ante scutula pulmonalia observatur lineola albida, quæ plerumque cum opposita inferius confluit et hic aperturam sexualem postice cingit. Pectus setis pallidis parum perspicuis, nec ut in *M. fulgente* argenteo-micantibus vestitum. Pedes pallido-rufescentes, femoribus 4 anterioribus totis nigris, patellis anticis vix longioribus quam $1/2$ tibiarum, his duobus articulis conjunctim vix brevioribus quam metatarsi et tarsi, simul sumti, his duobus inter se æqualiter longis; femora postica ut in *M. fulgente*, vix breviora quam thorax videntur; metatarsi et tarsi antici ut in illa scopulati; femora superne, tibiæ et metatarsi pedum posteriorum ut in illa aculeata; femora subtus et pedes de cetero, erga lucem contemplata, pilis ordinariis, etsi brevibus, tamen melius quam in illa discernendis (?) vestita.

Mas. Palpi rufo-picei, parte femorali nigra, parte tibiali vix paullo longiore sensimque crassiore quam pars patellaris, pilis paucis longiusculis verticalibus, et spinula apicali, extus locata, parum conspicua armata; instrumenta genitalia, bulbum vel globulum referentia, longitudine $2/3$—$3/4$ laminæ ordinariæ attingunt; bulbus cum lamina conjunctim circiter æque crassa ac tibiæ anticæ, vel multo angustiora quam femora antica. Patellæ, tibiæ et metatarsi anteriores subtus pilis mollibus verticalibus, extus reclinatis, longitrorsum sparsis vestita; hoc indumentum haud in ♀ observatur; de cetero similis feminæ.

Femina sub lapide et mas in trunnco arboris i Slottskogen prope Gothob. inventa; ad litora maris ad prædium Sårö Hallandiæ sub fucis siccatis sæpe capta. In Scan., Blek. et Oeland. *Sundevall;* in Dovrefjell, *Boheman;* in Upl., *Thorell.*

3. **M. nitens** (KOCH): *Femina* thorace nigro, nitido, pube adpressa albida parce vetito, abdomine fusco, cupreo-æneo-squamuloso, linea laterali basali punctoque supra anum albidis; pedibus testaceis, coxis cum femoribus 4 anterioribus totis (his etiam in apicibus) saturate nigris; palpis colore pedum, parte femorali infuscata; oculis intermediis posticis distinctis, a lateralibus posticis paullo brevius quam inter se distantibus, serie antica evidenter deorsum arcuata, ita ut margo superior oculorum lateralium exacte erga marginem inferiorem intermediorum situs sit. Thorax long. vix 1 mm.

Macaria nitens KOCH VI, p. 91, T. 302, f. 497.

Femina, ut videtur nuper adulta, valde similis *M. pulicariæ*, et ab hac vix alia nota distingui potest, nisi indumento abdominis magis rudiore et unicolore, ita ut hujus dorsum nullis signaturis nisi puncto supra anum albido notatum esse videatur. Juxta latera baseos lineola obliqua albida etiam adest. A *M. subopaca* mox distingui potest dispositione oculorum, colore femorum 4 anteriorum ut in *M. pulicaria* pure nigro nec nigro-piceo, pubescentia thoracis albida nec cuprea, superficieque thoracis evidenter nitida, nec subopaca.

Hæc araneola, quæ in Uplandia a *Thorell* inventa est, optime cum figura, a Dom. *Koch* loc. cit. data, congruere videtur. *M. subopaca*, infra descripta, certissime non ad eam referenda est.

4. **M. subopaca**: *Mas* nigricans, thorace opaco, pilis adpressis subcupreo-micantibus parce adsperso; oculis intermediis posticis parum eminentibus, ægerrime observandis, a lateralibus posticis evidenter brevius quam inter se sitis, oculorum serie antica parum deorsum arcuata; mandibulis nigris, nudis, palporum parte femorali femoribusque 4 anterioribus haud pure nigris sed piceis, illis et his in ipsis apicibus una cum articulis succedentibus fusco-testaceis; abdomine cupreo-squamuloso (pictura carente).

A *M. fulgente* differt, ut *M. pulicaria* et *nitens*, oculis intermediis posticis a lateralibus posticis evidenter brevius quam inter se separatis, thorace parcius pubescente, femoribus 4 anterioribus evidentius infuscatis, mandibulis nudis. Ab omnibus tribus differt oculis interm. posticis magis depressis et non nisi sub oculo optime armato detegendis. Series oculorum 4 anticorum leviter tantum deorsum curvata, ita ut margo superior oculorum lateralium exacte erga centrum, nec marginem inferiorem, oculorum intermediorum locatus evadat, vel fac, lineam transversam super illum marginem ductam esse, tunc hæc linea non libera transgredietur, sed fere dimidiam partem oculorum intermediorum desecabit. Abdomen in specimine lustrato, corrugato, non ullis signaturis notatum fuisse videtur. Palporum pars tibialis ut in *M. pulicaria* in suo apice lateris externi in spinam acutam producta; hæc spina paullo major esse videtur, æque longa atque ipse articulus. Femorum 4 anteriorum et palporum partis femoralis color fusco-piceus, nec pure niger, et non ad ipsos apices articulorum extensus.

In Ostrog. a Dom. *v. Post* inventa.

XII. DRASSUS Walck.

Thorax ovatus, dorso recto, rarius longitrorsum convexo, postice canalicula angusta, foveæ ordinariæ respondente, evidentiore; parte cephalica non distincta, fronte latitudine plerumque $1/3$—$1/2$ latitudinis mediæ partis thoracicæ. Oculi serie postica antrorsum curvata, unde oculi laterales antici et postici inter se spatio evidenter breviore quam quo oculi duo intermedii antici a posticis distant, hi duo a lateralibus posticis numquam evidenter brevius quam inter se distant, plerumque ab his longius quam inter se remoti; intermedii postici plerumque plus minus deplanati, sæpe ovati et oblique positi; quatuor intermedii aream quadratam occupant. Mandibulæ rarius crassitie femora antica attingunt, et quam patellæ anticæ rarius longiores sunt, plerumque parum vel vix crassiores quam tibiæ anticæ, quæ non ultra

3:plo longiores quam crassiores evadunt. Maxillæ parallelæ, vel in latere externo toto haud arcuatæ, plerumque ante apicem ibi paullo sinuatæ, subtus impressione ampliore instructæ. Palpi feminæ parte tibiali perparum longiore quam pars patellaris, non evidenter duplo longiore quam latiore, quæ nota, præter armaturam pedum et structuram sacci ovorum, *Drassum* a *Drassode*, illi valde propinquo, distinguit. Abdomen dorso plerumque depressiusculum, pube densa adpressa et præterea pilis erectis vestitum, his brevibus, attamen evidenter ultra cutem eminentibus, longitudine vix umquam diametrum metatarsorum superantibus. Mamillæ cylindricæ, truncatæ, inferiores longiores quam superiores. Pedes breviusculi et robusti, femoribus anticis supra basin abrupte fortiterque incrassatis; proportione 4, 1, 2, 3, vel tibiis et metatarsis posticis evidenter longioribus quam iidem articuli pedum anticorum; pedes antici et secundi subæque longi; femora tertia, immo plerumque quarta thoracis longitudinem non evidenter attingunt; patellæ anticæ longit. $^{2}/_{3}$ tibiarum; ambo articuli conjunctim paullo longiores quam metatarsi cum tarsis; iidem metatarsi breviores quam tibiæ, vel saltem non ultra duplo longiores quam efficit latitudo areæ oculorum; tibiæ et tarsi superne pilis nonnullis verticalibus longitrorsum sparsis vestita, his ultra pilos ordinarios adpressos evidenter eminentibus, pilo uno alterove sæpe tibiarum diametrum non solum attingente, sed etiam multo longiore quam hæc; tibiæ anticæ non evidenter aculeatæ, pedes autem posteriores et in tibiis et in metatarsis aculeis pluribus ad latera tantum nec superne sparsis instructi; eorundem pedum patellæ in medio lateris postici plerumque aculeo singulo; tarsi anteriores et plerumque posteriores subtus scopulati, vel setulis brevibus erectis, obtusis, robustis, dense congestis induti. Cursus animalculi celerrimus.

Saccus ovorum membranaceus, depressus, quasi e membranis duabus, peripheriis conglutinatis compositus; superne convexus, subtus planus, hic filis nonnullis solo vel alii af-

fixus, colore plerumque niveus. Mater, supra saccum sedens, usque ad exclusionem pullulorum constanter vigilias agit.

1. **D. rubrens** (WALCK.): *Femina* thorace, longit. 6 mm., pedibusque rufo-castaneis; abdomine longit. 8 1/2 mm. pube obscure plumbea, sericea obducto; metatarsis posticis evidenter longioribus quam tibiæ, aculeo uno alterove in illis longitudinem diametri tibiarum evidenter attingentibus, et diametro saltem apicis ipsius articuli fere duplo longioribus, aculeisque in tibiis longitudine diametro harum vix cedentibus; femoribus posticis long. 4, tibiis et patellis conjunctim 6, metatarsis et tarsis conj. 6 1/2, metatarsis per se 4 1/2 mm.; metatarsis et tarsis præsertim anticis saturate fusco-piceis, subtus scopulis densissimis nigricanis vestitis; tibiis anticis subtus mox pone medium aculeo 1—2 (an in apice 2 alteris, brevioribus?); apertura genitalis ovata vel obcordata, in fundo nitida, æque lata ac basis metatarsorum posticorum, striis aliquot elevatis instructa.

WALCK. Apt. 1, p. 617, 5 (sine dubio exclus. syn. *D. murini* et *cinerei* HAHN, et *Filistatæ incertæ* REUS et WIDER). — *D. montanus* HAHN die Ar. II, p. 12, T. 41, f. 108. — *D. fuscus* LATR. Gen Cr. et Ins. I, p. 87, 2 (?).

Quoad structuram partium, oculorum dispositionem et armaturam pedum valde similis *D. sericeo* (2). Ab hoc distinguitur magnitudine majore, thorace similiter ac in *D. fusco* (3) pube adpressa minus dense congesta vestito, ita ut ipsa cutis cum suo nitore ad partem perspici possit, nec omnino occultata evadat, colore pubis minus læte ex albore sericeo-splendente; palporum articulis duobus ultimis, similiter ac tarsi, saturate fusco-piceis; apertura genitali latiore, cet. — Oculorum series ut in *D. sericeo* et *fusco* paullo antrorsum curvatæ; oculi intermedii antici majores quam laterales antici, intervallo paullo majore quam inter eos et hos; intermedii postici subplani, rotundi (non ovati), inter se paullo brevius quam a lateralibus posticis distantes. Thoracis superficies, præter pubem adpressam, etiam erecto-

villosa; ejus dorsum etiam rectum et mandibulæ ad basin convexo-prominentes, crassitie minore quam femorum anticorum, perpendiculares, nec, ut contendit *Walckenaer*, porrectæ (specimen, ab illo lustratum, forsitan in parte cephalica acu affixum erat, unde mandibulæ antrorsum protusæ erant). Abdomen in exemplis 2 lustratis, in spiritu vini asservatis, et in uno siccato, latitudine 5 mm. Metatarsi postici, ut videtur, adhuc evidentius quam in *D. sericeo* longiores quam tibiæ, quæ nota una cum longitudine aculeorum in his duobus articulis speciem, similiter ac *D. sericeum* a *D. fusco* facile distinguunt. Si pedes superne sub lente inspiciantur, *D. sericeus*, ut mihi videtur, eorum superficiem e pube adpressa brevissima cinerea crebrius obductam, quasi griseo-pulveratam et subopacatam habet; in *D. rubrenti* et *fusco* autem cutis superficies minus absconditur, magisque nitida videtur (an semper ita?). Scopulæ sub tarsis anterioribus paullo densiores, magis nigricantes videntur. Pedes ut in *D. sericeo* pilosi (confer descriptionem ad *D. fucum* (3) et notam sub *D. cognato* (4). Thoracis latitudo $4^3/_4$, metatarsi et tarsi antici conjunctim 4 mm.

In insula Gottl. a studioso *Högberg*, in insula Mjörn Hallandiæ a stud. *Ljungman*, et in Ostrog. a *v. Post* inventa.

Obs. Quum *D. rubrens* et *Pythonissa lucifuga* (genus insequens, spec. 1) ad maximas species eorum generum numeranda sint, et quum Dom. *Latreille D. fuscum*, l. c., sp. 2, æque magnum ac *P. lucifugam* (*D. melanogastrem* sp. 1, l. c.) descripserit, non certo dijucandum est, an ejus *D. fuscus* huc vel ad nostrum *D. fuscum* (3) referendus sit nec ne. Dom. *Walckenaer* suum *D. fuscum*, in Apt. I, p. 617, 6, femora nigro-colorata describit (!, an varietas?, nondum a nobis inventa), ideoque synonyma, ad *Dr. fuscum* quod pertinet, valde dubia sunt.

2. **D. sericeus** (Sund.): thorace, longit. 5 mm., pedibusque rufo-brunneis, illo pallidius abdomineque fuscius dense griseo-sericeo-pubescente; metatarsis posticis evidenter longioribus quam tibiæ, aculeo uno alterove in illis longitudinem diametri tibiarum evidenter attingentibus et diametro saltem apicis ipsius articuli fere duplo longioribus, aculeisque in tibiis diametro harum longitudine

vix cedentibus; tibiis anticis subtus in medio aculeo 1 aut 2, et in apice 2, sæpe defractis; feminæ apertura genitali brevissime ovata, in fundo picea, carinulis nonnullis sive gibbo sinuato; illius latitudine vix majore quam tarsorum posticorum articulus ultimus. Maris bulbus genitalis non ulla spina sive calcari armatus.

SUND. A:o 1831, p. 136. — WALCK. Apt. I, p. 619. — KOCH VI, p. 87, T. 190, f. 457 et 458. — *Dr. quadripunctatus* (Linn.) THORELL Rec. crit. p. 89.

Tarsi anteriores quam in *D. rubrenti* et *fusco* plerumque pallidius piceo-brunnei. Pedes paullo longiores quam in *D. fusco*, ita ut postici in ♀ 15, patellæ et tibiæ conjunctim 5 1/2, metatarsi et tarsi conjunctim 5 3/4—6, metatarsi per se 3 3/4 mm. attingant. Hanc ob causam, et, si ambarum specierum feminæ inter se comparentur, *D. fuscus* pedibus paullo robustioribus instructus esse videtur; metatarsi et tarsi antici conjunctim in utraque specie longit. 3 1/2, vix 4 mm.; articulus tarsalis præsertim in *D. fusco* vix vel parum ultra duplo longior quam latior, quæ proportio forsitan propter scopulas densas erectas, subtus sitas, ita se repræsentat. Thorax in fundo, similiter ac pectus, os et pedes rufo-brunneus; ille in exemplis indetritis pube sericea densa adpressa obductus, et tam in illo quam præsertim in abdomine, quod in fundo fuscius est, pubescentia certo lumine e plumbagine vel, præsertim in thorace, e colore griseo-albido sericeo-nitens videtur. Pubescentia thoracis in *D. fusco*, ut in *D. rubrenti*, minus densa minusque albore tincta videtur; quare nitor thoracis cutis ad partem in illis perspici potest, nec ut in *D. sericeo* per pubem omnino obumbratur; an ita etiam in exemplis recentibus et vivis? Oculi interm. postici ut in *Dr. rubrenti* et *fusco* rotundi, paullo deplanati; scopulæ sub tarsis plerumque minus infuscatæ. Mas ut *D. fuscus* palporum parte tibiali non longiore quam pars patellaris, apice in latere externo in calcar robustum producta; hoc calcar æque longum ac ipsa illa pars; lamina ordinaria distincte angustior quam femora pedum anticorum, tamen æque lata ac tibiæ; uncus vel calcar in

membro genitali non ut in *Dr. fusco* adesse videtur. Aculeus in medio lateris postici patellarum 4 posteriorum, qui in *Drassis* adesse solet, evidentius perspiciendus, similiter atque in illo et nonnullis aliis, ubi non color fuscior pedum aculei observationem impedit. Defectus scuti subcordati nitidi rufescentis in abdominis basi dorsali eum a ♂ *D. fusci* mox distinguit. Variat colore thoracis et pedum saturatius fusco-brunneo. De cetero vide notam sub descriptione *D. cognati* (4).

Habitat in domibus Gothoburgi non infrequens, præsertim, ut crederem, tempore vespertino e latebris proveniens. In Scan., Blek. et Gottl. a *Sundevall;* in Upl. a *Thorell,* in Ostrog. a *v. Post* captus.

3. **D. fuscus** (LATR.?): thorace, longit. 5 $1/3$ mm., pedibusque rufo-brunneis, illius dorso recto; oculis intermediis anticis majoribus, interm. posticis rotundis, subdeplanatis, intervallo non minore quam diameter unius oculi, vel inter se paullo brevius quam a lateralibus posticis distantibus; metatarsis posticis minus evidenter longioribus quam tibiæ, aculeis in illis non evidenter diametrum tibiarum attingentibus, aculeis in his (tibiis) diametrum articuli, quo insistunt, vix attingentibus; tibiis metatarsisque anticis subtus aculeis non evidentibus, an ita semper?; abdomine griseo-nigricante. Mas abdominis basi superne scuto obcordato sive subtriangulari, castaneo, nitido, paullo duriore quam reliqua cutis ornata; membro genitali spinula adunca armato.

LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 87, sp. 2 (?, vide *Obs.* sub N:o 1 antea, sive *D. rubrente*). — SUND. A:o 1831, p. 134. — (KOCH X, p. 128, T. 357, f. 887? — WALCK. Apt. I, p. 617, 6?)

Femina a præcedentibus distinguitur brevitate aculeorum in tibiis et metatarsis posterioribus, ut et metatarsis minus evidenter longioribus quam tibiæ; aculei non solum in tibiis sed etiam in metatarsis longitudinem diametri articuli, quo insistunt, non evidenter attingunt, saltem in metatarsis non ullus eorum diametrum horum baseos evidenter

superat. Pedes paullo breviores; postici toti longit. 13, patellæ et tibiæ conjunctim 5, his ambobus articulis una cum tarsis 9 1/2, metatarsi 3 mm. Superficies thoracis (nec non abdominis?) non tam nitide ut in *D. sericeo* e pube sericeo-nitenti splendet, cute similiter ac in *D. rubrenti* pube adpressa non omnino obtecta, an etiam in vivis et exemplis completis?; tarsi antici ut in *D. sericeo* non ultra duplo longiores quam crassiores (an in *D. sericeo* paullo ultra duplo longiores?) Abdomen variat colore fusco et obscure griseo-nigricante, languidius e plumbagine micante.

Mas ab omnibus maribus *Drassorum* Sveciæ, mihi cognitis, distinguitur abdominis scuto basali, cujus præsentiam in specie extranea tantum vidi; hoc scutum antice maximam partem latitudinis dorsi occupat, dein sensim angustatum, vel ad formam subcordatum sive triangulare; superficie nitida, parce puberula; longitudine circiter tertiam partem dorsi vel paullo ultra æquans. Thorax, palpi et pedes rufo-picea, sive saturate castanea. Pedes, ut videtur, longius pilosi quam in feminis pluribus, a me lustratis; ita pili non solum sub patellis sed etiam plures sub tibiis, ex. gr., primi paris, longitudine diametrum tibiarum evidentius attingunt; et ita etiam in ♂ et ♀ *D. sericei* et in ♀ *D. cognati*. Corpus totum densius et paullo longius erecto-villosum quam in ♂ *D. sericei;* ita villi, ex. gr., in latere antico femorum 3:tii ordinis evidentius longitudinem diametri articuli attingere videntur. Hæc nota autem fortasse non ut semper constans consideranda est.

In domibus Gothoburgi rarius occurrit, an noctu tantum e latebris proveniens. Femina in Scania a *Sundevall* capta.

4. **D. cognatus**: *Femina* thorace, longit. 4 mm., summo margine laterali nigro, pedibusque rufo-brunneis; abdomine dense rufo-brunneo-pubescente; aculeis in metatarsis posticis longitudine tibiarum diametrum evidenter attingentibus, quam apex ipsius articuli, quo insistunt, fere duplo longioribus (tibiis anticis subtus aculeo nullo;

an semper?); oculis intermediis anticis differentia capillari majoribus quam laterales antici, interm. posticis planis, inter se valde approximatis; apertura genitalis magna, per plicam elevatam, ambitu subquadratam, vel formam ferri equini præposteri assimilantem inclusa, superficie inæquali, vel tubercula 4, quadratim disposita, evidentiora, et præterea punctula elevata duo, antice sita, repræsentante. Superficies thoracis pube adpressa sat densa grisescente obtecta.

(*Dr. fuscus* Koch X, p. 123, T. 357, f. 837 huc melius quam ad *D. fuscum* Latr., anne ad *D. infuscatum* referendus?).

Cave ne hanc speciem, similiter ac nonnullas insequentium, cum speciebus ullis generis *Drassodis*, præsertim *Drassode pubescente* confundas. Ab his illi distinguuntur præcipue armatura pedum. Tibiæ et metatarsi posteriores scilicet præter seriem lateralem et inferiorem, inordinate seriatas, nullis aculeis superne armata; patellæ posticæ aut tertii ordinis in medio lateris postici aculeo singulo instructæ esse solent. Palporum pars tibialis (in ♀) non duplo longior quam latior. Tarsi antici robustiores, in femina evidenter crassiores quam palpi. Saccus ovorum quam *Drassodum* aliter constructus, cet. A *D. fusco* et *sericeo* dignoscitur magnitudine minore, oculis intermediis anticis quam minime majoribus quam laterales dicendis; interm. postici valde deplanati, arctius approximati, intervallo minore quam diameter oculorum. Summus margo thoracis infuscatus seu niger, qui color saltem non in *D. fusco* adesse solet, an ita semper? — A *D. infuscato* (6) differt oculis interm. anticis paullulum majoribus, neutiquam minoribus quam laterales. Apertura genitalis in ♀ *D. infuscati*, quæ per elevationem corneam nitidam, magis latam includitur, non quadrata, sed magis oblonga, postice coarctata, disco excavato æquali nec tubercula vel impressiones repræsentante, an ita in vivis? Thoracis superficies in *D. cognato* pube grisea vel languide lutescente obtecta, ideoque minus nitida quam in *D. infuscato*, cujus thorax vix nisi pilis erectis rarioribus tantum

vestitus est. A *Drassode pubescente*, cui quoad colorem et magnitudinem sat similis est, differt notis antea memoratis.

Ad Holmiam sub cortice quercus, *Thorell*.

Nota. *D. cognatus* a præcedentibus differre videtur, præter alias notas, scopulis sub tarsis anticis multo minus densis. In illis speciebus scopulæ (in tarsis subversis comtemplatæ) creberrimæ sunt, cuteque tarsorum, seu intervallis scopularum haud perspiciendis; linea media longitudinali nuda, quæ scopulas in duas areas dividit, angustissima. In *D. cognato* autem scopulæ rariores sunt, cute seu intervallis scopularum facile perspiciendis, lineaque interjacente nuda magis latam ideoque magis nitidam se exhibente; an id etiam semper in exemplis recentioribus et vivis?

5. **D. troglodytes** (Koch): rufo-fuscus totus; oculis interm. anticis non majoribus quam laterales antici, ad hos evidenter approximatis; serie oculorum postica antrorsum arcuata, antica leviter deorsum curvata; oculis intermediis posticis evidenter ovatis, postice inter se valde approximatis; thoracis dorso, a latere inspecto, arcuato nec plano; tibiis anticis aculeo haud ullo armatis; feminæ mandibulis convexitate basali longius ultra marginem clypei prominentibus, paullo longioribus quam metatarsi antici, saltem non brevioribus quam iidem articuli tertii ordinis; quam tibiæ anticæ crassioribus. Feminæ apertura genitalis arcu tumido, diametro parum breviore quam coxæ posticæ, apicibus antrorsum verso cincta; maris palporum lamina ordinaria æque lata ac femora antica.

Koch die Ar. VI, 35, T. 189, f. 455—56.

Mas et *Femina*. Color abdominis fusco-rufescens. Oculi intermedii postici ovati et inter se arcte approximati, ut et dorsum thoracis subfornicatum ut notæ distinctivæ satis sufficiunt. Thorax longit 3 1/2, pedes postici 8 1/2—9, patellisque et tibiis conjunctim 3 mm.; pedes antici 7 1/2, patellisque cum tibiis conjunctim 3 mm.; thorax antice fere 2/3 latitudinis mediæ, et itaque ibi latior est quam in speciebus præcedentibus; color ejus in ♂ sæpe dilutius, in ♀ plerumque saturatius rufo-fuscus. Oculi intermedii postici ovati, certo lumine postice arcte approximati, interstitio ca-

pillari, at propter magnitudinem oculorum nihilo minus una cum anticis spatium satis exacte quadratum occupantes; ab anticis mediis neque longius neque brevius distant quam a lateralibus posticis; series antica paullo deorsum arcuata, oculis mediis a margine supra os non longius distantibus quam efficit spatium, quod ab iis occupatur. Mandibulæ basi convexæ, convexitate evidenter ultra marginem clypei porrectæ; in ♀ paullo longiores quam metatarsi antici, æque longæ ac tibiæ; in ♂ æque longæ ac metatarsi, in utroque sexu fere, at præsertim in ♀ longiores quam patellæ anticæ. Maxillæ ut in speciebus præeuntibus constructæ. Palporum pars femoralis et patellaris in ♂ colore pedum, partes insequentes piceo-fuscæ; pars tibialis non longior quam cubitalis, in calcar subrobustum, apice introrsum flexum, basi laminæ ordinariæ impositum finita; clava tota evidenter crassior quam femora antica; lamina, quæ bulbum genitalem obtegit, perparum longior est quam hic; hic pyriformis, extrorsum fissus, vel in mucrones duos finitus; feminæ palporum pars tibialis non distincte longior quam pars patellaris, similiter atque in reliquis speciebus et generibus 2 succedentibus, nec ut in *Clubiona* evidenter longior quam hæc pars. Abdomen maris pallidius, feminæ saturatius rufo-fuscum, anterius lineolis duabus longitudinalibus, et pone medium 4—5 obliquis, in utroque latere sitis, certo lumine evidentibus, at post mortem et exsiccationem fere evanescentibus, colore rubicundo-pallidis. Pedes dilutiores; femora superne aculeis tantum 2—4 ut in reliquis speciebus armata, quod bene est observandum; tarsi antici in ♀ evidentius, in ♂ parcius scopulati mihi videntur; patellæ anticæ longit. 3/4 tibiarum. Genitale feminæ per arcum, antrorsum versum vel in formam ferri equini obversi elevatum postice limitatum, hoc arcu, qui postice paullo impressus est, transversim spatium æque latum atque efficit longitudo coxarum posticarum occupante, et foveam profundam, vix angustiorem quam scutula pulmonalia vel quam labium includente; fovea in medio carina longitudinali munita, hac iterum longitrorsum canaliculata; color hujus carinæ ut in pedibus;

color autem arcus elevati ut in abdomine (an genitale, quod in specimine siccato lustratum est, in vivis simili modo se representat?). In medio lateris postici patellarum posticarum aculeus non ullus adest, an defractus; — Aculei in tibiis posticis saltem non superant longitudinem diametri tibiarum (?).

Mense Junio sub lapidibus ad Gbg. captus; in Upl. *Thorell.*

6. **D. infuscatus**: *Femina* thorace, longit. $3\frac{1}{2}$ mm., mandibulis pedibusque piceo-fuscis, abdomine unicolore griseo-nigricante; mandibulis non crassioribus quam tibiæ anticæ, basi mediocriter crassis vel, perpendiculariter inspectis, sua convexitate ibi parum ultra clypei marginem supra os prominentibus; subbrevibus, vel duplam longitudinem spatii, quod ab oculis 4 anticis occupatur, saltem non superantibus; thoracis dorso longitrorsum recto, sive non pone oculos intermedos posticos elevatiore quam locus, quo oculi iidem insistunt; oculis intermediis anticis non majoribus quam laterales antici; thoracis superficie nitidiuscula, indumento adpresso denso haud obducta, sed pilis tantum erectis fuscis induta.

WESTR. Enum. Ar. p. 47.

Femina adulta quoad colorem *D. fusco* (3) satis similis; specimen junius, ut videtur nuper explicatum, colorem thoracis et pedum griseo-testaceum habet. A *D. fusco* et *sericeo* (2) distinguitur, præter magnitudinem minorem, oculis intermediis anticis similiter atque in *D. troglodyte* (5) non majoribus, sed potius paullo minoribus (?) quam laterales antici, serie oculorum 4 posticorum adhuc evidentius procurva (?), spatio inter oculos posticos laterales et intermedios paullo breviore quam inter et hos interm. anticos, oculisque interm. posticis evidentius ovatis, intervallo minore, vel hoc longitudinem diametri unius oculi vix attingente. Thoracis superficies nitidior, cute pilis tantum erectis fuscis adspersa, nec simul indumento adpresso crebriore obducta. Structura

maxillarum et reliquarum partium, præter thoracis, ut in *D. troglodytes*, a quo constanter differt thoracis dorso longitrorsum non fornicato, sed recto, sive occipite non tam evidenter altius elevato quam locus, ubi oculi interm. postici siti sunt, mandibulis non crassioribus quam tibiæ anticæ, superne ad basin minus fortiter convexis, ut et colore thoracis et pedum magis fuscescente vel piceo, nec ad rufo-testaceum transeunte. Metatarsi antici prope basin subtus aculeis 2 instructi. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. $3\frac{1}{2}$, anticæ 3 mm. Abdomen ut in *Pythonissa lucifuga* (XIII, 1) griseo-nigricans, subopacum, nec sericeo-micans, mamillis pallidioribus. Locus, ubi genitale situm est, nigricans, foveam mediam ovatam vel cordatam, et in utroque latere callum nigriorem nitidum representans; ante foveam basin versus observantur rugulæ transversæ 4—5; sacci pulmonales ut thorax et pedes colorati, in specimine uno lustrato, juniore, locus idem magis pallidus erat, et in specimine eodem, satis corrugato, difficilius observandus, eamque ob causam ægrius describendus. A *Melanophora subterranea* (XIV, 1) differt colore thoracis et pedum alio, oculisque 2 intermediis posticis inter se magis approximatis, nec distantioribus quam efficit intervallum inter illos et laterales; et a *Pythonissa femorali* (XIII, 3), cujus exemplis siccatis valde similis est, dignoscitur oculorum serie postica procurva nec recurva. Mandibulæ, quæ in *D. troglodyte* longitudine patellas anticas paullo superare videntur, saltem illas non superant; ut antea dicitur, non crassiores quam tibiæ anticæ. Femina junior quoad colorem thoracis et pedum exemplis præsertim junioribus *D. troglodytis* subsimilis est, in illa oculi intermedii postici a lateralibus posticis non ut in adulta tam distincte remotiores quam inter se erant, cum oculi perpendiculariter insimulque a postice intuebantur; ab antice vero inspecti illorum margo posticus interior evidentius productus, undeque intervallum magis angustatum videbatur, an ita in vivis? In medio lateris postici patellarum posticarum aculeus in exemplis lustratis adest. Aculei in tibiis et metatarsis posticis paullo longiores quam in *D. troglodyte* vi-

dentur, vel longitudinem diametri tibiarum evidentius attingunt.

Femina adulta mense Junio prope Gbg., femina junior ad Säro Hallandiæ mense Augusto sub foliis deciduis capta.

7. **D. angustifrons**: *Mas* junior (in spiritu vini asservatus) thorace pedibusque pallido-testaceis; abdomine griseo-fuscescente; fronte non latiore quam efficit $1/_2$ latitudinis mediæ partis thoracicæ; oculorum serie antica deorsum valde curvata, ita ut margo superior oculorum lateralium non altius quam margo inferior oculorum intermediorum situs esse videatur, vel his oculis a margine supra os ultra duplo longius quam laterales remotis.

Thorax longit. $2\,1/_2$ mm.; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $2\,3/_4$, iidem articuli pedum posticorum 3 mm. Color thoracis, oris et pedum pallide testaceus, in vivis forsitan ut in *D. sericeo* et *troglodyte* brunneo-testaceus. Frons non in ullo alio *Drassorum* tam insigniter atque in nostra specie angustata; ejus latitudo non differentia quam minima major quam efficit $1/_2$ latitudinis mediæ partis thoracicæ. Oculi, ut mihi videtur, solito majores dicendi; series antica fortiter deorsum curvata; intermedii ejusdem seriei majores quam laterales, et omnium maximi (?), a margine supra os ultra duplo longius quam oculi laterales distantes; hi a margine eodem non longius remoti quam efficit longitudo diametri unius oculi; intermedii postici fere æque magni atque antici videntur, vitrei, sat reguläriter rotundi, nec ovati, convexiusculi nec evidenter depressi; series postica satis insigniter procurva, oculorum intervallis æqualibus; oculi intermedii antici inter se differentia capillari distantiores. Abdomen cinereo-fuscum. Tibiæ anticæ in latere antico, inferius, aculeo medio tenui; (in tibia dextra ejusdem ordinis adest etiam aculeus, mox pone basin situs.). Clava palporum secundum normam solida, tumida, diaphana. Mandibulæ in latere antico rectæ, basi vix convexæ, tenues, evidenter angustiores quam tibiæ anticæ.

Mense Junio sub lapide, in sæpe lapidea, ad prædium Enggården prope Gothob. inventus.

XIII. PYTHONISSA Koch.

Oculi laterales postici magis retracti quam oculi intermedii postici, quare omnes 4 in seriem evidenter retrorsum curvatam dispositi videntur, et unde etiam oculi duo laterales inter se evidenter longius quam duo intermedii antici a posticis distant; oculi intermedii postici a lateralibus posticis longius quam inter se distant. Maxillæ in latere externo toto arcuatæ, ad formam semilunatæ, labium arcte cingentes, disco excavatæ. Partes omnes reliquæ ut in *Drasso*. — *P. maculata (nocturna Linn.)* et *variana Koch* sub genere *Melanophora* XIV quærendæ sunt.

1. **P. lucifuga** (Walck.): *Femina* nigricans, pedibus rufofuscis, thoracis dorso recto, frontis latitudine $^2/_3$—$^3/_4$ medii partis thoracicæ; oculis 2 intermediis anticis paullo minoribus quam laterales, his a margine supra os vix longius distantibus quam efficit longitudo diametri unius oculi, vel saltem non dimidio longius retractis; thoracis longit. $5\,^1/_2$—6 millim. Variat thorace pedibusque rufobrunneis.

   Ar. lucifuga Walck. F. par. II, p. 221. — Latr. Hist. nat. Tom. 7, p. 225. — *Ar. melanogaster* ib. p. 222. — *D. lucifugus* Walck. Tab. d. Ar. p. 45. — *D. melanogaster* Latr. Gen. Cr. et Ins. I. p. 87. — Hahn die Ar. II, p. 11, T. 41, f. 102. — *D. lucifugus* Sund. 1831, p. 138. — Walck. Apt. I, p. 613. — *Pythonissa lucifuga* Koch die Ar. VI, p. 54, T. 194, f. 468—470 (color pedum nimis rubicundus).

Pedes postici longit. 15, antici 13 mm., patellæ una cum tibiis posticis conjunctim 6, cum anticis $5\,^1/_2$ mm.; tibiæ anticæ interdum aculeo 1 pone medium, interdum non nisi in apice aculeis ullis armatæ; metatarsi subtus inter basin et medium aculeis duobus, transversim positis. Oculi intermedii antici a margine supra os et ab intermediis posticis

æqualiter distant; hi subovati, oblique positi, intervallo dimidio angustiore quam inter illos et laterales posticos. Thoracis latera sulculis 3—4 vadosis, præsertim in siccatis evidentioribus, transversim oblique ductis; juxta summum marginem totum adest linea impressa, tenuissima; nonne potius ipse margo reflexus? — Abdomen aut nigrum aut subfuscum, sæpe nigro-grisescens. Saccus ovorum niveus, magnus, valde depressus, longitudine diametri usque 16 mm. Propter dispositionem oculorum 4 posticorum in lineam recurvam facillime distinguitur ab illis generis *Drassi* et *Melanophoræ*, qui aut magnitudinem aut colorem subæqualem habent.

Habitat sub lapidibus ad Gothob.; in Scania et Blek. a *Sundevall*, in Bahus. et Upland. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* capta.

2. **P. lugubris** (Koch?): *Femina* thoracis dorso recto; mandibulis pedibusque rufo-fuscis; abdomine griseo-nigricante; thoracis longitudine $4^3/_4$—5 mm., patellis et tibiis posticis conjunctim $3^3/_4$—4, metatarsis et tarsis conj. $4^1/_2$—5 mm.; oculis minoribus, lateralibus anticis a margine supra os saltem non brevius remotis quam efficit longitudo spatii, quod ab iis et oculo proximo intermediorum anticorum occupatur.

Pythonissa lugubris Koch VI, p. 60, T. 195, f. 473?

Exempla, in spiritu vini asservata, quoad colorem *Drasso fusco* et *sericeo* simillima, a quibus facile distinguitur serie oculorum 4 posticorum non antrorsum sed retrorsum curvata, vel oculis duobus lateralibus et oculo proximo intermediorum posticorum aream triangularem æquilateram occupantibus, similiter ac reliquæ species hujus Generis. Oculi 4 antici ut in *P. lucifuga* magnitudine parum inæquales, vel duo intermedii haud ut in speciebus memoratis majores, potius paullo minores quam laterales. (Oculi laterales antici a margine supra os, sub oculo bene armato inspecti, paullo distantiores mihi videntur, ita ut spatium non multo brevius quam dupla longitudo diametri unius oculi

videatur, vel saltem æque magnum ac spatium, quod ab iis et oculo proximo intermediorum anticorum occupatur; in *P. lucifuga* oculi illi ad summum dimidio longius, quam efficit illa diameter, ab ore distant; vel spatio hocce, bene inspecto, fere minus quam quod ab oculo illo et proximo occupatur; oculi iidem in *P. lucifuga* paullo evidentius, at in *P. lugubri* minus evidenter majores quam intermedii esse dici queant?). — Thorax posterius, exceptis pilis brevibus verticalibus nigris, pube adpressa densiore luteo-brunnea indutus, quæ in *P. lucifuga* sub oculo armato obsoletissima videtur. Thorax omnino ut in illa constructus, frontis latitudine $^2/_3$ medii partis thoracicæ, dorso longitrorsum recto; ille et mandibulæ piceo-brunnea; palpi et pedes pallidius ita colorati, similiter ac juniores vel nuper exclusi *P. lucifugæ*. Mandibulæ ad basin convexiores videntur, convexitate, perpendiculariter inspecta, evidentius ultra marginem clypei porrecta. Exempla tria lustrata, omnia genitali explicato, minora quam *P. lucifuga* erant. Pedes omnino ut in illa aculeati. Abdomen in fundo griseo-nigricans, crebre nigro-punctatum, quæ puncta certe in vivis non observari possunt.

Ad Dovrefjell in Norvegia a *Boheman* inventa.

3. **P. femoralis** (Wider): *Femina* thorace, pedum patellis et articulis succedentibus rufo-fuscis, coxis femoribusque læte rufo-testaceis, abdomine nigricante; thoracis longitudine $3\,^1/_3$ mm.

Filistata femoralis Wider Mus. Senck. I, p. 206, T. XIV, f. 5. — *D. bicolor* Hahn die Ar. I, p. 128, T. 36, f. 94, ♂ junior (?). — *Pythonissa fusca* Koch VI, p. 56, T. 145, f. 471 (?) (nomen *P. occulta*, in Tabula inscriptum, est lapsus calami, et quod nomen ad f. 472 pertinet; vide corrigenda in pag. 58. Exempla svecica minora sunt, vel æque parva ac *P. occulta*, f. 472.). — *D. nocturnus*, var. c, Sund. A:o 1831, p. 136.

Omnes partes ut in *P. lugubri* fere constructæ; tibiæ anticæ haud ut in *P. lucifuga* subtus pone medium aculeo ullo præditæ; aculei autem sub metatarsis duo, mox ante

medium, transverse positi, evidentes. Pedes antici longit. 6 1/2, postici 8 mm. Thoracis superficies satis nitida, haud opaca, pilis paucis erectis vestita. Oculi intermedii antici ab ore paullo longius quam ab intermediis posticis distant, vel æque longe atque efficit longitudo tripla diametri unius oculi, vel etiam ac spatium, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur (?); oculi laterales antici ab ore evidenter æque longe dissiti atque efficit longitudo dupla diametri oculi. Palpi colore femorum, extus fusci. Coxæ et præsertim femora in exemplis adultis læte rufescentia, patellæ et insequentes partes brunneo-fuscæ; in junioribus sunt femora potius pallide rufescentia, vel brunneo-testacea, patellæ et insequentes articuli obscuriores. Mandibulæ ut in *P. lucifuga* basi parum convexæ videntur. Dorsum thoracis longitrorsum paullo convexius quam in *P. lugubri* videtur.

Mense Augusto sub quisquiliis et foliis deciduis ad Prædium Särö Hallandiæ capta; semel sub fucis ad litora ibidem inventa. In Upl., *Thorell.*

4. **P. fumosa** (Koch): *Mas* et *Fem.* subadulta thorace abdomineque unicolore fusco-nigricantibus; femoribus pallido-infuscatis, non colore rufo-testaceo tinctis, metatarsis cum tarsis rufo-brunneis seu piceis; thoracis longitudine 2 1/3 mm.

Koch die Ar. X, p. 118, T. 356, f. 832.

Thorax in exemplis lustratis longit. 2 1/3 mm.; pedes antici 6 mm.; hæ ambæ partes in adultis sine dubio haud magnitudinem earundem partium *P. femoralis* superant. Animalculum, obiter inspectum, quoad colorem in vivis *Melanophoræ subterraneæ* (XIV, 1) subsimile, at color haud saturate nigricans, sed griseo-nigricans s. luridus; series oculorum postica haud subrecta, sed retrorsum arcuata; structura maxillarum alia, forma harum scilicet lunata nec subrecta. A *P. femoralis* exemplis junioribus, quæ colorem femorum sæpe minus læte rufescentem habent, ægrius distinguitur;

[illegible] in

[illegible] nec

[illegible] nigro-

[illegible] rufo-

[illegible] quam

[illegible] aculeos

[illegible] armati esse.

[illegible] nigricanti-

[illegible] videtur, di-

[illegible] medio,

[illegible] latitu-

[illegible] in P.

[illegible]

[illegible] at fusca maris

[illegible] versus finem

[illegible]

[illegible] Latr.

[illegible] intermedios [illegible] dispositi esse [illegible] se igitur vix [illegible] antieos; oculi [illegible] posticæ, [illegible] magis quam [illegible] spatium inter [illegible] quam inter [illegible] postici [illegible] magis con- [illegible] latior quam [illegible] Maxillæ [illegible] minus va- [illegible] sunt *Drassi*, [illegible] Partes omnes reliquæ [illegible]

* [illegible], maxime dominans, niger thorace abdomineque unico- [illegible]

1. **M. subterranea** (KOCH): *Femina* nigra, palporum parte femorali pedumque anteriorum femoribus plus minus testaceo-diaphanis, metatarsis piceo-nigris, tarsis rufo-piceis, præsertim basin versus evidentius hoc colore pictis; maxillis apice introrsum obtuse truncatis, ibique non angustioribus quam in medio, pone apicem in latere exteriore paullo sinuatis; thoracis longitudo 3 millim.

KOCH VI, p. 85, T. 201, f. 491—92. — *Drassus nocturnus var. a* SUND. A:o 1831, p. 136.

Simillima *M. petrensi* (2), a qua constanter distinguitur femorum anticorum colore luteo-testaceo, qui saltem in exemplis siccatis, erga lucem contemplatis, translucet; femora secunda etiam eodem colore, at plerumque minus late picta. Thorax longit 3—3½ pedes postici 8—9 mm., vel corporis magnitudine fere ut in *D. troglodyte* et *Pythonissa femorali*. Thorax antice angustatus, fronte ½ latitudinis mediæ partis thoracicæ; dorso recto, non longitrorsum convexo, pilis verticalibus non crebris vestito; superficie tota subopaca. Oculi laterales antici majores, a margine supra os æque longe retracti atque efficit longitudo diametri unius oculi, vel paullo ultra. Maxillæ non ut in *Mel. variana* (5) maxima parte subtus excavatæ, sed a basi ultra medium magis convexæ, tum apicem versus oblique impressæ vel excavatæ; ut in hac specie et *D. fusco*, *sericeo* etc. paralleliter porrectæ, non in latere externo toto arcuatæ, neque apicibus circa apicem labii convergentes; apices introrsum late truncati, nec ut in *M. petrensi* fere regulariter acuminato-rotundati. Femora ut in nonnullis præcedentium superne aculeis 2—3 longis, erectis; tibiæ et tarsi posteriores evidenter aculeati., at tibiæ anteriores, erga lucem contemplatæ, non ullos aculeos repræsentant, nisi interdum unum in medio; patellæ anticæ longit. ¾ tibiarum; tibiæ et tarsi superne etiam pilis nonnullis verticalibus longissimis vestiti, pilo uno in apice patellarum et tibiarum longitudinem fere triplam, saltem duplam et dimidiam diametri tibiarum apicis attingente, vel æque longo ac patellæ vel tarsi. De structura genitalis vide descriptionem *M. petrensis*.

tamen est color horum articulorum in illa specie, tam in vivis quam in siccatis, semper pallidior, rubedine tinctus, nec infumatus. Color abdominis variat jam nigro, jam nigro-brunneo; tibiæ saturatius infuscatæ; metatarsi cum tarsis rufo-brunnei s. picei. Propter fuscedinem femorum ægrius quam in *P. femorali* videntur hi articuli tertii ordinis, præter aculeos 2—3 superiores, etiam aculeis duobus lateralibus armati esse. Cum pullulis *P. lucifugæ*, colore minus saturate nigricantibus, haud confundenda. Illa species, ut mihi videtur, distinguitur latitudine frontali $^3/_4$ thoracis latitudinis mediæ, vel ultra, at in *P. fumosa* frons haud ultra $^1/_2$ hujus latitudinis attingit. Superficies thoracis nonnihil nitida ut in *P. femorali*, nec opaca ut in *P. lucifuga*.

Initio Augusti sub fucis et quisquiliis ad litora maris ad Särö Hallandiæ inventa. Juniores forsitan versus finem ejusdem mensis explicantur.

XIV. MELANOPHORA Koch.

Oculi laterales postici exacte erga oculos intermedios posticos siti, quare omnes 4 in seriem rectam dispositi esse videntur; oculi laterales postici et antici inter se igitur vix magis approximati quam intermedii postici ad anticos; oculi duo intermedii tam seriei anticæ quam præsertim posticæ, ab antice contemplati, ad laterales paullulum magis quam inter se approximati, eamque ob causam spatium inter oculos posticos laterales et intermedios brevius quam inter hos et interm. anticos esse videtur; oculi interm. postici inter se paullulum remotiores quam antici; oculi magis concentrici, ita ut area, quam occupant, vix duplo latior quam longior evadat. Maxillæ ad structuram plus minus variant; in nonnullis speciebus illæ subsimiles sunt [illegible] in aliis *Pythonissæ* generis maxillis. Partes omne[illegible] ut in his duobus generibus.

* Color, maxime dominans, [illegible] loribus.

1. **M. subterranea** (Koch): *Femina* nigra, palporum parte femorali pedumque anteriorum femoribus plus minus testaceo-diaphanis, metatarsis piceo-nigris, tarsis rufo-piceis, præsertim basin versus evidentius hoc colore pictis; maxillis apice introrsum obtuse truncatis, ibique non angustioribus quam in medio, pone apicem in latere exteriore paullo sinuatis; thoracis longitudo 3 millim.

Koch VI, p. 85, T. 201, f. 491—92. — *Drassus nocturnus var. a* Sund. A:o 1831, p. 136.

Simillima *M. petrensi* (2), a qua constanter distinguitur femorum anticorum colore luteo-testaceo, qui saltem in exemplis siccatis, erga lucem contemplatis, translucet; femora secunda etiam eodem colore, at plerumque minus late picta. Thorax longit 3—3 ½ pedes postici 8—9 mm., vel corporis magnitudine fere ut in *D. troglodyte* et *Pythonissa femorali*. Thorax antice angustatus, fronte ½ latitudinis mediæ partis thoracicæ; dorso recto, non longitrorsum convexo, pilis verticalibus non crebris vestito; superficie tota subopaca. Oculi laterales antici majores, a margine supra os æque longe retracti atque efficit longitudo diametri unius oculi, vel paullo ultra. Maxillæ non ut in *Mel. variana* (5) maxima parte subtus excavatæ, sed a basi ultra medium magis convexæ, tum apicem versus oblique impressæ vel excavatæ; ut in hac specie et *D. fusco*, *sericeo* etc. paralleliter porrectæ, non in latere externo toto arcuatæ, neque apicibus circa apicem labii convergentes; apices introrsum late truncati, nec ut in *M. petrensi* fere regulariter acuminato-rotundati. Femora ut in nonnullis præcedentium superne aculeis 2—3 longis, erectis; tibiæ et tarsi posteriores evidenter aculeati., at tibiæ anteriores, erga lucem contemplatæ, non ullos aculeos repræsentant, nisi interdum unum in medio; patellæ anticæ lon[illegible] ¾ tibiarum; tibiæ et tarsi superne etia[illegible] nonnullis [illegible] ticalibus longissimis vestiti, pilo uno [illegible] patellarum [illegible] tibiarum longitudine fere [illegible]

Sub lapidibus ad Gothob. frequenter capta. In Dovrefjell a *Boheman*, in Scania a *Sundevall*, in Upl. a *Thorell* capta.

2. **M. petrensis** (KOCH): *Femina* nigra, etiam in totis femoribus anticis; metatarsis fuscius, tarsis pallidius rufo-brunneis; maxillis apice introrsum sensim truncatis, vel toto apice sensim acuminato-rotundatis, hic fere angustioribus quam in medio, pone apicem in latere exteriore vix sinuatis, sed toto hoc latere fere regulariter arcuatis; thoracis longit $2\frac{1}{2}$ millim.

KOCH VI, p. 89, Tab. 202, f. 494 & 495 (ubi nomen *M. pratensis* forsitan per lapsum calami vel erratum typographicum inscriptum est).

Simillima *M. subterraneæ*, a qua constanter differt femoribus anticis concoloribus et præterea magnitudine paullo minore. Thoracis longitudo vix ultra $2\frac{1}{2}$ mm., pedes postici circiter 7, horum patellæ et tibiæ conjunctim $2\frac{1}{2}$ mm. Coxæ subtus in exemplis siccatis piceæ vel testaceæ. Spatium inter scutula pulmonalia, sive valvula, quæ aperturam genitalem tegit, tota rufo-brunnea, glabra, nitidissima, postice excavata, hic callo parvo elevato, et antice arcubus duobus elevatis, uno juxta alterum transversim positis, convexitate antrorsum versis instructa, horum apicibus internis angustioribus, paullo longioribus, externis latioribus, brevioribus; tota valvula per rimam ab intervallo inter illam et scutula pulmonalia disjuncta, hoc intervallo angustissimo. In *M. subterranea* observantur nullæ aliæ elevationes quam quæ e margine eminente, excavationem lateraliter ambiente, oriuntur; hic margo sulculum rectum format; in valvulæ antica parte nullæ elevationes arciformes glabræ observari possunt; tota valvula magis longa quam lata, at in *M. petrensi* saltem æque lata ac longa esse dici queat, latitudo ejus fere æque magna ac longitudo coxarum posticarum, an ita etiam in exemplis vivis (?). Maxillarum forma, ut mihi videtur, nonnihil dissimilis est, ut antea indicavi; an

hæc nota ut constans sit consideranda. De cetero similis *M. subterraneæ*.

Sub lapidibus ad Gbg. inventa; in Upl., *Thorell*.

3. **M. pusilla** (KOCH): *Mas* junior niger, metatarsis tarsisque flavescentibus seu ochraceis, posterioribus in colorem rufo-brunneum transeuntibus; thoracis longitudine 1 1/2—2 mm.

KOCH VI, p. 90, T. 202, f. 496.

Quam *M. petrensis* minor. Ab hac distinguitur præterea colore metatarsorum et tarsorum lætiore, qui magis in flavum vel ochraceum quam in rubicundum seu fuscum transit; color utrorumque articulorum similiter atque in duabus speciebus præcedentibus secundum ordinem pedum deinceps saturatior evadit, ita ut tarsi antici læte flavescentes seu ochracei, tum secundi, tertii et quarti gradratim obscurius colorati evadant, ideoque sunt tarsi postici luteo-brunnei seu rufo-picei. Maxillæ ut in *M. petrensi* constructæ videntur. De cetero sunt omnes partes similes atque in hac; femora antica autem in specimine lustrato, corrugato, non evidenter luteo-diaphana videntur; an semper (?).

Sub lapidibus ad prædium Jousered prope Gothob., in Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* capta.

** Color varius, abdomine albo-maculato.

4. **M. nocturna** (LINN.?): nigricans, cephalothorace, excepto capite, abdominis macula basali lunata, punctisque duobus in medio dorsi et totidem supra anum, transversim positis, albido-sericeis; tibiis anterioribus subtus aculeis evidentibus; distantia inter os et oculos intermedios anticos non breviore quam spatium, quod ab oculis seriei anticæ occupatur, vel horum 2 intermediis ab ore 4:plo longius distantibus, quam efficit longitudo diametri unius oculi; tibiis anticis subterius evidenter aculeatis.

Aranea nocturna LINN. S. n. Ed. 12, p. 1033, 21, et Faun. sv. p. 489 (?). — *Filistata maculata* WIDER Mus. Senck. I, p. 205, T. 14, f. 4. — *Pythonissa idem* KOCH VI, p. 61, T. 196, f. 474 et 475. —

Drassus nocturnus var. b SUND. A:o 1831, p. 186. — *D. maculatus* WESTR. Enum. Ar. p. 47. — *Pythonissa nocturna* THORELL Rec. crit. p. 87.

Femina. Thorax longit. vix ultra 2 mm. Pedes antici 5½—6, patellæ et tibiæ conjunctim 1¾—2, pedes postici 6½—7, patellæ et tibiæ conj. 2¼—2½ mm. Thorax postice latiusculus, vel triplo latior quam frons; sæpe detritus, et colore tunc in fundo plerumque saturate rufo-piceo; pubescentia albida in thorace et abdomine sæpe flavedine tincta, vel pube hujus coloris mixta, at numquam (?) tam saturate et læte atque in figura *Kochii.* Maxillæ apice oblique leviter impressæ, ipso apice minus truncatæ, et magis circa labium arcuatæ; fere ut in *Pythonissa lucifuga* constructæ, si impressionem vel excavationem insigniorem excipiamus; versus basin satis tumidiores videntur. Sub tibiis anterioribus in utroque latere observantur aculei 2—3; metatarsi aculeis 2 pone basin et 2 juxta apicem armati, aculeis, præsertim in tibiis satis patentibus nec adpressis; quæ armatura ut nota majoris momenti consideranda est. Tarsi antice minus dense scopulati. Coxæ et femora posteriora supra subtusque piceo-testacea; horum apex et tibiæ eorundem pedum, ut pedes anteriores, nigra. Venter pube vel squamulis rarioribus luteo-subænescentibus vestitus. Ut mihi videtur, est palporum pars ultima magis subulata, vel a basi ad apicem sensim acuminata, at in reliquis speciebus illa maxima parte linearis est, at tamen apicem versus obtuse citiusque attenuata; pars penultima non multo longior quam latior videtur. Oculorum series postica non, ut contendit Dom. *Koch,* retrorsum arcuata, sed recta, ut in speciebus, quæ ad ejus genus *Melanophoram* relatæ sunt. Oculorum series antica quam in his fortius deorsum arcuata, vel margine superiore oculorum lateralium vix altius quam margo inferior intermediorum duorum sito. Numerus saccorum ovorum variat ab 1 ad 5, vel plures; illi sibi invicem affixi, e membrana nivea contexti, longitudine diametri eorum 5—6 mm.; color ovorum lutescens.

In collibus apertis non raro capta ad Gbg. In Gottl., *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

Obs, D. nocturnus, a Dom. *Walckenaer* in Apt. I, p. 615 descriptus, magnitudine 7 lin. paris. attingens, mihi species ignota est, ab eo fortasse non sine jure ad *Ar. nocturnam* veram *Linn.* relata. *Linnæus* suam araneam totam in fundo corporis nigram describit, et de præsentia picturæ albidæ supra anum ab eo, similiter atque a *Walckenaer*, nihil meminitur; an re vera alia species? Interea nomen *Linnæanum* retinui. Species eadem, similiter ac *M. variana*, a Dom. *Koch* ad Genus *Pythonissam* relata est, sed non jure, nam dispositio oculorum longe alia est, scilicet similis atque in genere ejus *Melanophora.* Maxillæ quidem in illa fere similiter ac in *Pythonissa* constructæ sunt; in *M. variana* autem illæ ut in genere *Drasso* sunt constructæ. *Mel. subterranea* et *petrensis* structura maxillarum etiam inter se paullo discrepant. Quum igitur character trivialis harum specierum Drassiformium, ad partes oris quod attinet, valde vacillans sit, melius esse putavi, species, dispositione oculorum eadem habentes, sub unum idemque genus redigere, quam ut eas in genera 4—5 distribuere.

5. **M. variana** (Koch): *Femina* thorace, coxis, patellis, tibiis tarsisque rufis; capite antice, femoribus abdomineque nigris, hoc supra albo-fasciato punctatoque; tibiis anterioribus subtus aculeo apicali solitario; maxillis parallelis, extus latioribus quam in medio, late excavatis, juxta apicem in latere externo paullo sinuatis.

Pythonissa variana Koch die Ar. VI, p. 65, T. 197, f. 478. — *D. nocturnus var. c.* Sund. A:o 1831, p. 136,? (synon. haud certum, nam aranea *Kochiana* non in collectione *Sundevallii* adest, ubi *D. femoralis*, sive *var. c, abdomine unicolore*, tantum asservatur.

Statura *M. subterraneæ.* Thorax, longit. 3 mm., antica parte nigricans, de cetero in vivis miniatus vel coccineus. Oculi fere ut in ea specie, at laterales antici a margine supra os fere tam longe distant atque efficit longitudo dupla diametri unius oculi, et oculi intermedii antici ab ore magis evidenter æque longe retracti atque efficit longitudo spatii, quod ab oculis tribus seriei anticæ occupatur; an id a me recte visum? Maxillæ usque a basi interna oblique ad apicem externum excavatæ, basi externa vix vel parum convexæ, latere externo non æqualiter arcuato, sed ante apicem

paullo introrsum sinuato, ideoque similiter atque in Genere *Drasso* constructæ sunt. Abdomen notatur fascia transversa basali, dein punctis duobus, mox pone hanc transversaliter positis, tum in medio fascia altera transversa, medio abrupta, et denique supra anum macula, colore albidis; fascia nec basalis nec media latiores quam tibiæ posticæ. Tarsi antici evidenter scopulati. Palporum pars femoralis nigra, reliquæ partes rufo-piceæ. Aculeus in apice tibiarum anteriorum et aculei plures sparsi in tibiis et metatarsis posterioribus facillime observandi, quod e colore pedum lætiore pendet; hanc ob causam etiam aculeus medius lateris postici in patellis 4 posterioribus evidenter observari potest.

Mense Julio ad prædium Steka, prope Gothob., in collo silvatico semel tantum femina capta. Species, ut videtur, rarius occurrit. In Upl., *Thorell*.

XV. DRASSODES n.

Thorax antice parum angustior quam $^3/_4$—$^5/_6$ latitudinis mediæ, dorso longitrorsum convexo. Abdomen pilis erectis brevioribus, minus evidenter ultra cutem eminentibus vestitum. Oculi 4 intermedii aream quadrangularem, magis longam quam latam occupant, serie postica antrorsum arcuata, simulque oculis 2 intermediis posticis a lateralibus posticis multo longius quam inter se distantibus, et in plerisque speciebus ab iisdem oculis evidenter longius quam ab interm. anticis locatis. Mandibulæ præsertim in ♀ plus minusve crassiores, vel evidenter æque crassæ ac femora antica, in utroque sexu semper evidenter crassiores quam tibiæ anticæ. Maxillæ ut in genere *Drasso* (XII), ante apicem angustatæ simulque subtus excavatæ. Palpi in ♀ (etiamque in masculis aliquot) parte tibiali duplo fere longiore quam pars patellaris, et duplo longiore quam latiore, ambabus conjunctim longioribus quam pars ultima; maris palporum lamina ordinaria, membrum genitale superne omnino tegens, parum latior quam pars patellaris. Pedes minus robusti et breves, ita ut tibiæ anticæ

4:plo longiores quam crassiores, et 2:plo fere longiores quam patellæ evadant; femora 4 anteriora superne aculeis 3—4, femora 4 posteriora aculeis 6—7 sparsis; tibiæ anticæ pone medium in latere antico aculeo 1; tibiæ et tarsi posteriores aculeis pluribus sparsis armata, aculeis in his tibiis non solum ut in *Drasso* in lateribus, sed etiam supra locatis; horum scilicet in tibiis tertiis 1 pone basin, in quartis præterea 1 pone medium sitis; patellæ posteriores in medio lateris postici aculeo haud ullo. Ova asservantur in sacco membranaceo, subruguloso, et simul laxo, unde ille, leviter tantum attactus, formam variam facile adsumit; in statu quieto lenticularis; ille in folliculo magno, a matre inhabitato, seorsum asservatur.

1. **D. lapidicola** (Walck): *Femina* thorace obsolete pubescente, anguste nigro-marginato, pedibusque rufo-testaceis; abdomine ovato dense rufo-brunneo-pubescente, unicolore; fronte, mandibulis pectoreque rufo-piceis; mandibulis saltem æque longis ac metatarsi antici, et quam patellæ anticæ multo longioribus. Thorax longit. 6, pedes postici 13—14, patellæ et tibiæ ejusdem ordinis conjunctim $5\frac{1}{2}$ millim.

Mas thoracis longitudine 5 mm., mandibulis æque longis, immo paullo longioribus quam pedum anticorum metatarsi, et quam tarsi, vel quam palporum pars patellaris et tibialis, simul sumtæ, dimidio longioribus; ut in ♀ multo longioribus quam patellæ anticæ; palporum parte tibiali in apicis latere externo spina minore; patellis posticis et tibiis conjunctim longit. $4\frac{2}{3}$ mm.

Ar. lapidicola (lapidosa) Walck Fn. Par. II, p. 222, et *Clubiona lapidicolens* Tabl. p. 44, 12. — *Club. lapidicola* Latr. Gen. Cr. et ins. I, p. 91, 1. — Sund. A:o 1831, p. 139. — Hahn die Ar. II, p. 9, T. 49, f. 100. — *Cl. lapidicolens* Walck. Apt. I, p. 598. — *Drassus lapidicola* Koch VI, p. 28, T. 187, f. 450—51.

Pedes postici in ♀ longit. 13—14, patellæ et tibiæ conjunctim $5\frac{1}{2}$ mm.; pedes antici 12—13, patellæ et tibiæ conj. usque $9\frac{1}{2}$ mm.; horum pedum art. metatarsalis $2\frac{2}{3}$, tar-

salis circiter 2 mm.; art. tarsalis multo gracilior quam, ex. gr., in *Drasso fusco* et *sericeo*, vel 4:plo longior quam crassior; patellæ subtus non longiores quam $\frac{1}{2}$ tibiæ. Pedes maris paullo longiores. Mandibulæ feminæ evidentius crassiores quam femora antica; in ♂ vix crassiores quam hæc, et simul fere triplo longiores quam crassiores. Palporum pars tibialis evidenter duplo longior quam crassior; maris in apice extus spinula brevissima acuta instructa; lamina ordinaria angusta quam pars tibialis parum et quam tibiæ anticæ non latiore, immo paullo angustiore. Thoracis margo summus nigricat. Caput in vivis certo lumine e cœruleo resplendit. Oculi 4 antici in seriem paullo deorsum arcuatam dispositi, inter se magnitudine vix discrepantes, et intermedii inter se parum, immo vix distantiores quam a lateralibus; ab ore oculi intermedii paullo brevius quam ab interm. posticis distant, distantiæ spatio dimidio majore quam diameter unius oculi; oculi interm. postici inter se evidenter magis approximati quam ad laterales posticos, et una cum interm. anticis aream neque quadratam neque trapezoideam, sed elongato-quadrangulatam occupant (h. e: area, ab omnibus 4 occupata, longior quam latior est). Spatium inter oculos posticos laterales et intermedios evidenter majus quam inter hos oculos et intermedios anticos. Thorax in fronte tantum pilis nonnullis erectis evidentioribus vestitus; superficies de cetero pilis erectis brevissimis parum eminentibus et aliis adpressis obsoletis obducta. Maxillæ fere ut in *Drasso fusco*, tamen in apice magis dilatatæ, vel in medio lateris externi profundius sinuatæ videntur. Dispositio et numerus aculeorum pedum, in descriptione generis allata, bene sunt observanda. Mas sæpe in feminæ cubiculo sericeo capitur, hoc certe ad nuptias celebrandas visitans.

Habitat sub lapidibus et aliis ad Gothob. frequens. In Scan., Blek., Oel. et Gottl. a *Sundevall*, in Blek. a *Boheman* inventus. In Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

2. **D. villosus** (THORELL): *Femina* fusco-cinerea, thorace sat dense adpresso-villoso; mandibulis piceis brevioribus quam metatarsi antici, et tarsos, vel etiam palporum partem patellarem et tibialem, simul sumtas, saltem non superantibus. Thorax longit 5 mm.

Mas: mandibulis longitudinem fere dimidii thoracis et palporum partem patellarem et tibialem, simul sumtas, attingentibus, quam metatarsi antici $^1/_3$ longioribus; palporum parte tibiali in apicis latere externo spina evidentiore armata, hac fere æque longa ac diameter apicis illius partis.

Drassus villosus THORELL Rec. crit. p. 109. — *Drassus severus* KOCH VI, p. 22, T. 186, f. 446 et X, p. 126, T. 357, f. 838 (?) — *Drassodes severus Koch* (?) WESTR. Enum. Ar. pag. 48.

Femina: thorax longit. 5, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 6 $^1/_2$, anticæ 6mm.; ille antice paullo angustior quam $^3/_4$ latitudinis mediæ partis thoracicæ, multo densius et longius quam in *D. lapidicola* adpresso-pubescens, quare cutis in exemplis indetritis non est perspicienda; in exemplis detritis cutis nitida videtur, ferrugineo-fusca vel picea, non ullibi colore rufo-testaceo tincta; thoracis margo summus lateralis anguste nigricans. Abdominis dorsum anterius foveolis 4, quadratim dispositis, tum serie utrinque e lineolis obliquis pallidis signatum, his lineolis certo lumine tantum observandis, ut in *Drasso troglodyte, Clubiona pallidula* et nonnullis aliis, in quorum exemplis, et in omnibus iis araneis, quæ pube densa vestitæ sunt, et quæ in spiritu vini asservantur, pictura cutis magis dilatatam et evidentiorem se repræsentat, similiter ac ♀, a Dom. *Koch* sub figura 446 delineata, quæ forsitan non alia species est atque nostra. In nonnullis exemplis adest vestigium lineæ longitudinalis mediæ fuscæ, e basi paullo ultra tertiam partem dorsi ducta. Oculi intermedii antici ut in *Drassode lapidicola* rotundi, laterales subovati, horum diametro maxima vix breviore quam illorum diameter, intermedii tamen, fugaciter inspecti, paullo majores videntur (?). Spatium inter oculos posticos laterales et intermedios etiam satis evidenter majus quam inter hos

et intermedios anticos. Mandibulæ vix crassiores quam femora antica, longit. $^2/_3$—$^3/_4$ metatarsorum anticorum, non longiores quam palporum pars patellaris et tibialis, simul sumtæ, $^1/_3$ thoracis vix excedentes. Proportio mandibularum, cum pedibus comparata, non solum e magnitudine majore pedum, sed etiam e longitudine minore ipsorum organorum pendet, nam mandibulæ in *Dr. lapidicola* $2^3/_4$, in *Dr. villoso* tantum 2 mm. attingunt. Basis mandibularum levissime convexa. Palporum articulus ultimus et pedum articulus metatarsalis et tarsalis ut in *Dr. lapidicola* fusciores. Abdomen fusco-murinum vel cinereum, indumento magis evidenter quam in illa specie ultra cutem eminente vestitum. Venter seriebus tribus e punctis pallidis minutis contiguis signatus, an semper?

Mas: pedes magis elongati, postici toti longitudine 15—16, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 6 millim., tibiæ posticæ ultra duplo longiores quam patellæ. Palporum pars patellaris, quæ in ♂ *D. lapidicolæ* æqualiter conica esse dici potest, superne paullo magis arcuata videtur; spina in partis tibialis apice lateris externi evidentior, æque longa saltem ac diameter baseos hujus partis; certo lumine spina subtus longitrorsum serrulata seu denticulata videtur. Mandibulæ transversim rugulosæ, parum porrectæ, apicibus introrsum emarginatis. Abdomen elongato-ovatum, teretiusculum (detritum, griseo-nigricans, dorso posterius arcubus nonnullis transversis pallidis, parum distinctis). Mamillæ duæ inferiores longiores (?) quam in *D. lapidicola* videntur, vel evidenter longitudinem palporum partis tibialis attingunt, ut in ♀ evidenter longe pilosæ. Pubescentia pedum et reliquarum partium in specimine lustrato, etsi satis detrito, tamen longior videtur quam in *D. lapidicola;* pili sub patellis et tibiis, præsertim anterioribus, quidem in hac specie adsunt, at illi sub tibiis longitudine diametrum tibiarum non ut in *Dr. villoso* superant. Pedum armatura ut in descriptione generis.

Ad Upsaliam a *Thorell* inventus. Mas, in spiritu vini asservatus, pube et aculeis detritus, ad Qvickjock Lap-

poniæ a *Boheman* inventus, omnino similis exemplis Upsaliensibus. In Ostrog., *v. Post.*

3. **D. pubescens** (THORELL): *Femina* thorace ferrugineo-fusco, margine summo nigricante, superficie pube adpressa breviore pallida sat dense obducta; mandibulis rufo-testaceis, brevioribus quam metatarsi antici, et tarsos vel palporum partem patellarum et tibialem, simul sumtas, non superantibus; abdomine pallido-cinereo, densissime adpresso-pubescente, concolore. Thorax longit. 3 1/2, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim vix 4 mm. Spatium inter oculos posticos laterales et intermedios minus evidenter majus quam inter hos et intermedios anticos.

Mas: mandibulis ut in ♀ evidenter brevioribus quam 1/2 thoracis, vel non multo longioribus quam 1/3 hujus; palporum parte tibiali perparum longiore quam pars patellaris; thorace longitudine 3, patellis et tibiis posticis conjunctim 3 1/2 mm.

Drassus pubescens THORELL Rec. critica p. 110. — *Drassus cinereus* HAHN die Ar. I, p. 124, T. 36, f. 95 (?). — KOCH ib. X, p. 128, T. 353, f. 840 (?).

Femina a præcedentibus præcipue distinguitur magnitudine minore; color thoracis non ut in *Dr. lapidicola* testaceo- rufescens, sed in fundo pallido-fuscescens; dorsum thoracis, similiter atque in *Dr. villoso*, perparum nec alte fornicatum; mandibulæ neutiquam crassiores quam femora antica, neque sunt longiores quam tarsi antici. A ♀ *Dr. villosi* differt pubescentia thoracis breviore, minusque albedine tincta; tibiis et patellis anticis subtus pilis mollibus patentibus non longioribus quam in *Dr. lapidicola*, h. e. his pilis non ut in *Dr. villoso* diametrum articulorum superantibus. *Mas* a masculis præcedentium differt palpis robustioribus et bevioribus, ita ut pars tibialis non multo longior quam patellaris, et non evidenter duplo longior quam crassior evadat; pars patellaris breviter conica; cum lamina ordinaria comparata pars tibialis longitudine 2/3 laminæ non superat; spina apicalis ejusdem partis ut in *Dr. lapidicola*

brevior quam in *Dr. villoso;* bulbus genitalis spinula quasi tortuosa armatus; mandibularum apices introrsum non ut in *Dr. villoso* emarginatura communi distincta præditi, quare organa illa, erga lucem contemplata, ibi non aperturam perlucentem repræsentant, quæ saltem in specimine lustrato, siccato *Dr. villosi* observatur; organa longitudine vix $^1/_3$ thoracis superant, ad colorem rufo-testacea, lævia nec rugulosa. Oculi intermedii antici paullo majores quam laterales mihi videntur; contendit autem Dom. *Thorell* illos in ♀ æquales ac hi esse. Area oculorum transversim brevius extensa, vel oculis posticis lateralibus ad intermedios posticos magis approximatis, unde spatium inter ambos oculos minus evidenter quam in præcedentibus speciebus longius evadit quam inter oculos intermedios posticos et anticos. Pedes ut in præcedentibus aculeati; femora 4 posteriora superne aculeis 4, in ziczac dispositis, a basi ultra medium sparsis; supra apicem adsunt ut in *Dr. villoso* aculei tres, transversaliter seriati (quorum medius in *Dr. lapidicola* deficit vel defractus est in omnibus vel in uno alterove femore, saltem in omnibus exemplis, quæ vidi). Cavendum est ne hunc cum *Drasso cognato, infuscato* et aliis, subsimiliter coloratis, confundas.

Ad Holmiam, sub lapidibus a *Thorell,* et in Ostrog. a *v. Post* inventus.

4. **D. gracilis**: *Femina* junior thorace pedibusque pallidolutescentibus, illius margine summo concolore, superficieque pube adpressa, parum densa, luteo-grisea vestita; mandibulis antice fere totis rectis, vix convexitate ulla basali ultra marginem clypei longius quam hic prominentibus, non longioribus quam efficit latitudo frontalis, vel fere paullo brevioribus, saltem neutiquam longioribus quam tarsi antici; oculis iride nigra cinctis, concentricis, ita ut area, ab iis occupata, vix ultra duplo latior quam longior evadat; abdomine gracili luteo-brunneo. Thorax longit. $2^1/_2$ mm.

Specimen, ut videtur, non plene adultum quoad dispositionem oculorum valde simile *D. pubescenti;* h. e. area oculorum magis quam in *D. lapidicola* et *villoso* angustata; oculi intermedii postici magni, plani, inter se arcte approximati; oculi laterales postici ab intermediis posticis non longius distant quam efficit longitudo dupla diametri oculi; oculorum series antica ad marginem clypei paullo propius quam in *D. lapidicola* el *villoso* locati esse videntur, ita ut spatium inter oculos laterales et summum marginem non longius evadat quam efficit longitudo diametri oculi. A *Dr. pubescente* differt thoracis summo magine haud fusco, oculis iride nigra cinctis, mandibulis paullo gracilioribus et in superficie antica fere rectis, nec convexitate ulla evidenti baseos ultra marginem clypei porrectis. Color thoracis, mandibularum et pedum magis læte luteo-testaceus. Scopulæ sub tarsis non solum anterioribus sed etiam posterioribus pallidiores et minus crebræ videntur, an etiam in adultis? Thoracis longitudo forsan in adultis 3 mm., at sine dubio haud ultra; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 2 ½ mm. Thorax in specimine unico lustrato (acu crassæ male affixo) gracilior videtur, frontis latitudine haud ultra ½ latitudinis partis thoracicæ. Abdomen in fundo luteo-fusco, pube luteo-cinerea vestitum. Apices pedum et palporum obsoletius quam in reliquis speciebus fuscescentes. A *Drasso lutescente* ♂, a Dom. Koch in P. VI, p. 21, T. 586, f. 445, ♀, et P. X, p. 127, T. 358, f. 839 descripto, differt tibiis anticis subterius versüs apicem lateris interioris aculeo solitario tantum, nec simul aculeo altero, basin versus sito, oculisque iride nigra cinctis; alias parum dissimilis. Pedum aculeorum numerus et situs ut in reliquis speciebus.

In Ostrog. a *v. Post* inventus.

XVI. ARGYRONETA Walck.

Thorax glaber, ovatus, parte cephalica alte convexa, per impressionem lateralem evidenter distincta; frontis latitudine vix ⅔ latitudinis mediæ partis thoracicæ, dorso fo-

vea ordinaria, pone medium sita, majuscula. Clypeus perpendicularis, æque altus atque efficit spatium inter oculos intermedios anticos et posticos. Oculi serie antica recta; oculi duo laterales contigui, tuberculo communi impositi; oculi utriusque seriei inter se intervallis æqualibus distantes, intermedii postici inter se distantiores quam intermedii antici. Mandibulæ quam femora antica multo crassiores, convexæ, a medio ad apicem latius divaricatæ. Maxillæ semicylindricæ, paralleliter directæ. Abdomen densissime subsericeo-pubescens, pube brevissima, non evidenter ultra cutem eminente; pictura nulla. Mamillæ cylindricæ mediocriter et æqualiter longæ. Pedes proportione 1, 4, 2, 3, vel antici longiores quam postici, quod in tibiis, inter se comparatis, non difficile videri potest; metatarsi postici autem in femina paullo longiores quam primi; tibiæ posticæ paullo crassiores quam anticæ; femora postica et, in exemplis indetritis, tibiæ et metatarsi ejusdem ordinis subtus pilis mollibus densis, duplo longioribus quam diameter femorum vestita; pili sub femoribus semper remanent. Tibiæ et metatarsi anteriores utrinque aculeis 2—3, iidem articuli pedum posteriorum præterea superne quibusdam alteris brevibus, vix diametrum tibiarum attingentibus, adpressis, propter colorem pedum fusciorem et indumentum densius in pedibus posterioribus ægrius observandis; pedum anticorum articulus tarsalis multo brevior quam mandibulæ. Patellæ anticæ in femina longiores, in mare fere breviores quam $1/3$ tibiarum. Habitatio in aquis. Generi *Tegenariæ* propinqua.

1. **A. aquatica** (Clerck).

Clerck p. 143, pl. 6, t. 8. — *Aranea aquatica* Linn. F. sv. Ed. 2, p. 491, 2020. — De Géer VII, p. 303, pl. 19, f. 5. — Fabr. Ent. S. II, p. 418, 43. — Walck. F. par. II, p. 234 et *Argyroneta aquatica* Tabl. d. Ar. d. 84. — Latr. Gen. Cr. & Ins. I, p. 94. — Sund. A:o 1831, p. 131. — Hahn die Ar. II, p. 33, T. 49, f. 118. — Walck. Apt. II, p. 378. — Koch die Ar. VIII, p. 60, T. 269, f. 636 (color thoracis nimis rufescens et abdomen colore coeruleo-griseo nimis splendide tinctum).

Thorax longit. 5, maris pedes antici 18—19; patellæ cum tibiis conjunctim $6^2/_3$, tibiæ 5 mm.; pedes postici 14—15, patellæ cum tibiis conjunctim 5 mm.; in ♀ pedes tam breves, ut antici 13—15, patellæ una cum tibiis $4^1/_2$, tibiæ 3 mm. tantum attingant; pedes postici longit. 12—13 mm.; discrepantia patellarum una cum tibiis pedum posticorum exigua, ita ut longitudo communis parum minor sit quam in ♂, vel quam 5 mm.; quare etiam proportio pedum feminæ in his articulis, inter se comparatis, ægrius extricanda; et quia metatarsi postici in illa non breviores sed contra normam paullo longiores quam antici sunt, proportio adhuc difficilius extricari potest, nisi toti pedes mensioni subjiciuntur. Latera thoracis canaliculis tribus vadosis, transversim oblique positis insculpta, quaque a margine, ante intervallum coxarum, ad centrum dorsi ducta. Metatarsi antici in ♂ extus deorsum arcuati; tibiæ et metatarsi posteriores toti in utroque sexu leviter eodem modo flexi, vel subtus leviter sinuati. Palpi maris fere ut in *Tegenaria civili* constructi; pars tibialis autem paullo angustior quam pars patellaris et setis insigniter longis carens, nisi pluribus præsertim subtus locatis; nulla harum setarum nec superiorum nec subteriorum duplam longitudinem diametri articuli saltem non superante; lamina ordinaria etiam elongato-pyriformis et quam tibiæ anticæ non latior. Superficies pedum nitida; aculei in tibiis et metatarsis tenuissimi quidem adsunt, at propter indumentum ordinarium præumbrati aut cum hoc indumento, per aquam intricato, commixti. Indumentum longum sub femoribus posticis certe ad facultatem natandi juvat. Color thoracis et pedum aut rufo-fuscus vel pallido-fuscus, aut nigro-piceus; abdomen griseo-nigricans.

Habitat in aquis stagnantibus sat frequens; 29 Junii ♀, supra saccum ovorum sedens, sub lapide, prope aquam fluvii Götha Elf jacente, capta. In Scan. a *Sundevall*, in Lapp. a *Boheman*, in Upland. a *Thorell*, et in Ostrog. a *v. Post* capta.

XVII. ANYPHÆNA Sund.

Pedes antici evidenter longiores quam postici, proportione 1, 4, 2, 3. Thorax ovatus, dorso a fronte ultra medium, ubi canalicula minuta, foveæ ordinariæ respondens, sita est, fere in planum rectum, saltem leviter convexum decurrente; postice satis abrupte declivis; parte cephalica haud per impressiones ullas laterales evidenter distincta, latitudine fere $^2/_3$ thoracis medii; superficies, saltem adultorum, pube rariore haud opaca sed nitida vestita, cute inter pubem nitide translucente (in specimine uno juniore lustrato satis densa, superficieque minus nitida), sæpe omnino deglabrata, pubescentia certe facillime decidua. Clypeus humilis, vel vix æque altus ac $^1/_2$ illius spatii, quod ab oculis intermediis anticis et posticis occupatur. Oculi 4 antici in seriem rectam dispositi; series postica paullo antrorsum curvata; oculi duo laterales latius separati, una cum oculo adjacente intermediorum posticorum aream triangularem fere æquilateram occupant; oculi intermedii postici inter se latius quam antici distant, et simul inter se perparum latius quam a lateralibus posticis separati; laterales antici paullo majores quam interm. antici; hi, ut antea dicitur, prope os siti, vel a posticis saltem duplo longius quam ab ore locati. Mandibulæ quam femora antica non crassiores, superne haud convexitate ulla evidenter ultra marginem clypei porrectæ. Maxillæ semicylindricæ, lineares, haud medio angustatæ, paralleliter directæ. Abdomen dense adpresso-pubescens et pilis erectis vestitum. Mamillæ mediocriter longæ. Pedes setis decumbentibus longiusculis sed non densis vestiti; tarsi subtus scopulis evidenter carent; tibiæ anteriores non solum subtus juxta basin et medium aculeis adpressis duobus, per paria dispositis, sed etiam altius in lateribus utrinque aculeis duobus alteris, prætereaque superne ante et pone medium aculeo, vel potius seta valida erectiore singula, vel simul circiter 10 armatæ, aculeis apicalibus vix ullis distinctis; metatarsi aculeis fere totidem

armati; pedes postici aculeis fere ejusdem numeri atque antici instructi; aculei longiusculi sunt, vel duplo longiores quam diameter tibiarum; femora superne, mox ante apicem, aculeis 3, transversim positis, præter aculeum in medio et pone basin. In pedum anticorum patellis adsunt in apice seta validior verticalis, et in tibiis, juxta basin et apicem, ut antea dicitur, seta ejusmodi, longiusculæ, et præterea, similiter atque in metatarsis, nonnullæ graciliores et breviores; tibiæ anticæ evidenter triplo longiores quam patellæ; posticæ duabus et dimidia parte has superant; femora antica a basi sensim nec abrupte incrassata. Pedes graciles dicendi, tibiis anticis 5:plo longioribus quam crassioribus.

1. **A. accentuata** (WALCK.): *Femina* thorace longit. 3—4 mm., in *var. a* in fundo luteo-testaceo, pube adpressa subsericea, albido-grisea vestito, superficie sæpe·denudata, nitidiore, dorso vitta laterali fusca; abdomine cinereo-pubescente, in medio maculis, aut duabus aut quatuor, obliquis, per paria dispositis, fuscis; pedibus luteo-pallidis, femoribus, præsertim anterioribus, extus annulis duobus sive macula geminata; tibiis, præsertim posterioribus, supra basin macula, omnibusque articulis radicibus aculeorum nigricantibus.

Var. b toto corpore lurido sive griseo-nigricante, colore rufo-brunneo inter thoracis vittas fuscas obsolete proveniente; thoracis superficie nuda, nitida; umbra nigra in apice femorum et alibi in pedibus obsoletius proveniente; (abdomine griseo-nigricante, corrugato).

Mas palporum parte femorali subtus pilis densis, longis, robustis, nigris, penicillum fere assimilantibus ornata (partibus reliquis deperditis).

Aranea accentuata WALCK. Fn. Par. II, p. 226. — *Clubiona id.* SUND. A:o 1832, p. 268, 7 et *Agelena obscura* A:o 1831, p. 128. — *Anyph. idem* SUND. Consp. Arachn. p. 20. — *Clubiona punctata* HAHN die Ar. II, p. 8, T 39, f. 99. — *Clubiona accentuata* WALCK. Apt. I, p. 594.

Media inter *Tegenariam* aut *Agalenam* et *Clubionam*, etiamque ad *Hahniam* transitum præbet. Ab iis distinguitur pedibus anticis evidenter longioribus quam postici, quod in tibiis sine mensione pedum sub lente facile videbis. Pedes multo parcius pilosi quam in *Tegenaria* et *Agalena;* illi pilis verticalibus, superne longitrorsum sparsis, ultra pilos ordinarios decumbentes evidenter eminentibus vestiti. Aculei pedum sat robusti et longi, ex. gr. in tibiis anticis duplo longiores quam diameter harum. Hi articuli (tibiæ) in utroque latere seriebus duabus ex aculeis 3, tertio apicali minore, in serie superiore deficiente; superne adsunt setæ 2 verticales, robustæ, quarum una juxta basin, altera apicem versus sita est; harum ut et aculeorum radices instar punctorum nigrorum se repræsentant, his punctis in exemplis nonnullis junioribus, a me lustratis, obsoletis; metatarsi ad basin, medium et apicem (hic præsertim in posticis) aculeis pluribus circumdati. Oculi laterales antici evidenter majores quam intermedii antici, ad hos paullo propius siti quam hi inter se; oculi 4 antici in seriem rectam dispositi; at Dom. *Sundevall* contendit seriem illam retrorsum arcuatam esse, quod autem non videre possum, nisi oculi a supra nec ab antice inspiciuntur, similiter ac in perpluribus aliis araneis, ubi planum, cui oculi illi impositi sunt, plus minus convexum est. Tibiæ anticæ fere triplo longiores quam patellæ. Metatarsi et tarsi scopulis evidenter carent; femora subtus pilis, evidenter brevioribus quam diameter femorum, vix ultra dimidium hujus attingentibus vestita. Mandibulæ in latere antico planæ, nec ulla parte ultra marginem clypei convexo-prominentes, colore thoracis, sæpe umbra longitudinali pictæ. Pectus plerumque fusco-nigricans. Annulus apicalis geminatus in femoribus anticis sæpe obsoletior, restantibus punctis, supra et infra sitis. Patellæ cum tibiis anticis conjunctim longit. 4, cum posticis $3\frac{1}{2}$ mm. Maris palporum pars femoralis subtus dense setosa, setis robustissimis, fere aculeiformibus, fere in duas series digestis, in basi seriei internæ fere penicillum constituentibus, longioribus quam diameter femorum anticorum.

Var. b. Specimen unicum femineum toto corpore griseo-nigricans vel luridum. In vivo forsitan est thoracis color in ipso margine rufo-brunneus, at in specimine lustrato, corrugato, color idem satis obsoletus est. Pedes, erga lucem contemplati, griseo-albido-diaphani, non ullo colore testaceo tincti. Abdomen griseo-nigricans.

In Scan., Blek. a *Sundevall* et *Boheman*, in Westrog. et in Upl. a *Thorell*, et in Ostrog. a *v. Post* inventa.

XVIII. AMAUROBIUS Koch.

Pedes proportione 1, 4, 2, 3, antici fere ut in *Anyphæna* aculeati, at in femoribus deest aculeus medius anteapicalis, et in tibiis superne deest aculeus vel seta valida ante et pone medium; in tibiarum apice autem evidentius adest aculeus tertius, subtus situs; aculei multo breviores sunt, ita ut diametrum tibiarum haud superare videantur. Thorax alte convexus, ambitu dorsali transversali fere circularis; parte cephalica parum distincta, fronte in ♀ fere æque lata, in ♂ quarta vel tertia parte angustiore quam latitudo media partis thoracicæ; dorso fovea ordinaria pone medium ovata, profunda, haud instar rimæ seu canaliculæ angustioris se repræsentante. Oculi duo laterales inter se multo magis quam ad intermedios approximati, quasi elavationi communi impositi; duo intermedii utriusque seriei inter se paullo magis quam ad laterales approximati; series antica recta, postica procurva, ultra triplo longior quam efficit latitudo spatii, quod ab oculis intermediis anticis et posticis occupatur; oculi omnes magnitudine satis æquales; oculi interm. antici inter se paullo magis approximati quam postici, ab his fere duplo longius quam a margine clypei remoti, simulque ab his evidenter brevius quam hi oculi a lateralibus posticis distant. Mandibulæ robustiores, in utroque sexu crassiores quam femora antica, in ♀ multo crassiores et evidentius convexæ, convexitate ultra marginem clypei porrecta. Maxillæ convexæ, in latere externo vix vel leviter intror-

sum sinuatæ, dimidiato-clavatæ, sive basin versus sensim angustatæ. Abdomen pictum, pictura pube satis densa subobtecta, cute in ♀, ovis distenta, sæpe nitida translucente, hac etiam sæpe pube detrita, at nihilo minus pictura remanet, quia hæc re vera e pigmento sub epidermede pendet; plerumque est pubescentia non longior quam diameter metatarsorum, saltem tibiarum. Pedes pilis gracilioribus, densiusculis, decumbentibus vestiti; pili sub femoribus saltem haud longiores quam diameter articuli; femora antica a basi sensim incrassata; patellæ anticæ in ♀ longit. $^1/_3$ tibiarum, in ♂ paullo breviores. Palpi in ♂ lamina ordinaria crassitiem femorum anticorum attingente vel superante; eorum pars tibialis inæqualis, angulosa vel calcarata, haud æqualiter cylindrica. Pars cephalica, palpi et pedes dense pilosa, pilis vix longioribus quam diameter tibiarum, saltem in ♀. Media inter *Tegenariam* et *Argyronetam*. Species majores, similiter ac duo genera præcedentia et genus insequens.

1. **A. ferox** (WALCK.): *Mas* thorace pedibusque rufo-brunneis, his obsolete fusco-annulatis; abdomine fusco, lineolis, e basi exeuntibus, tribus, laterali plerumque maculatim interrupta, ante medium finitis, dein serie e lineolis oppositis, obliquis, deinceps brevioribus et obsoletioribus, pallidis vel luteis; ventre utrinque serie e punctis subconnexis pallidioribus; palporum parte tibiali supra bidentata, dente interno parvo, gibbo magno insidente; pedibus anticis long. 20--22, patellis et tibiis conjunctim 8 mm.

Femina corpore fusciore, abdominis pictura eadem ac maris, thorace longit. 7, pedibus anticis 19, femoribus $4^1/_2 - 5$, patellis et tibiis conjunctim $6^1/_2$, metatarsisque cum tarsis 7, patellis et tibiis posticis conj. 7, metatarsisque et tarsis conj. $6^1/_2$ mm.; mandibulis evidenter crassioribus quam femora antica.

Clubiona ferox WALCK. Apt. I, p. 606, 17. — *Amaur. ferox* KOCH VI, p. 41, T. 191, ff. 460—61.

Mas. Thorax long. 5 ½, pedes antici circiter 22, patellæ et tibiæ conjunctim 8, metatarsi et tarsi conj. 8 ½, patellæ et tibiæ posticæ conj. 6 ½, metatarsi et tarsi conj. 7 mm. Thorax rufo-brunneus, anterius certo lumine languide cœruleo-resplendens, dorso alte convexus, antice paullo angustior quam in medio, ibi crebre pilosus; area ocularis triplo latior quam longior; series antica recta, oculis mediis paullo magis approximatis quam medii postici; oculi 2 laterales in tuberculo communi exiguo siti, hoc intervallum oculorum haud omnino implente, inter se approximati. Mandibulæ femoribus anticis vix vel perparum crassiores. Maxillæ subtus convexæ, latere externo vix sinuatæ, versus basin sensim angustatæ, apice intus oblique truncatæ. Labium ovatum, extus rotundatum, ipso apice truncatum, disco fuscius pictum. Palporum pars femoralis et patellaris colore pedum; partes insequentes fusciores; pars tibialis vix longior quam pars patellaris, at crassior, superne dentibus 2 apicalibus instructa, horum extimo longiore, obtuso, subæquali, intimo crassiore, inæquali, vel basi, valde inflato, apice unco brevi gerente; pars eadem inferius, prope connexionem cum parte insequente, dente tertio armata; lamina ordinaria, membrum supra tegens, disco pallidior, subovata, in latere externo in angulum rectum formata, vel, si mavis, a basi ad medium ibi emarginata, latior quam mandibulæ, dense et longius pilosa; membrum genitale cochleæforme pallide testaceum, spiris extimis rufo-piceis. Abdomen notatur in *var*. *a* linea basali media, fere semper distincta, dein altera, utrinque, quæ cum opposita fere annulum ovalem circa lineam intermediam describunt; hæc linea (lateralis) sæpe medio abrupta, unde exstant duæ lineolæ oppositæ, quarum anticæ retrorsum, posticæ antrorsum divergunt, ut in figura, a Dom. *Koch* data; in *var*. *b* annulus vel lineæ duæ oppositæ obliquæ valde obsoletæ, remanentibus punctis minutis tantum; pone has signaturas insequitur series e lineolis obliquis, oppositis, plus minus evidentibus, ultimis sæpe plane deletis; hæc pictura luteo-pallida vel luteo-olivacescens est. Venter, præter seriem utrinque, punctis nonnullis an-

terius notatus, pallidis vel colore picturæ dorsalis. Superficies abdominis ad latera, bene contemplata, pallide punctata et striolata videtur, quæ pictura propter pilositatem densiorem et longiorem obumbratur. Pedes pilis mollibus dense tecti, ut in *Tegenaria* et *Agelena*, at pilis non tam longis; femora supra aculeis 2—3, tibiæ et metatarsi subtus in utroque latere 3, et paullo altius 2, gracillimis munita; metatarsi fere similiter aculeati; pedes præsertim posteriores vestigiis annulorum fuscorum, in siccatis tamen vix conspicuis. Pedes antici secundum mensuram, supra allatam, thorace ultra 3:plo longiores. Tibiæ et tarsi, præsertim anteriores, paullo saturatius rufo-brunnea seu picea.

Femina. Pedes (in specimine unico lustrato) hanc proportionem demonstrant: 19—17—15—18 mm. Thorax major quam in ♂, pedes vero breviores; de cetero est pictura similis, nisi thorax et pedes paullo saturatius colorati sunt dicendi; frons et mandibulæ piceo-nigricantes; palporum pars tibialis haud ut in *Tegenariis* ultra duplo longior quam latior.

Primo vere mares 4 uno die in loco tenebricoso parietis Gothoburgi a me capti. Mense majo femina a *Thorell* ibi inventa..

2. **A. atrox** (De Géer): thorace, longit. 4—5 mm., pedibusque brunneo-testaceis, his evidentius fusco-annulatis; abdomine fusco, dorso antice macula oblonga fusca, plerumque flavo- vel albido-cincta, dein serie ex arcubus transversis vel lineolis obliquis, oppositis, rufo-pallidis vel albidis, his in exemplis indetritis setulis brevibus adpressis albidis ad partem obtectis. Mas palporum parte tibiali supra in apice spinis tribus, transversim positis, intermedia brevissima.

Aranea atrox De Géer VII, p. 258, N:o 15, Pl. 14, f. 24. — Walck. F. par. II, p. 218. — *Clubiona atrox* Latr. Gen. Cr. et Ins. I, p. 93. — Sund. A:o 1831, p. 144. — Hahn die Ar. I, p. 115, T. 30, f. 87. — Walck. Apt. I, p. 605. — *Amaurobius atrox* Koch X, p. 116. T. 355, f. 831.

Mas et *Fem.* Thorax in ♂ pallidius, in ♀ fuscius rufo-brunneus, fronte in hac, similiter atque in ♀ *A. ferocis*, parum angustiore quam efficit thoracis latitudo media; ♀ pedibus anticis totis longit. 13—14, patellis et tibiis conjunctim 5, metatarsis et tarsis conjunctim $5^1/_2$ mm.; ♂ pedibus iisdem 14—15, patellis et tibiis conj. $5^1/_2$, metatarsis et tarsis conj. $6^1/_2$ mm. Structura palporum partis tibialis in ♂ ab eadem in *A. feroci* differt ejusdem partis apice spinis tribus armato, harum intermedia breviuscula; spina externa parum vel vix crassior est quam interna, et plerumque paullo brevior; apex spinæ internæ plus minusve flexus et acutior, unde illa potius calcar quam spina est apellanda; spina intermedia brevissima, obtusa; lamina ordinaria et membrum genitale similia atque in *A. feroci*. Metatarsi antici ut in illa specie paullo angustiores quam postici videntur, saltem in ♀ (?). Mandibulæ ut in illa in ♂ minus robustæ quam in ♀, vel parum, immo vix crassiores quam femora antica; totæ usque ad apicem pilis æque densis ac in pedibus vestitæ. Annuli fusci in pedibus utriusque sexus etiam in siccatis evidenter remanent.

Habitat sub muscis montium et cortice arborum, interdum in rimis domuum obvia. Latebra animalculi facile detegitur per fila exteriora circa introitum latebræ, hic illic ducta, et quæ solito rudiora sunt et quasi fila xylina nivea assimilant. In Scania. *Sundevall*, in Upl., *Idem* et *Thorell*, in Ostrog., *v. Post.* Ad Gbg. frequentissima.

XIX. CHEIRACANTHIUM Koch.

P e d e s proportione 1, 4, 2, 3; anteriores in tibiis aculeis nullis, nisi interdum uno, facile deterendo; posteriores in tibiis, apicem versus, utrinque aculeo uno, et in metatarsis 6—7, sparsis, brevibus, vel diametrum articuli, quo insistunt, vix superantibus, in tibiis vix attingentibus. Femora superne non evidenter aculeata. Toti pedes pilis gracilibus densis, decumbentibus, tibiæ et metatarsi præterea pilis verticalibus numerosis vestita; toti pedes et palpi gra-

ciles; femora parum incrassata, fere linearia. Tarsi postici subtus scopulati, vel setis brevissimis, verticalibus, dense congestis induti. Patellæ anticæ longit. circiter $^1/_3$ tibiarum, in ♂ nonnihil breviores. Thorax a fronte ultra medium alte fornicatus, tum oblique declivis, hic fovea latiuscula vadosa præditus; parte cephalica in lateribus non distincta; fronte in ♀ fere æque lata, in ♂ quarta vel tertia parte angustiore quam latitudo media partis thoracicæ. Oculi ut in *Amaurobio*. Mandibulæ basi neque in ♀ neque in ♂ nisi leviter convexæ videntur. Maxillæ juxta medium, in latere externo profundius sinuatæ vel medio magis angustatæ, apicibus magis dilatatæ, non dissimiliter atque in *Clubiona*, quæ autem eas pone basin adhuc magis angustatas habet. Abdominis pubescentia brevis, parum ultra cutem eminens. Palpi in ♂ laminæ latitudine crassitiem femorum anticorum paullo superante; illorum pars tibialis, ut reliquæ partes, gracilis, cylindrica, duplo longior quam pars patellaris, apice in latere externo stilo gracili, et lamina in basi calcari adhuc graciliore, acutissimo, longiore, decussatim stilo imposito instructæ. Medium tenet inter *Amaurobium* et *Clubionam*.

Habitat libentius in plantis altioribus. Nidus e tubo sericeo constat, hoc inter folia convoluta locato; semel in plantis emortuis plures nidos exstructos vidi. Specimen unicum sub lapide captum.

1. **Ch. nutrix** (Walck.): Thorace, pedibus mandibulisque luteo-pallidis, harum apicibus nigro-piceis; abdomine brevissime pubescente, sericeo-micante, pallido-virescente, linea media longitudinali rubicunda, supra anum amplificata notato; tibiis anticis aculeis carentibus (an interdum aculeo 1?), omnibus, præsertim maris, pilis mollibus verticalibus vestitis; tibiis anticis non insigniter ultra duplo longioribus quam patellæ, saltem evidenter neutiquam triplo longioribus, neque duplam longitudinem mandibularum evidenter attingentibus.

Aranea nutrix WALCK. F. par. II. p. 220, *Clubiona* id. Tabl. p. 43, T. 5, fig. 43 et 44, et Apteres I, p, 601. — *Clubiona virescens* SUND. A:o 1832, p. 267. — *Cheir. nutrix* KOCH VI, p. 9, T. 182, f. 434—35. — (Utrum *Drassus maxillosus* WIDER Mus. Senck. I, p. 209, T. XIV, f. 8 et *Club. nutrix* HAHN II, p. 7, T. 39, f. 98, huc, an ad speciem insequentem referri debeant, haud e descriptionibus patet; potius ad speciem insequentem sunt referenda).

Femina Ch. erratico valde similis. Thorax variat longit. 3½—4½ mm., pedes antici 13—16, patellæ cum tibiis conj. 5—6, hæ per se 3½—4½, pedes postici 12—14, patellæ cum tibiis conj. 3½—4½ mm. Thorax antice parum angustior quam in medio, a latere inspectus alte fornicatus, vel pone oculos insigniter altior quam locus, cui hi oculi impositi sunt. Oculi intermedii antici ab ore non longius distant quam efficit longitudo diametri unius oculi; intermedii postici evidenter distantiores; hi inter se differentia minore brevius quam a posticis lateralibus disiti; oculi duo laterales tuberculo communi impositi; distantia inter oculos intermedios anticos ut in *Amaurobio* evidenter brevior quam inter hos et laterales anticos. Mandibulæ luteo-testaceæ, pone medium ad apicem nigro-piceæ, totæ nitidæ, parum pubescentes, fere nudæ. Maxillæ basi paullo angustatæ, subtus non impressæ vel excavatæ, unicolores aut apicibus rufo-piceis. Labium totum piceum. Pectus juxta coxas pedum fuscescens. Abdomen pallide virescens, pube sericeo-micante, brevissima vestitum; vitta in medio dorsi longitudinalis rufo-brunnea pone medium ad anum sensim diffusa et plerumque ibi languidior. Pedes immaculati; tibiæ anticæ variant longit. fere triplo, in exemplis plerisque 2½ tantum majore quam patellæ, insimulque in hac varietate vix dimidio longiores quam mandibulæ; ambo hi articuli, simul sumti, breviores quam metatarsi conjunctim cum tarsis; metatarsi paullo longiores quam tibiæ, saltem æque longi; quæ proportio pedum per se hanc speciem mox dinstinguit a *Clubiona holosericea*, cui quoad colorem subsimilis est, si vittam rufo-brunneam excipiamus; tarsi apice obtusi, similiter atque in illa. Femora antica juxta apicem aculeo solitario, jam præsente, jam deficiente, pilisque nonnullis porrectis

longioribus induta; tibiæ anteriores aculeis nullis distinctis, tamen in ♀ unica (an huc pertinente?), aculeo uno medio; metatarsi eorundem pedum aculeis duobus basalibus subtus, oblique sitis; tibiæ posteriores apicem versus, in utroque latere aculeo uno, metatarsique aculeis pluribus sparsis vestiti; patellæ posticæ in latere interno aculeo haud ullo instructæ; quæ armatura pedum ut nota essentialis, ad hanc araneam ab aliis speciebus subsimilibus generis *Clubionæ* distinguendam, consideranda est. Præsertim tibiæ anticæ pilis mollibus, patentibus vel verticalibus, præter ordinarios adpressos, sat crebre vestitæ.

Mas. Pedes antici longit. 16, patellæ una cum tibiis conjunctim 5, pedes postici 12—13, patellæ cum tibiis conj. 4 mm., itaque sunt pedes antici ultra 4:plo longiores quam thorax. Tibiæ anticæ triplo longiores quam patellæ. Palporum structura sat multo aberrat ab eadem in genere *Amaurobio* et *Clubiona;* pars tibialis duplo longior quam patellaris, in latere externo subtusque dense et longe pilosa, æque crassa ac partes præcedentes, apice extus spina gracili, subrecta, bene inspecta apice emarginata instructa; lamina ordinaria, supra membrum genitale locata, apice producta, pyriformis, circiter æque lata ac basis mandibularum, basi calcari graciliore, acutissimo, decussatim spinæ memoratæ imposito prædita. Tibiæ et metatarsi præsertim subtus adhuc densius investiuntur pilis verticalibus. A ♂ insequente differt patellis anticis non brevioribus quam $1/3$ tibiarum; his ut in ♀ non evidenter duplo longioribus quam mandibulæ.

Mense Septembri inter folia convoluta, in fruticibus, sub muscis montium et sub lapidibus, in locis editis, prope Gbg. captum. In Scan., *Sundevall;* in Upl., *Thorell.*

2. **Ch. erraticum** (Walck.): *Femina* thorace olivaceo, summo margie flavo; mandibulis luteo-testaceis, apicibus nigro-piceis; abdomine olivaceo vel subbrunnescente, vitta dorsali media, antice angusta, pone medium latiore, subhastata, rufo-brunnea; pedibus pallidis seu languide olivaceis, pellucidis, gracillimis, parum aculeatis; tibiis an-

ticis aculeo solitario, pone vel in medio lateris antici sito, sæpe deficiente, tibiis omnibus, excepta pube adpressa, pilis mollibus, verticalibus, crebris indutis; tibiis anticis evidenter triplo longioribus quam patellæ, et duplam longitudinem mandibularum evidentius æquantibus. Longitudo thoracis 3 mm.

Mas: vide infra.

Ar. erratica WALCK. Fn. par. II, p. 219, N:o 64. — *Clubiona erratica* WALCK. Tab. d. Ar. p. 48, 8 et Hist. nat. d. Apt. I, p. 602, 13. — *Cl. dumetorum* HAHN Mon. Ar. fasc. 7, T. 1, f. 6. — *Cheir. carnifex (Fabr.)* KOCH VI, T. 184, f. 438 et 39.

Femina simillima *Ch. nutrici*. Thorax longit. 3, pedes antici 13—13 $^1/_2$, patellæ et tibiæ conjunctim 5 $^1/_2$, hæ per se 4, pedes postici 10, patellæ cum tibiis conjunctim 3 $^1/_2$ mm. Secundum hanc proportionem pedum apparet, quod pedes antici æque fere longi sunt atque in *Ch. nutrici*, quamquam magnitudo reliqui corporis minor est; tibiæ anticæ magis evidenter longitudinem triplam (anne potius triplam et dimidiam) patellarum attingunt; dimidia pars tibiarum non evidenter brevior quam mandibulæ. Pedes graciliores sunt. Dorsum thoracis fusco-olivaceum, fuscedine obsoletiore, in utroque latere capitis pallidioris cuneatim procurrente pictum; ipse margo plerumque flavicans; superficies nitidior videtur, pilis pallidis evidentibus at parum longis parce vestita. Oculi ut in *Ch. nutrici*, intermedii antici etiam iride communi nigricante cincti. Mandibulæ luteo-testaceæ, apicibus nigro-piceis, et maxillarum forma eadem. Abdomen, erga lucem contemplatum, pube ultra cutem evidentius eminente vestitum; pube autem non longa, tamen evidentiore (?) quam in *Ch. nutrici*; vitta dorsalis rufo-brunnea distincta, ante medium angustior, dein latior, tum sensim ad anum angustata, per colorem abdominis adjacentem bene limitata, nec ut in *Ch. nutrici* ad latera diffusa et quasi in horum colorem evanescente, vel cum hoc commixta; vitta utrinque sæpe flavo marginata est. Scutula pulmonalia læte flava seu vitellina. Pedes paullo tenuiores, unicolores, proportione 1, 4, 2, 3; antici fere duplo longiores quam tertii,

obsolete aculeati; femora superne ut in *Ch. nutrici* aculeis haud ullis, sed pilis tantum 4—5, in seriem dispositis, verticalibus, apice flexis vestita; hi pili subtilissimi, non nisi erga lucem conspicuis; tibiæ et tarsi omnes pilis patentibus seu verticalibus numerosis, et pedes toti præterea pube adpressa induti, ut in illa; femora antica versus apicem, metatarsi antici juxta basin, et pedes reliqui ut in illa aculeati; tibiæ anticæ vel 4 anteriores in latere antico aculeo solitario, subtiliore, pone vel in medio armatæ. Palporum et pedum apices fuscescunt.

Mas quoad picturam similis feminæ. Differt a ♂ *Ch. nutricis* patellis anticis longitudine vix ultra $1/4$ tibiarum, et harum dimidia parte longitudini mandibularum saltem non cedente. Fovea pone medium thoracis angustior videtur. Thorax longit. tantum $2\,1/2$, pedes antici 14—15, tibiæ usque 4 mm.; tibiæ et metatarsi pilis verticalibus minus crebris vestiti; hi pili, sub lente inspecti, fere numerari possunt, at in *Chr. nutrici* innumerabiles tibi videbuntur.

Mense Septembri in filicibus emortuis prope Gothob. plures feminæ captæ. Aranea cubiculum sericeum inter folia conficit; cubiculum circumcirca clausum erat, ita ut textrix, quæ pullulos ibi custodiebat, non nisi multo labore exire potuisset. Initio Julii cubicula plura vidi, in quibus pulluli exclusi inveniebantur; hæc nidificia amplissima erant, certe ab ipsis pullulis contexta, more pullulorum *Ocyalis mirabilis*.

XX. DICTYNA Walck.

Pedes proportione 1, 4, 2, 3; breviter et rude pilosi, aculeis ubique carentes. Thorax ut in *Cheiracanthio*, at pars cephalica per impressionem lateralem evidenter distincta, supra cum clypeo plerumque pilis crassis, brevibus, adpressis vestita. Oculi fere ut in illo, at intermedii antici a margine clypei saltem æque longe atque ab intermediis posticis distant. Mandibulæ quam femora antica crassiores, ut in *Amaurobio* et *Cheiracanthio* longiusculæ;

maris in latere externo in callum elevatæ, in latere antico excavatæ. Maxillæ extus sensim angustatæ, apicibus circa apicem labii convergentibus. Abdomen pube densa adpressa rudi vestitum, hac vix ultra cutem eminente. Pedes patellis anticis longit. $1/3$ tibiarum, femoribus supra basin parum incrassatis, tum maxima parte linearibus. Metatarsi postici in feminis (an omnibus) ut in genere *Mithræ, Fam. 1,* et in genere extraneo *Zosis* superius carinatim compressi, at non simul tam evidenter atque in illis deorsum sinuati, carina plumato-pilosa, sive serie longitudinali e setulis vel pilis brevibus, apicibus deorsum flexis, ornata. Species omnes minores sunt.

Araneola cubiculum irregulariter contextum sibi comparat in angulo quodam ramulorum vel in foliis arborum. Numerus saccorum ovorum variat; illorum sæpe 3—5 vidi; color albidus.

1. **D. arundinacea** (LINN.? THORELL): thorace, longit. 1—1 $1/4$ mm., nigro, glabro, nitido; parte cephalica albido-pubescente; abdomine nigricante aut rufo-brunneo, lateribus cinereo-pubescentibus, plerumque vitta fusca seu nigra notatis; dorso antice macula ejusdem coloris, opaca, posticeque sæpe macula altera ornato, harum antica maculam magnam oblongam unicolorem referente, postica interdum in arcus nonnullos transversos fuscos et cinereos alternantes devisa. *Mas* palporum parte femorali triplo longiore quam latiore, extrorsum sensim leviterque incrassata, parte tibiali superne pone basin spina verticali, longitudine $1/3$—$1/2$ diametri articuli non superante; membro genitali sub basi calcari tortuoso armato.

Var. a: abdominis dorsum macula solitaria, basali.

Var. b: ut *var. a,* at præterea adest macula altera, inter medium et anum sita, hac aut simplici, aut ex arcubus transversis fuscis et cinereis formata.

Ar. arundinacea LINN. Faun. sv. Ed. II, p. 487, 1998? — *Ar. benigna* WALCK. Fn. Par. II, p. 209. — *Theridion idem* WALCK. Tabl. p. 77. — SUND. A:o 1831, p. 122. — *Dictyna benigna* SUND. Consp. Arachn. p. 16. — KOCH III, p. 27, T. 83, f. 184—85. —

WALCK. Apt. II, p. 387. — *D. arundinacea* THORELL Rec. critica p. 81.

Mas, similiter ac *D. uncinata*, *pusilla* et *latens*, propter structuram mandibularum insignis. Hæ in medio introrsum excavatæ, vel conjunctim aperturam magnam elongato-ovatam repræsentant; in superficie antica impressæ et in lateribus paullo flexuosæ sunt; si palpus alteruter avellatur, tunc basin mandibularum lateris exterioris in angulum dilatatam esse videbimus; si mandibulæ acu vel alio imposito introrsum flectuntur, tunc in basi observabitur dens minor, porrectus, margini clypei incumbens, plerumque etiam in siccatis facile conspiciendus. Mandibulæ, quæ longitudine tibiis secundi ordinis vix cedunt, altitudine faciali ultra dimidio longiores. Palporum partis tibialis spina verticalis longitudine ad summum $1/2$ diametri articuli attingit. Abdomen ovato-globosum, ano obtuso. Pedes fusco-brunnei (apicibus articulorum interdum infuscatis, nonne præsertim in junioribus et non plene adultis?), proportione 1, 2, 4, 3; patellæ anticæ longit. $1/4$ tibiarum. Pedes ubique carent aculeis. A ♂ *D. uncinatæ* et *latentis* differt thoracis superficie omnino glabra, nitidiore, palporum parte femorali ut in *D. latenti* elongato-subclavata, nec ut in *D. uncinata* breviter clavata, triplo nec duplo tantum longiore quam efficit latitudo apicalis; spina memorata longitudine diametrum articuli non ut in *D. uncinata* excedente neque ut in *D. pusilla* cum diametro eadem æmulante; spina in *D. latenti* omnium brevissima est, parum conspicua.

Femina, ut ♂, parte cephalica alte fornicata, summa elevatione multo magis eminente quam locus, quo oculi intermedii postici insistunt, pubescentia albida sæpe in lineas 5 digesta; pili in clypeo apicibus oppositi. Mandibulæ longitudine tibiarum tertii ordinis, vel quam altitudo facialis vix ultra dimidio longiores (?). A ♀ *D. uncinatæ* et *latentis* differt partis thoracicæ superficie omnino glabra, nitida, nec subtilius neque rudius coriacea. Pars cephalica in locis, ubi pili albidi seriati derasi sunt, quasi coriacea, an hæc rugositas e radicibus restantibus pilorum orta sit?

Habitat inter ramulos arbustorum, etiamque in ipsis foliis, ad Gothob. — In Blek., Bah. et Scan. a *Sundevall*, ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* et *N. J. Andersson*, ad Upsaliam, in arundine a *Thorell*, et in Ostrog. a *v. Post* inventa. Saccos ovorum usque 5 diversos juxta matrem numeravi, quorum tres ovis 10—15 repleti erant; duo sacci larvas et pupas *Ichneumonidum* continebant.

2. **D. pusilla** (Thorell): *Mas* ferrugineo-fuscus; pedibus ferrugineis vel fusco-testaceis; abdomine nigro, in lateribus dorsi interdum subtestaceo; palporum parte tibiali supra ad basin spina acuminata, quam diameter articuli vix breviore; bulbo genitali basi aculeo forti retroverso tortuoso armato.

Thorell Rec. crit. p. 82.

Mas a ♂ *D. arundinaceæ* differt spina palporum parum (immo vix?) breviore quam diameter ipsius articuli. A *D. uncinata* dignoscitur palporum parte femorali non breviter clavata, et parte tibiali non longiore quam crassiore; spina palporum in *D. uncinata* evidenter longior quam diameter articuli; quæ proportio haud e gracilitate articuli pendet, nam ipsa spina re vera per se multo longior est, scilicet æque fere longa atque efficit longitudo diametri femoris pedum anticorum; in *D. pusilla* autem spina vix longior est quam efficit latitudo basalis metatarsorum, saltem non evidentius latitudinem apicalem tibiarum attingit. Bulbus genitalis similiter atque in *D. arundinacea* calcari tortuoso nec simpliciter arcuato armatus.

Ad Gothob. ipse. Ad Holmiam *Thorell*.

3. **D. uncinata** (Thorell): thorace (subtiliter coriaceo, interdum subopaco) nigro, sæpe ferrugineo-fuscescente; parte cephalica lineis (3), e pilis canis formatis; abdominis dorso cinereo vel testaceo, macula antica subquadrata, aliaque supra anum, in undas transversas sæpe divulsa, nigris; *mas* palporum parte femorali non ultra duplo longiore quam efficit latitudo apicalis, breviter ob-

conica; parte tibiali angustiore quam pars patellaris, evidenter longiore quam latiore, supra basin spina verticali, longitudine diametrum ipsius articuli paullo superante, longitudinem diametri femoris antici æquante armata; bulbo genitali posticè ad basin aculeo regulariter adunco (non tortuoso) instructo.

THORELL Rec. crit. p. 110.

Cephalothoracis pars thoracica plus minusve opaca, etiam in lateribus capitis, immo in angulo clypei, præsertim ad margines sæpe ferrugineo-testacea, nec nigra, quo colore etiam mandibulæ sæpe tinctæ sunt; pars cephalica, in exemplis a me visis, lineis tantum 3, e pilis adpressis canis formatis ornata. Maris palporum structura eum facile distinguit ab aliis maribus *Dictynarum;* pars patellaris robusta, globosiuscula, multo crassior quam pars tibialis; pars femoralis subclavata, vix longior quam $^1/_3$ femoris antici, vel duplo tantum longior quam efficit latitudo apicalis; hæ tres partes et pedes lætius ferugineo-testacea; membrum genitale sub basi calcari sive aculeo forti, regulariter flexo, nec tortuoso instructum. Superficies thoracis sub oculo optime armato in ♂ evidentius quam in ♀ concinne reticulata videtur.

Ad Upsaliam a *Thorell* inventa.

4. **D. latens** (FABR.): nigro-fusca, thoracis parte cephalica abdomineque pube canescenti-albida vestitis, hoc vitta dorsali, a basi ad anum extensa, nigra, opaca, utrinque sinuata vel dentata notato; lateribus interdum umbra fusca contaminatis; pedibus fusco-brunneis; parte thoracica, bene inspecta, subtiliter rugulosa vel coriacea. *Mas* palporum parte femorali triplo longiore quam crassiore, extrorsum sensim leviterque incrassata, parte tibiali supra basin spinula obtusa brevissima, ægre observanda armata; thoracis parte thoracica ut in ♀ coriacea.

Ar. latens FABR. Ent. S. II, p. 409, 9. — *Dictyna id.* KOCH die Ar. III, p. 29, T. 83, f. 186. — *Theridion latens* WALCK. Apt. II, p. 340.

Femina. *D. arundinaceæ* valde similis, præsertim hujus *var. b*, fac, intervallum ambarum macularum dorsalium abdominis deletum esse, ita ut maculæ, inter se conflatæ, vittam communem formare viderentur. Superficies partis thoracicæ sub oculo bene armato coriacea ut in *D. uncinata*, at simul videtur cutis subnitida; latera capitis et anguli clypei glabra, non opaca, neque ad minimum coriacea; pedes saturate brunneo-fusci, nec pallido-fusci. *Mas* a ♂ *D. arundinaceæ* et *uncinatæ* differt palporum spina memorata minutissima, etiam certo lumine ægre observanda. Pars thoracica in utroque sexu, similiter atque in aliis *Dictynis*, sulculis 2—3 lateralibus, obliquis, introrsum convergentibus insculpta.

Ad Gothob. inventa.

5. **D. pectita** (Sund.). Abdomine luteo, lateribus maculaque antica magna nigris. *Sundevall.*

Theridion pectitum Sund. A:o 1831, p. 124. — *Dictyna id.* Consp. Arachn. p. 16.

Descriptio Dom. Sundevallii: *femina* minor quam *D. benigna* (*D. arundinacea*). Thorax niger; pars cephalica picea, pilis albis, fere ut in *D. benigna* dispositis (quasi pectitis). Pedes flavi; articulorum apices et annulus medius tibiæ femorisque nigri; in femore annulus et nigredo apicis confluunt. Abdomen supra subtusque luteum vel flavum; nigra sunt: latera (sc. vittæ 2 magnæ, utrinque attenuatæ, totum abdomen cingentes), et macula linearis e basi ad medium abdominis extensa; vitta ventralis nigricans.

Thorax minus convexus quam in *D. benigna* (*D. arundinacea*). Oculi evidentes, in figuram segmenti circuli dispositi; laterales discreti, vix in tuberculo quodam elevati. Mandibulæ breves, crassæ, cylindricæ. Palpi long. circiter femoris. Pedes apice parum attenuati, setis majoribus, æqualibus tecti; proport. 1, 2, 4, 3, (vel forte 1, 4, 2, 3?), antici long. thoracis 2 ½. Abdomen crassum, globoso-oblongum, mamillis parvis, convergentibus.

Mas ignotus.

Ad Högestad Scaniæ, tempore hyemali, in domibus rarius inventa. Mores ignoti.

Nota. Quia hæc araneola haud in collectione *Sundevalli* adest, non dijudicare possum, quæ sit hæc species.

XXI. CLUBIONA WALCK.

Pedes proportione 4, 2, 1, 3; articulis pedum 2:di et 1:mi ordinis inter se parum discrepantibus, tibiis secundis aut paullo longioribus aut subæqualiter longis ac quartæ, at metatarsis ejusdem ordinis evidenter brevioribus quam iidem articuli quarti ordinis; tarsi antici in nonnullis speciebus sat evidenter scopulati; tibiæ anteriores subtus aculeis duobus juxta basin et medium, per paria dispositis, metatarsi aculeis duobus ejusmodi, juxta basin sitis; tibiæ pedum posteriorum aculeis 2—3 lateralibus, nonnullisque etiam in apice, metatarsis aculeis numerosioribus, circiter 10—12, minus regulariter sparsis; tibiæ supra non ullis aculeis; aculeus medius lateris postici in patellis 4 posterioribus plerumque adest; pedes pilis ordinariis subtilibus vestiti, his plerumque patentibus, præsertim in maribus; femora antica parum incrassata; toti pedes sat graciles dicendi, patellis anticis longit. $\frac{1}{2}$, in ♀ fere $\frac{2}{3}$ tibiarum, his ambobus articulis conjunctim satis evidenter longioribus quam metatarsi una cum tarsis, quod e brevitate metatarsorum pendet; hi scilicet non longiores quam $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ tibiarum. Thorax subsemicylindricus, dorso autem longitrorsum leviter convexo; pone medium canalicula brevi angusta impressus; pars cephalica haud distincta; frons in ♀ fere æque lata, in maribus nonnullis paullo angustior quam latitudo media partis thoracicæ. Oculi fere ut in *Cheiracanthio*, at duo laterales non tam multo contigui, inter se parum brevius dissiti quam efficit intervallum inter oculum anticum et oculum proximum intermediorum anticorum, vel ambo vix brevius separati quam duo intermedii antici inter se; laterales postici ab anticis valde oblique positi, ita ut locus, cui impositi sunt, ab antice contemplatus, evidenter observari pos-

sit, vel eo modo, quo oculi 4 antici una cum illis quasi in seriem communem recurvatam dispositi videantur; ambæ series præterea inter se magis approximatæ; tota area oculorum itaque 4:plo latior quam longior evadit; oculi 4 intermedii, ut in *Cheiracanthio*, in trapezium dispositi; 4 postici intervallis parum inæqualibus separati; series antica recta aut vix levissime deorsum curvata. Clypeus etiam vix altior quam efficit longitudo diametri unius oculi intermediorum anticorum. Mandibulæ aut convexiusculæ, aut subplanæ. Maxillæ paralleliter porrectæ, plerumque medio valde angustatæ, apicibus dilatatis. Abdomen elongato-ovatum, pube adpressa et pilis erectis vestitum, his saltem in extremitate basali abdominis distinctis; pili ejusmodi etiam in thorace anterius et ad basin mandibularum adsunt. Retia e cubiculo sericeo constant; sub lapidibus, cortice arborum et muscis, in rimis et inter folia convoluta alibique locantur; saccus ovorum lenticularis, submembranaceus, mollis et subrugulosus, ut in *Drassode*.

1. **C. pallidula** (Clerck): pallida, glauca vel interdum fusca, thorace long. 5 mm., in summo margine fusco-nigricante; mandibulis piceo-nigricantibus, *feminæ* superne a basi ultra medium leviter convexis, quam femora antica duplo crassioribus, *maris* superne perparum convexis, subrectis, quam femora antica vix dimidio crassioribus, quam metatarsi antici evidenter brevioribus et quam thoracis dimidia longitudo non longioribus, introrsum excavatione elongato-ovata munitis, hac usque ad ipsum apicem producta; hujus palporum parte tibiali in apice lateris externi in spinam obtusam, subaduncam sat distinctam producta, spinæ apice quasi emarginato; lamina ordinaria latitudine femoribus anticis vix cedente. (Oculis lateralibus anticis ab intermediis non distincte longius quam hi inter se distantibus, mandibulis a basi ultra medium sat dense et longe pilosis).

Var. a. thorace pallido vel glauco, area oculorum plus minus fuscescente, thoracis margine summo laterali hu-

jus coloris; abdomine pube densissima griseo-albida omnino obducto; pedibus pallidis.

Var. b. thorace abdomineque fuscis; pedibus fusco-testaceis, femoribus, patellis et tibiis, præsertim illis, superne plerumque in vivis striola longitudinali saturatiore notatis; abdomine ad latera griseo-albido-pubescente, dorso magis nudo, sæpe opaco (an pube detrita?), serie dupla e lineolis obliquis, vel arcubus transversis rufo-brunneis seu pallidis notato, foveolis 4 ordinariis, eodem colore contaminatis, certo lumine perspiciendis impresso. Femina veterior. Mares, similiter colorati, nondum a me inventi.

Var. a = *Araneus pallidulus* CLERCK. p. 81, Pl. 2, t. 7. — *Ar. holosericea* LINN. Syst. n. Ed. 10, I, p, 622; Ed. 12, p. 1034, et F. sv. Ed. 2, p. 490. — *Clubiona idem var. a* SUND. (*var. b* forsitan ad *Cl. erraticam,* et *var. c* ad *Cl. holosericeam* nostram sunt referendæ). — *Var. b* = *Aranea amarantha* WALCK. F. par. II, p. 219, 62 et *Club. idem* Apt. I, p. 591, 2. — HAHN die Ar. I, p. 113, T. 29, f. 85. — *Cl. incomta* KOCH ib. VI, p. 18, T. 185, f. 442. — *Var. a* et *b* = *Cl. amarantha* WESTR. Enum. Ar. p. 49. — *Cl. pallidula* THORELL Rec. crit. p. 37 et Om Clercks Origin. Spindelsaml. p. 146.

Femina var. a ab insequente specie differt magnitudine paullo majore. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. non infra 5 mm.; metatarsi et tarsi conj. 5 ½, toti pedes 14—15 mm. Thorax fere eadem longitudine atque in illa, vel paullulum major est. Mandibulæ ut in illa fusco-nigricantes; magis nitidæ, rugositate ad partem tantum spatium laterale occupante; superne a basi ad medium leviter tantum, nec fornicatim convexæ, et in eodem spatio nec supra basi tantum sat crebre erecto-pilosæ; superficies organorum, exceptis apicibus, in *Cl. holosericea* propter rugosisatem evidentiorem, et supra et ad latera sparsam, magis opaca videtur; rugositate eorum in *Cl. pallidula* subtiliore, ad latera sensim rudius accrescente, tota latera, exceptis apicibus, occupante, in superiore superficie vix ulla. Mandibulæ in *Cl. holosericea* supra ipsam basin tantum nec ut in *Cl. pallidula* ultra medium pilosæ, an ita semper (?). Thoracis

margo summus nigro-fuscus, nec ut in *Cl. holosericea* concolor. Palpi et pedes ut in illa pallidi vel glaucescenti-pallidi; metatarsi et tarsi antici toti, metatarsi postici apice, tarsique toti subtus e scopulis vel pube brevi densiore nigra fuscescunt. Abdomen ubique pube griseo-albida subsericea obductum, unicolor; in exemplis, in spir. vini asservatis, interdum serie e lineolis oppositis, vel arcubus transversis pallidis notatum, ut in *var. b.* Femora, patellæ et tibiæ anticæ subtus pilis perpendicularibus pluribus longiusculis vestita, pilo uno alterove longit. diametrum articulorum fere superante, plerisque hanc saltem attingentibus; tibiæ et tarsi etiam superne pilis ejusmodi patentibus, uti subtus numerosis vestita. Oculi laterales antici ab intermediis anticis vix longius quam hi inter se distant, vel atque efficit longitudo diametri oculi, at in *C. holosericea* illa distantia satis evidenter major est, vel eorum intervallum duplo major quam diameter oculorum lateralium, vel ac 1½ diametri oculorum intermediorum, qui paullo majores sunt. *Cl. holosericea* fere sola est, quæ oculos 4 anticos tali modo dispositos habet; an id semper?.

Mas. Thorax plerumque luteo-testaceus. Pedes aut pallidi aut luteo-pallidi. Mandibulæ, a latere inspectæ, vix dimidio crassiores quam femora antica, perpendiculariter inspectæ non ulla convexitate basali insigniore ultra marginem clypei porrectæ, in latere antico longitrorsum perparum convexæ, in latere interno maxima parte excavatæ, excavatione quoad suam formam elongato-ovatam per marginem superiorem, paullo elevatum et carinatum, melius perspicienda; hic margo non ut in *Cl. holosericea* longe intra apicem mandibularum desinit sive sensim evanescit, sed in arcum levissime tantum flexum, pro observatoris oculo evidentius ad ipsius apicis partem superiorem decurrit; h. e. mandibularum apices in *Cl. pallidula* in latere externo tantum æqualiter convexi, introrsum autem ibi excavati, at in *Cl. holosericea* est apex totus æqualiter teres, introrsum non excavatus, proinde apex in hac, superne inspectus, æque latus ac femora antica videtur, at in *Cl. pallidula* tibiarum

anticar. latitudinem non superat; apices mandibularum supra fere lineola elevata instructi; hæc tamen minus evidens quam in *Cl. lutescente* (3). (Superficies excavationis obsolete coriacea, fere glabra, simulque magis opaca, at in *Cl. holosericea* sat evidenter coriacea, vel, ut verius dicam, quasi undulis minoribus impressis adspersa, magis nitida). Mandibulæ paullo breviores quam metatarsi antici, et simul dimidiam longitudinem thoracis vix attingunt, saltem non superant; in *Cl. holosericea* autem illæ longitudine metatarsis iisdem non cedunt, immo eos paullo superant, simulque fere $^2/_3$—$^3/_4$ thoracis longitudinis attingunt; amplitudo earum baseos ad maximum duplo, at in *Cl. holosericea* triplo major quam amplitudo femorum anticorum esse dici potest; ut in ♀ illæ a basi ad medium evidenter pilosæ sunt. Palporum lamina ordinaria evidenter latior quam tibiæ anticæ, fere latitudinem femorum anticorum attingens; pars tibialis apice in spinam, extus piceo-nigram, robustam, facillime observandam productæ; spina extus quasi emarginata vel biloba, sive unco minore aucta. In *Cl. holosericea* spinula paullo minor videtur, non ullibi uncinata.

Var. b. Femina colore fusco tantum discrepat a *var. a.* Hæc varietas forsitan constat e talibus exemplis, quæ illum colorem versus finem æstatis vel, hiemem superviventia, anno postremo adsumserunt. Abdomen feminæ gravidæ valde distentum, nitidum, pubescentia brevissima, cutem minus dense obumbrante vestitum. Cavendum est ne hanc varietatem quoad colorem, et juniores *varietatis a* quoad magnitudinem et glabritiem mandibularum cum *Cl. triviali* (6) confundas. Hæc species etiam tota colore fusco picta, fere dimidio minor, thoracis longitudine $2^2/_3$ mm. tantum. An juniores *Cl. pallidulæ* umquam colore fusco variant?

Habitat ad Gbg. frequenter in arbustis, plerumque in folio quodam, ubi aranea nidum e textura densa albo-sericea construit, foliorum margines complicans. In Scan., Blek., Oel. et Upl. a *Sundevall*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* inventa.

2. **C. holosericea** (De Géer): pallida sive lutescenti-grisea, thorace longit. 4—4½ mm., summo margine concolore; parte cephalica plus minus fuscescente; mandibulis piceo-nigricantibus, ubique et præsertim in lateribus evidentius coriaceis, magis opacis, apicibus subnitidis, in utroque sexu in latere antico alte convexis et quam femora antica duplo vel triplo crassioribus, longitudinem metatarsorum anticorum evidenter attingentibus, immo in ♂ paullo longioribus; his organis in ♂ introrsum excavatione media magna præditis, excavationis margine superiore arcuatim flexo, extrorsum longe ante apicem organorum introrsum directo et hic evanescente (nec margine eodem usque ad ipsum apicem organorum magis visibiliter decurrente); ejusdem sexus palporum parte tibiali in apice lateris externi dente minuto, piceo, apice subemarginato instructa; lamina ordinaria non latiore quam tibiæ anticæ; oculis lateralibus anticis ab intermediis evidentissime longius quam hi inter se distantibus. (Mandibulis supra basin tantum parce pilosis).

A. holosericea De Géer VII, p. 266, pl. 15, f. 13—16. — *Club. idem* Walck. Apt. I, p. 590. — Hahn die Ar. I, p. 112, T. XXIX, f. 84. — Westr. Enum. Ar. pag. 49. — Thorell Rec. crit. p. 39.

Simillima *Cl. pallidulæ*. Magnitudo paullo minor. Pedes postici longit. circiter 11, patellæ et tibiæ conjunctim 4—4½ mm. Margo summus thoracis concolor, nec fuscus; frons et in vivis et in exemplis, in spiritu vini asservatis, piceo-nigricans. Mandibulæ in utroque sexu robustiores, præsertim in ♀ usque triplo ampliores quam femora antica dicendæ; in ♂ saltem duplo ampliores sunt; in hoc organa illa non ut in aliis speciebus superne recta, sed a basi ultra medium valde fornicata et simul porrecta sunt; superficie, excepta apicali, propter rugositatem subopacata; mandibularum longitudo in ♀ metatarsos anticos æquat; in ♂ illæ paullo longiores et quam tarsi antici, vel quam patellæ tertii ordinis duplo longiores esse videntur. *Mas* a ♂ *Cl. pallidulæ* et insequentium præterea distinguitur forma singulari excavationis internæ mandibularum (confer descriptio-

nem *Cl. pallidulæ*), Abdomen griseum vel luteo-griseum, pube rudiore subsericea, adpressa, luteo-cinerea (nec canescenti-albida) vestitum, in vivis semper unicolor; in exemplis, in spir. vini asservatis et forsitan in exemplis detritis, vestigia lineolarum oppositarum vel arcuum transversalium pallidorum adsunt. Ut *Cl. pallidula*, a *Cl. triviali* (6) distinguitur magnitudine majore et femoribus anticis reliquisque articulis pilis patentibus longioribus et crebrioribus vestitis, colore et structura mandibularum longe aliis. Rogo ut dispositionem oculorum 4 anticorum bene observes, et quæ in descriptione *Cl. pallidulæ* explanatius memoratur. In pluribus exemplis mandibulæ supra basin tantum, nec ut in *Cl. pallidula* a basi ultra medium pilosæ erant; quæ nota verisimiliter constans est.

Ut mihi hactenus contigit comperire, libentius extra regnum vegetabile degit. Sub lapidibus in sæpibus lapideis, in rimis domiciliorum cet. frequenter occurrit ad Gothob. Ad Upsaliam minus frequenter a *Thorell* inventa; in Ostrog., v. *Post.*

3. **C. lutescens**: *Mas* thorace, longit. 3 mm., margine laterali concolore pedibusque pallido-luteis; abdomine (in specimine detrito) in lateribus pube luteo-albida vestito; mandibulis porectis, piceo-rufescentibus, quam femora antica parum crassioribus, superne rectis, metatarsorum anticorum longitudinem paullo superantibus, saltem evidenter attingentibus, $^2/_3$ thoracis longitudinis æquantibus et non insigniter brevioribus quam tibiæ anticæ, ut et quam patellæ, saltem quam tarsi duplo longioribus, in latere interiore usque ad apicem excavatione sublineari, vel hujus margine superiore leviter æqualiterque arcuato, insculptis; ab earum basi sub oculis lateralibus posticis exeunte carinula humili, ad medium evanescente, at supra apicem quasi iterum continuata; palpis luteo-pallidis, parte tibiali in spinam acuminatam (sive calcar) nigro-piceam, æque longam atque ipse articulus producta; hac spina juxta basin, inferne, spina altera tenuiore et bre-

viore, subrecta (uno latere extus oblique obtusa) instructa; membro genitali rufo-brunneo, ovato vel in latere, quod ad os vergit, convexo, nec ullibi impresso, apice oblique obtuso, hic calcari vel seta spiraliter flexa instructo; pilis patentibus sub tibiis anticis paucis et non longioribus quam diameter articuli.

WESTR. Enum. Ar. p. 49.

Mas Cl. terrestri (4) valde similis. Thorax, qui uti pedes potius lutescit quam pallescit, postice minus altus videtur, sive pone canaliculam ordinariam magis sensim declivis? Mandibulæ evidenter longiores quam dimidia pars thoracis, vel fere usque $^2/_3$ hujus attingunt; illæ metatarsos anticos potius superare quam æquare dici queant; non nisi paullulum breviores quam tibiæ anticæ et evidentius quam in specie allata porrectæ (circiter 45 °). Spina brevior, basin versus, in partis tibialis apice producto sita, magis recta, non evidenter arcuata (apice quasi uno latere oblique attenuata (?)). Mandibulæ ut in *Cl. terrestri* rufo-brunneæ, haud nigrore tinctæ. Magnitudo corporis vix major quam in illa. Rogo ut carinulam dorsalem mandibularum, e basi egredientem, bene observes; hæc carinula supra apicem paullo evidentior quam in *Cl. pallidula* mihi videtur. Ab hac specie differt magnitudine minore, thoracis longitudine non ultra 3 mm., patellis et tibiis anticis conjunctim 3 mm., mandibulis metatarsos anticos non solum attingentibus sed fere superantibus, quam tibiæ anticæ minus evidenter brevioribus, tibiis anticis pilis patentibus paucis, non longioribus quam diameter articuli. Lamina ordinaria; ut in illa, æque lata ac femora antica. Calcar in apice partis tibialis longius, regulariter acuminatum, nec apice emarginatum.

Semel in arbustis ad prædium Nortaka, in insula Hisingen prope Gothob. capta.

5. **C. terrestris**: thorace longit. 3 mm. margine concolore, pedibus abdomineque luteo-pallidis, hoc plerumque anterius linea longitudinali fusca, posteriusque, præsertim in ♂, macula supraanali rufo-fusca; mandibulis luteo-

brunneis, in ♀ superne nonnihil convexis, quam femora antica evidenter crassioribus, in ♂ totis superne rectis, quam femora antica vix crassioribus, praesertim in hoc sexu longitudinem metatarsorum anticorum haud attingentibus, in utroque sexu non insigniter longioribus quam patellae anticae, et thoracis dimidiam longitudinem saltem non superantibus, potius evidenter non attingentibus; palpis pallidis, in ♂ parte tibiali in spinam acuminatam nigro-piceam, distinctissimam, aeque longam atque ipse articulus producta, hac spina ad basin subterius calcari tenuiore et breviore aucta, calcari propter applicationem ad bulbum aegre observando; ipso membro genitali nigro-piceo, nitido, subcylindrico, in latere interiore nonnihil impresso vel sinuato, ipso apice obtuso sive truncato, calcari gracillimo acuto, arcuato instructo. Patellae et tibiae posticae conjunctim longit. 3—3 $^1/_2$ mm.

WESTR. Enum. Ar. p. 49 (exclus. synon. *Kochii*).

Mas et *Femina*. Thorax, praesertim in ♂, posterius in loco, ubi canalicula ordinaria adest, fere altior quam anterius, dorso ibidem valde vel circulariter fornicato, ad basin convexim et magis abrupte, nec decliviter descendente, tota superficies pube tenui, adpressa, griseo-albida vestita, in exemplis detritis nitidissima. Mandibulae rufo-brunneae, haud piceo-nigrae, satis nitidae, nec basin versus subopacae; illae in ♀ nonnihil convexae et evidenter crassiores quam femora antica, in ♂ superne rectae, quam femora haud crassiores, leviter porrectae. *Mas* a ♂ *Cl. lutescentis* (3), cui valde similis est, differt colore thoracis et pedum haud colore luteo tincto; mandibulis ad summum $^1/_2$ nec $^2/_3$ thoracis longitudinis attingentibus, simulque non omnino tam evidenter longitudinem metatarsorum anticorum adaequantibus vel fere superantibus, neque iis tam evidenter longioribus quam patellae anticae; mandibularum latus internum ut in *Cl. pallidula* et *Cl. lutescente* excavatione elongato-ovata praeditum, margine superiore excavationis etiam aequaliter et leviter, nec ut in *Cl. holosericea* subcirculariter flexo. Cal-

lus, qui in pluribus araneis in basi mandibularum, mox infra oculos laterales posticos adesse solet, evidens, at non ut in *Cl. lutescentis* ♂ in carinulam sensim evanescentem continuatus. Palporum partis tibialis spinula brevior, quæ sub basin spinæ majoris in latere externo sita est, distinctior, magis regulariter arcuata, calcariformis (apiceque æqualiter acuminata, nec ut in *Cl. lutescente* subrecta et uno latere oblique obtusa). Hæc differentia in structura spinarum ægre extricanda, nisi investigatio spinulæ brevioris sub lente acuta aut, quod melius est, in ipso articulo, e bulbo avulso peragatur. Ipse bulbus genitalis, qui ut in *Cl. lutescente* calcari apicali, acuto, arcuato sive seta involuta instructus est, magis elongatus, teres, in latere interiore non fornicatus, sed quasi sinu vel excavatione vadosa præditus; lamina ordinaria et partes præcedentes pallidæ; illa ut in ♂ *Cl. pallidulæ* et *lutescentis* latior quam tibiæ anticæ. Abdomen in ♂ gracile, elongato-ovatum, quam thorax angustius, dorso in vivis vestigio seriei ex arcubus transversis pallidis, certo lumine apparentibus, quæ pictura autem, plerumque quam maxime languida, haud ut nota constans est adsumenda; in ♂ sæpe vittam basalem et maculam oblongam supra anum fuscescentes observavi. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. 3—3½ mm. *Femina* a ♀ *Cl. pallentis* (10) ægre dignoscenda, nisi magnitudine majore.

Mense Augusto sub foliis deciduis, in querceto prope prædium Sårö Hallandiæ capta. In Ostrog., *v. Post.*

5. **C. erratica** (Koch): *Mas* pallido-lutescens, abdominis vitta media, a basi ad medium dorsi extensa, fusca; mandibulis brunneo-rufescentibus, longitudine tarsos anticos vix vel parum superantibus, vel ⅔ metatarsorum et non ultra ⅓ thoracis attingentibus, superficie interiore non ullibi excavata; palporum parte tibiali in latere externo apicis bilobata, lobis nigris, antico eorum nitido, majore, calcar minutum sive spinam breviorem, apice subaduncam, nec spinam subulatim productam assimilante.

Femina mandibulis rufo-brunneis, convexioribus, ut in ♂ nitidis, amplitudine fere duplo, saltem evidentissime majore quam femora antica; abdominis pictura ut in ♂.

Koch X, p. 181, T. 359, f. 842—43.

Thorax in ♀ longit. 3, in ♂ 2½ mm., vel magnitudine fere *C. terrestris* (4). Ab hac uterque sexus constanter differt præsentia vittæ fuscæ in abdominis dorso; hæc vitta plerumque in medio laterum lobum vel dentem brevem emittit; apice acuminata, unde ad formam subhastata videtur. Thoracis abdominisque superficies pube densa adpressa, lutea vel luteo-albida, subsericea, in abdomine certo lumine fere suborichalceo-micante obducta. Mandibulæ in ♂, ut in ♀, omnino perpendiculares; ille a ♂ *Cl. terrestris* distinguitur mandibulis introrsum ne ad minimum excavatis et palporum partis tibialis lobo apicali superiore breviore quam ipsa illa pars et non subulatim elongato. A ♂ *Cl. lutescentis* (3) ille differt mandibulis parum longioribus quam tarsi, vel vix longioribus quam ⅓ thoracis, neque sunt eadem organa introrsum excavata. Præsentia vittæ abdominis fuscæ, quæ semper saturatius remanere videtur, ut nota non minimi momenti etiam consideranda est; excepta hac pictura femina valde similis feminæ *Cl. terrestris*. A *Clubiona comta* (9), quæ vittam talem, at minus saturatam habet, distinguitur abdominis ventre concolore, et corporis magnitudine dimidio majore. Patellæ et tibiæ anticæ conjunctim in ♂ longit. 3, in ♀ 2¾ mm.

In Upl. a *Thorell*, et in Ostrog. a *v. Post* inventa.

6. **C. trivialis** (Koch?): *Femina* fusca, thorace longit. 2⅔ mm., summo margine fusco-nigricante; mandibulis piceo-nigricantibus, duplo fere crassioribus quam femora antica, superne paullo convexis, ad basin laterum obsolete reticulatis simulque hic cum reliqua superficie nitidis; abdomine fusco-nigricante, pube cinereo-albida minus crebra vestito; femoribus, patellis et tibiis anticis, præter pilos ordinarios adpressos, subtus pilis patentibus pau-

cioribus tantum, in tibiis circiter 7—8, evidenter brevioribus quam diameter articuli, quo insistunt; pedibus diaphano-fuscis, metatarsis tarsisque fuliginosis, femoribus, patellis tibiisque superne linea angusta fusca, in mortuis evanescente.

Koch X, p. 182, T. 359, f. 845?

Simillima *Cl. pallidulæ*, *var. b*, et, obiter inspecta, pro individuo tantum juniore hujus varietatis facile habenda; at juniores *Cl. pallidulæ*, quoad colorem semper pallido-glaucescentes, nec hactenus fuscescentes vidi, et si tarsos in junioribus *Cl. pallidulæ*, magnitudine *Cl. trivialis*, bene inspiciamus, ii, similiter atque in omnibus aliis araneis junioribus, medio tumidiores sunt quam in senioribus; præterea sunt organa sexualia in nostra specie perfecte explicata, simulque metatarsi cum tarsis graciles et una cum reliqua parte pedum post mortem et exsiccationem non propter corrugationem ullibi deformes facti, quod e contrario in araneis junioribus plerumque videbis. A *Cl. fuscula* (7) differt magnitudine majore et pedibus fusco- nec luteo-testaceis; mandibulæ nitidæ, glabriores, non opacæ, neque ad latera evidenter coriaceæ. Thorax, erga lucem contemplatus, in vivis fusco-olivaceo-diaphanus, striolis maculisque minoribus fuscis marmoratus. Mandibulæ ubique nitidæ, etiam ad latera baseos, ubi illæ obsoletissime tantum coriaceo-reticulatæ sunt. Palporum et pedum articuli duo ultimi fuliginosi seu picei; pedes, erga lucem contemplati, ut in *var. b Cl. pallidulæ*, quasi ut lamina testudinea diaphano-fusci, femoribus (patellis et tibiis) in vivis etiam in medietate longitudinali lætius diaphanis, his linea longitudinali fusca notatis, hac linea in siccatis evanescente. Abdomen ut in illa in fundo fusco-nigricans, pube grisea albida, ut videtur, minus crebra minusque sericeo-nitente vestitum, dorso in exemplis, erga ignem induratis, vestigia lineolarum oppositarum seu arcuum transversalium rufo-pallidorum repræsentante; lateribus striolis ejusmodi pictis. Apertura genitalis per valvulam clausa, et per pubem griseo-albidam sericeam adpressam obtecta; sub valvula (post animalculi indurationem

paullo reclinata) observatur apertura transversa angusta; valvula postice tubercula tria, foveolas duas includentia, repræsentat. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. 3, iidem articuli pedum anticorum $2^2/_3$ mm.; thorax et abdomen conjunctim 7 mm. Tibiæ anticæ non ut in senioribus *Cl. pallidulæ* subtus pilis ullis patentibus innumerabilibus, sed tantum circiter 7—9 vestitæ, qui non diametrum tibiæ attingunt; supra apicem patellarum pilus 1, et supra tibias tantum 2—3 verticales harum diametrum attingunt; femora antica subtus etiam non tam numerose et longe pilosa; tamen hic interdum adsunt pili perpendiculares 8—10, qui longitudine diametrum tibiarum, at non femorum attingunt.

Mense Angusto in societate cum *Cl. pallidula* (junioribus et ♀ gravida) in foliis arbustorum, ad Ramberget in insula Hisingen prope Gothob. inventa; specimen unicum eodem mense in fenestra captum.

7. **C. fuscula**: *Mas* thorace, longit. 2 mm., mandibulisque fusco-brunneis, his latere antico rectis, basi quam femora antica paullo crassioribus; quam metatarsi antici, et quam dimidia longitudo thoracis non longioribus, in latere interno æqualibus, nec excavatione ulla distincta præditis; palporum parte tibiali fusco-testacea, nitida, extus in valvulam convexam, arcuatim introrsum flexam, extus mucronatam vel calcaratim elongatam producta, mucrone vel calcari, uti tota valvula, rufo-piceo, ipso apice mucronis quasi in furcam minorem finito, valvula in basi introrsum in spinulam breviusculam, ægrius observandam producta; membro genitali apice spina recta; pedibus luteo-pallescentibus.

Femina: mandibulis fere duplo crassioribus quam femora antica, in latere antico paullo convexis, opacis; præsertim in lateribus, excepto apice, sat rude coriaceis; thoracis margine concolore; abdomine fusco, pube cinereo-albida, parum densa minusque nitida vestito; pedibus ut in ♂ luteo-pallidis; patellis et tibiis posticis longit. circiter $2^1/_4$ mm.

WESTR. Enum. Ar. p. 49 (excl. syn. *Kochii C. trivialis*, quam nescio utrum hæc an ad speciem præcedentem referri debeat).

Quoad colorem thoracis et abdominis *Cl. pallidulæ* (1) *var. b* et *Cl. triviali* (6) subsimilis. Ab utraque differt pedibus luseo-pallescentibus, nec fuscis. Mandibulæ, præsertim feminæ, opacæ et ad latera evidenter coriaceæ, nec ut in *Cl. triviali* ♀ nitidæ et glabræ; nisi in ♀ minus saturate infuscatæ. Totum animalculum circiter 5 mm. longum; thoracis longitudo tantum 2 mm. Abdomen ut in illis speciebus superne vestigiis arcuum tranversalium rufo-brunneorum, et latera striolis vel punctis ejusdem coloris picta, quæ pictura forsitan in exemplis minus detritis non est conspicua. Intervalla oculorum 4 anticorum ut in speciebus allatis subæqualiter longa. Pedum anticorum tarsi obsolete scopulati. *Mas* a ♂ *Cl. terrestris* (4) et aliarum specierum facile distinguitur structura palporum partis tibialis; hæc in apice, similiter atque in præcedentibus, in calcar producta; calcar autem valde arcuatum, arcuatione introrsum supra laminam ordinariam directa, unde apex calcaris non ut in præcedentibus erga lucem facile observari potest; basis calcaris valde lata, fugaciter inspecta valvulam convexam nitidam assimilans; productio valvulæ apicis tenuis mucronem assimilat; hic mucro ante apicem, in latere externo, in angulum minutum formatus, ipse apex mucronis furcatus, quod omne ægre videri potest; productio cum mucrone non dissimilis chelæ gammari, cujus pollex defractus fuit; membrum genitale piceum, extus spina minuta obtusa recta, non arcuatim flexa armatum; pars patellaris breviter obconica, parum longior quam crassior. Mandibulæ introrsum nullo loco excavatæ.

Mense Aprili sub foliis deciduis in nemore Slottskogen prope Gothob. capta. Ad Holmiam sub cortice quercus *Thorell*.

8. **C. corticalis** (WALCK.): *Femina* thorace longit. 3 mm., griseo seu pallido, margine summo nigro-fusco; mandibulis rufo-brunneis, totis superne rectis nec convexis,

quam femora antica non crassioribus; abdomine fusco, dorso vitta pallida, antice lineam longitudinalem fuscam includente, a medio ad apicem utrinque lobata, in disco per angulos fuscos 4—5 maculatim persecta, exstantibus angulis vel lineolis oppositis totidem pallidis et fuscis alternantibus, pedibus pallidis, tarsis anterioribus rufobrunneis.

Mas: ut ♀ coloratus et mandibulis superne rectis, perpendiculariter descendentibus, nec ut in nonnullis speciebus porrectis; palporum membro genitali ovato, lævi, nitidissimo, subdiaphano, crassitie femoribus anticis haud cedente, oblique ab apice usque ad suum medium laminæ ordinariæ arcte adnexo, apice superiore convexo sursum longe ultra basin partis tibialis adscendente.

Ar. corticalis Walck. F. par. II, Append. p. 429 et *Club. idem* Walck. Apt. I, p. 593.

Femina. Thorax longit. $3^1/_3$, pedes postici 10, patellæ et tibiæ conjunctim 3 mm.; pedes antici 7, patellæ et tibiæ conjunctim $2^3/_4$ mm. Oculi intermedii antici similiter atque in *Cl. terrestri, lutescente* et *fuscula* inter se haud magis approximati quam efficit spatium inter eos et laterales (immo contendo intervallum differentia capillari majus esse); iidem quatuor oculi magis concentrici, vel majores, ita ut interstitium inter oculos intermedios et laterales minus videatur qnam diameter unius oculi. Thorax pilis non tam densis adpressis albido-griseis vestitus; superficies magis nitida; margo summus ut in *Cl. pallidula* evidenter nigro-fuscus. Abdominis linea basalis fusca lanceolata semper evidens. Anguli, transversim positi, fusci, qui cum angulis pallidis alternant, saltem quoad ipsum geniculum eorum remanent, hoc instar puncti fusci se repræsentante. Abdominis latera fusca plerumque crebre subtiliter pallido-punctata, ut videtur nonnihil densius quam dorsum et venter griseo-albido-pubescentia; totum abdomen multo parcius quam, ex. gr., in *Cl. holosericea* pubescens, ita ut cutis non ut in hac obtecta, sed evidentius perspicienda evadat. Venter longitror-

sum pallidus, haud evidenter fusco-lineatus. Ut mihi videtur, saltem juniores in tibiarum basi et apice vestigio annuli fusci notati sunt (?), annulis in siccatis evanescentibus.

Mas propter structuram palporum articuli ultimi ab omnibus aliis *Clubionis* facile distingui potest. Bulbus genitalis vesiculæ similis, in pluribus exemplis lustratis, quæ exuvias relinquerunt, lineis duabus mediis parallelis rubicundis transversim cinctus, ut in ♂ *Segestriæ senoculatæ*, qui bulbo fere subsimili instructus est; bulbus autem in illo suo apice crassiore seu convexo laminæ adnexus est, et suo apice tenuiore, valde cuspidato, libero, a lamina divergens. Mandibulæ plane perpendiculariter descendunt, in latere interiore excavatione elongato-ovata præditæ. Palporum pars tibialis spina apicali minutissima, parum conspicua instructa.

Sub lapidibus superioribus in sæpibus lapideis ad Gbg. sæpissime inventa; juniores mense Majo copiose lecti in silva Skår ad Örgryte, prope eandem urbem. In Bah. et Upl., *Thorell*.

9. **C. comta** (Koch): *Femina* lutea, thoracis margine summo concolore; abdomine supra fusco, vitta media pallida, antice lineam longitudinalem, ad medium dorsi extensam, fuscam includente, dein serie ex angulis vel arcubus, transverse positis, 4—5 fuscis notata, exstantibus igitur angulis totidem pallidis et fuscis alternantibus, ventre lineis longitudinalibus 2 vel 3 fuscis, his interdum obsoletis; thoracis longitudine 2, patellarum cum tibiis anticis conjunctim $1^3/_4$ mm.

Koch VI, p. 16, T. 185, f. 440, et X, p. 129, T. 358, f. 841.

Magnitudo *Cl. pallentis.* Quoad picturam abdominis dorsi simillima *Cl. corticali;* venter autem rarius unicolor, sed lineis plerumque tribus longitudinalibus fuscis ornatus; linea media interdum obsoletior vel nulla, restantibus lineis duabus, postice convergentibus, quasi annulum elongato-ovalem formantibus; interdum sunt omnes lineæ obliteratæ. Thorax in summo margine concolor, nec fuscus, una cum

pedibus colore luteo tincti. Mandibulæ luteo-rufescentes, omnino ut in *Cl. pallenti* et nonnullis aliis. Corpus molle, pedibus facile corrugandis. In *Cl. comta*, cum *Cl. corticali* comparata, videntur oculi intermedii postici a lateralibus posticis magis insigniter brevius quam inter se esse separati, vel intervallo fere dimidio majore quam spatium inter eos et oculum lateralem. In *Cl. corticali* intervallum idem paullo majus quidem est, sed minus quam totum spatium, quod ab ipsis oculis et oculo laterali occupatur; in *Cl. comta* autem intervallum paullo majus quam totum id spatium; an id recte a me visum?

Sub lapidibus superioribus in sæpibus lapideis prope Gothob. primo vere capta. - In Scan. *Boheman*, in Upland. *T. Thorell.*

10. **C. pallens** (Hahn): *Femina* thorace, longit. $1^3/_4$—2 mm., abdomineque luteo-testaceis, mandibulis saturatius coloratis, pedibus pallide luteo-testaceis, anticis totis longit. circiter $3^1/_2$—4, posticis $4^1/_2$—$4^3/_4$ mm., horum tibiis et patellis conjunctim longit. $1^3/_4$—2 mm.

Mas (?) thorace, mandibulis pedibusque pallidis (in specimine, ut videtur nuper excluso); mandibulis perpendicularibus, supra basin parum convexis, longitudine $^1/_2$ thoracis, non evidenter metatarsos anticos æquantibus (?), introrsum non ullibi excavatis; palporum parte tibiali in lobum fere concolorem, saltem non piceum vel nigrum apiceque rotundatum producta; tibiis et patellis anticis longit. conjunctim $1^3/_4$ mm.

Hahn die Ar. II, p. 10, T. 40, f. 101. — Koch ib. VI, p. 19, T. 186, f. 443—44.

Femina differt a præcedentibus, quoad colorem subsimilibus, defectu picturæ abdominis. A *Cl. fuscula* dignoscitur colore pallidiore. Abdomen in specimine uno, erga ignem indurato, aurantiaco-rufescens. Thorax forsitan variat colore olivacescente. Mandibulæ in basi parum convexæ, quam femora antica parum vel vix crassiores. Pedes

antici respectu magnitudinis corporis sat breves; tibiæ et patellæ eorum, simul sumtæ, longit. 1½ mm.

Mas a ♂ *Cl. terrestris* (4) differt mandibulis introrsum, apicem versus, non excavatis, palporumque parte tibiali, a latere inspecta, non in spinam calcariformem vel mucronem, sed in laminam sensim leviterque obtusam producta. Membrum genitale, quod, similiter atque in illo ♂, in apice appendice arcuata vel seta spiraliter flexa instructum est, pallido-testaceum, nec fusco-nigricans. A ♂ *Cl. fuscula* (7) etiam differt structura palporum partis tibialis, quæ non in apice lobi mucronatim vel calcaratim producta est; pedes in eodem ♂ paullo longiores, vel antici toti longit. circiter 4⅓, tibiæ et patellæ ejusdem ordinis conjunctim 2 mm. Venter et dorsum abdominis unicoloria.

In Scania ab *J. A. Carlsson*, in Upl. a *Thorell* inventa.

XXII. SPARASSUS Walck.

Pedes, proportione 2, 4, 1, 3; 1, 2 & 4 inter se parum discrepant; patellæ anticæ in ♀ parum breviores quam ½ tibiarum; ambo articuli, simul sumti, perparum, immo vix majores quam metatarsi cum tarsis; metatarsi triplo longiores quam efficit latitudo areæ oculorum; tarsi antici subtus distincte scopulati; toti pedes, ut in *Drasso*, sat robusti; femora antica supra basin non abrupte sed sensim incrassata, vel superne æqualiter arcuata; tibiæ anticæ subtus, utrinque, aculeo juxta basin et medium, fere per paria dispositis, et totidem in lateribus sitis; metatarsi subtus, prope basin, aculeis duobus et ante medium totidem, prætereaque uno laterali, gracilibus, longiusculis, diametro tibiarum duplo longioribus vel ultra; pedes posteriores fere simili modo aculeati; patellæ omnes in ♂ utrinque aculeo unico; femina ibi inermis; an hæc nota singularis semper constans? Thorax ovatus, æqualiter convexus, dorso a fronte ultra medium recto, hic fovea angusta vel canalicula longiuscula, in declivitatem posticam fere descendente impresso; pars cephalica haud distincta; frons latitudine ½

medii partis thoracicæ, vel in ♀ paullo latior. **Oculi** 4 antici in lineam subrectam vel parum retrorsum curvatam dispositi; duo intermedii minores quam laterales, et inter se distantiores; 4 postici in lineam parum procurvam dispositi, magnitudine æquales, etiamque minores; intermedii horum evidenter convexi, nec ut in *Drasso* plani; distantiores; oculi duo laterales inter se insigniter magis separati quam eorum oculus anticus ab oculo proximo intermediorum anticorum distat, vel ambobus una cum oculo proximo intermediorum posticorum aream triangularem æquilateram occupantibus; oculi 4 intermedii in trapezium longius quam latius dispositi, duo antici a margine supra os tam longe disiti atque efficit longitudo tripla diametri unius oculi, vel ab eo paullo brevius quam ab oculis interm. posticis locati. **Mandibulæ** sensim leviterque angustatæ, convexæ, basi æque crassæ ac femora antica, vix longiores quam efficit latitudo frontis vel clypei. **Maxillæ** ovatæ evidenter convexæ, nec excavatæ.

Transitus ad *Philodromum*, *Fam. IV:tæ*, præsertim ad eas species, quæ thoracem elongato-ovatum et abdomen ovatum habent.

1. **S. virescens** (CLERCK): virescens, thoracis margine plerumque flavescente; *femina* abdominis vitta media, albido- vel flavo-albido-marginata, obscuriore; *mas* vitta media lateralique rubescentibus.

Ar. virescens CLERCK p. 138, pl. 6, t. 4, et *Ar. roseus* p. 137, p. 6, T. 7. — *Ar. viridissima* DE GÉER VII, p. 252, N:o 14. — *Ar. smaragdula* FABR. Ent. S. II, p. 412, 18. — WALCK. F. Par. II, p. 226, 76, et *Ar. rosea* ib. 78. — *Spar. smaragdulus* WALCK. Tabl. p. 39 et *Sp. roseus* p. 40. — *Micrommata smaragdina* LATR. Gen. Cr. et ins. I, p. 115. — *Spar. smaragdinus* SUND. A:o 1831, p. 147. — *Microm. idem* HAHN die Ar. I, p. 119, T. 33, f. 89. — *Spar. smaragdulus* WALCK. Apt. I, p. 582. — *Spar. virescens* KOCH XII, p. 87, T. 416, f. 1019.

Femina. Thorax longit. 4½—5 mm., pedes 1:mi 14, 2:di 15, 3:tii 11, 4:ti 13½ mm.; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 5—5½ mm., abdomen elongato-ovatum longit. 8

mm. — Thoracis margo lateralis saltem in vivis flavus, quo colore pedes sæpe extus sensim tinguntur, præsertim in siccatis. Abdomen sæpe flavo-tinctum, et præsertim in exemplis, in spiritu vini asservatis, totum corpus hunc colorem adsumit. Scopulæ sub metatarsis et tarsis non ut in *Drassis* pluribus, *Drassode lapidicola* et *Clubiona pallidula* neque uberius neque parcius in apicem tibiarum adscendunt; scopulæ, a supra-contemplatæ, longiores, ab articulo divaricantes. Aculei in tibiis et metatarsis longiusculi, adpressi; aculeus secundus seriei subterioris, in tibiarum medio situs, suo apice haud procul ab apice illius aculei situs, qui altius inter medium et apicem locatus est; aculeorum longitudo duplo major est quam efficit longitudo diametri tibiarum. Ambitus genitalis quadratus vel subcordatus, postice truncatus; apertura, postice tantum perspicienda, transversalis, ad maximam partem per scutum nigrum nitidum clausa, hoc rugulis et canaliculis arcuatis ornato. Scutula pulmonalia flavida, quo colore interdum fere totum abdomen, interdum tantum ejus dorsum, præsertim circa cordis locum, sub epidermide translucentem et, obiter inspectum, vittam sublanceolatam fusciorem assimilantem, tinctum est. In exemplis, quæ dies quosdam captiva tenebam, color abdominis sensim languidior factus erat, et tunc in viridi-flavescentem transiebat. Ungues pedum distinctissimi, subtus pectinati; sub iis adsunt fasciculi duo e setulis rigidis, pulvillis in insectis perpluribus elytratis respondentes.

Mas. Abdominis vitta dorsalis media præsertim in marginibus rubescit; vitta ejusmodi lateralis, ab auctoribus descripta, in ♂ lustrato, in spir. vini asservato, obsoleta erat. Palpi omnino ut in ♂ *S. ornati* constructi et armati (confer hujus descriptionem); spina robusta in apice partis tibialis fere tota nec extus tantum picea vel nigro-picea.

Observandum est, marem hujus et insequentis speciei tam in patellis 4 anterioribus quam 4 posterioribus in utroque latere aculeo singulo instructum esse, aculeo lateris antici infra, lateris postici ante vel fere in medio locato; in ♀ aculeus haud ullus nec postice nec antice adest, qua in nota *Sparassus* ab omnibus (?) aliis *Drassidis* differt, quarum

FAM. IV. THOMISIDAE SUND. (*Laterigradae* LATR.).

I. THOMISUS WALCK.

Thorax satis evidenter longior quam latior, alte convexus, postice pro receptione abdominis baseos late impressus; frons truncata, æque fere lata ac $^2/_3$ latitudinis mediæ partis thoracicæ. Oculi aream lunatam occupant; 4 postici semper in lineam recurvatam dispositi, simulque est series 4 anticorum plus minus recurva, excepta serie illa in *Th. depresso*, quæ recta est; distantia inter oculos 2 laterales numquam insigniter major quam distantia inter oculum anticum eorum et oculum proximum intermediorum anticorum, vel eadem distantia non umquam duplo majore quam hæc; oculi 2 laterales eminentiæ communi impositi; intermedii antici a margine clypei supra os non plane tam longe atque ab oculis intermediis posticis distant. Mandibulæ conicæ, quam altitudo facialis haud multo longiores, nisi in *Th. depresso;* crassitiem femorum anticorum vix attingentes. Maxillæ in basi externa gibbæ, extus sensim angustatæ, apicibus paullo circa apicem labii convergentes. Abdomen obovatum, basi paullo truncatum, non nisi setulis paucis erectis, remote sparsis vestitum; illius pictura in ipsa cute insculpta, nec ut in genere *Philodromo* e pube dense congesta pendens; species nonnullæ abdomen et reliquas partes obsolete pilosa habent. Mamillæ breves, non apicales sed infra abdominis extremitatem posticam rotundato-obtusam locatæ. Pedes proportione 2, 4, 1, 3; quatuor anteriores evidenter crassiores et longiores quam quatuor posteriores, inter se longitudine parum discrepantes; posteriores abrupte breviores, etiam inter se subæque longi;

patellæ anticæ vix breviores quam $^1/_2$ tibiarum; femora secunda non evidenter longiora quam thorax, neque sunt metatarsi secundi evidenter longiores quam primi; femora superne sæpe aculeis nonnullis; tibiæ et metatarsi anteriores utrinque aculeis 4—5 vel pluribus, rarius tantum 2—3 in tibiis; aculei in his articulis (tibiis) saltem in ♀ breviores quam diameter ipsius articuli. Retia nulla, nisi fila pauciora, loco, ubi aranea sedet, affixa. Habitant plerique sub lapidibus, in pratis et collibus jacentibus; interdum in arbustorum foliis et inter folia, insectis insidiantes, plerumque pedibus extensis sedent. Saccus ovorum lenticularis, apud quem mater constanter vigilias agit. Ova inter se libera.

Obs. Feminæ, ad species diversas pertinentes, quoad picturam et alias notas inter se valde similes sunt, unde alia ab alia ægre distingui potest; eam ob causam monere vellem, ut loca habitationis, ubi capiuntur, bene observes, et, cum ambo sexus simul capiuntur, ut hos non cum aliis speciebus collectis confundas; quo fieri potest, ut feminam veram melius ab alteris internoscere possis, h. e. ejus locum in systemate facilius invenire sub sexu masculino, ibi descripto, qui fere omnes non difficile inter se distingui possunt in notis diversis, præcipue ad palpos pertinentibus.

SECTIO I.

Pedes toti setis brevibus, evidenter ultra cutem eminentibus vestiti, simulque est thorax una cum margine clypei ut et abdomen setis adhuc evidentioribus, rarioribus vestita. Oculi duo intermedii postici inter se non nisi differentia exigua magis approximati quam illi et laterales postici, excepto Th. d o r s a t o , saltem numquam tam multo, ut intervallum evidentissime minus sit quam inter illos et intermedios anticos, h. e. area, ab omnibus 4 occupata, saltem exacte quadrata, potius in plerisque feminis paullo latior quam longior, numquam vice versa, nisi hanc dispositionem oculorum in specie allata adesse dicere velles; oculi duo intermedii antici inter se in specie allata minus, in reliquis magis evidenter distant quam illi et laterales antici inter se, simulque sunt oculi laterales antici a margine supra mandibulas numquam evi-

dentur longius retracti quam æquat spatium inter oculos 2 intermedios anticos; an in specie allata paullo longius?

2. **Th. lanio** Koch: *Femina* brunneo-rufescens (in varietate 1 maxima parte fusco-nigricans), plerumque pictura solita: pedibus plus minus evidenter fusco-punctatis; oculis 2 lateralibus tuberculo humillimo impositis, ita ut circumscriptio verticis una cum laterum capitis, ab antice conspecta, regulariter circularis, nec versus oculos laterales in angulum eminentem abrupta evadat; parte cephalica anterius convexa; fronte, a postice et perpendiculariter inspecta, haud rectilineatim truncata, sed evidentius convexa; clypei margine, exceptis setis ordinariis 5—9 transversim seriatis, setulis aliis brevioribus, et inter et supra illas dispersis vestito; tibiis et metatarsis anterioribus utrinque serie ex aculeis 6—7, præsertim in latere antico hoc numero aculeorum armatis, et praeterea in metatarsis serie altera superiore ex aculeis 3, interdum 5, jam regulariter, jam inordinate positis, et una cum inferioribus sæpe in ziczac dispositis; thoracis longit. 5, latitudine 4½ mm.; patellis et tibiis anticis conjunctim fere 5 mm.

Xysticus lanio Koch XII, p. 77, T. 414, f. 1009—12.

Omnes partes, erga lucem inspectæ, setulis distinctis vestitæ, ut in descriptione Sectionis I:mæ indicatur. Inter *Thomisos* forsan maxima species. Thorax longit. usque 5, pedes anteriores 12—13, patellis cum tibiis conjunciim 4⅔ mm.; posteriores 9—10, patellis cum tibiis conj. 3½ mm. Specimen unicum thoracis picturam normalem, qua pleræque aliæ species ornatæ sunt, repræsentat. Latera ejus scilicet signantur plaga fusciore, in cujus posticam partem pictura basalis luteo-albida lobum emittit, illamque bifidam format, et dein versus dorsum summum in vittam antice bifidam adscendit, in cujus sinu pictura occipitalis fusca cuneatim intrat; hic cuneus sæpe propter fuscedinem lateralem diffusiorem minus accurate limitatus, et cum illa fuscedine confluens; apex cunei et superior pars postica plagæ late-

ralis sæpe in maculam vel punctum saturatius fuscum vel nigricans finita sunt, quorum præsertim illud, quod ad plagam pertinet, sæpius remanere solet; margo summus thoracis albidus seu eborinus. A plerisque speciebus distinguitur tuberculo humiliore, cui oculi 2 laterales impositi sunt, fronte antrorsum convexa, ita ut planum, ubi oculi 4 antici insistunt, non truncatum sed retrorsum curvatum evadat, et unde etiam oculi laterales antici, a latere inspecti, magis retracti quam intermedii videantur. A *Th. bifasciato*, qui quoad has notas medium tenet inter illum et species alias, distinguitur genis fronteque adhuc fortius convexis, hac, superne inspecta, seriem anticam oculorum evidentissime recurvatam repræsentante; exceptis setis ordinariis 8—9 in ipso margine clypei, hic setulis alteris tenuioribus, inter et supra illas adspersis vestitus. In plerisque *Thomisis* subsimilibus tuberculum oculare tam altum et cum antica sua parte supra oculos laterales anticos tam prominens est, ut frons, a postice et simul perpendiculariter inspecta, rectilineatim truncata videatur, simulque propter eminentiam suam sinum minorem inter se et centrum spatii ab oculis 4 mediis occupati, ut mihi videtur, satis distincte repræsentet; oculi laterales in illis speciebus igitur vix magis retracti quam 2 interm. videntur. Frons in illis speciebus, ab antice inspecta, una cum lateribus capitis superne non circulariter arcuata evadit, nam arcuatio hujusmodi per tuberculum oculare abrupta est. Thorax alte convexus, robustus, superficie, excepta illa in postica parte, setis haud tam robustis, sed tenuioribus et multo crebrioribus vestita, ita ut intervalla inter illas setas, quæ in pluribus aliis speciebus ex parte subseriatæ in parte cephalica adsunt, ubique pilis setulisve confertis repleantur, qua propter illæ, quæ præterea solito graciliores sunt, ab his ægrius seorsum internosci possunt; margo supra os etiam crebrius setulosus, ita ut setulæ circiter 8—9 distinctiores, quæ in pluribus speciebus secundum summum marginem seriatim dispositæ esse solent, haud evidenter seorsum discerni possint; mandibulæ etiam setulis crebrioribus in tota superficie antica indutæ. Hanc

ubertatem indumenti, præsertim setas in thorace, ubique, subæqualiter crassas, rogo ut bene observes. Numerum aculeorum in metatarsis anticis in latere antico apud reliquas species non ultra 9—10 vidi, at exempla *Th. lanionis* occurrunt, quæ ibi aculeis 12—13 armata sunt; aculei in tibiis anticis in latere antico plerumque 6, regulariter positi, intervallo inter tertium et quartum majore, ut in exemplis nonnullis *Th. bifasciati* et forsan pluribus; hæc nota tamen est minoris momenti. Pedes brunneo-rufescentes, femoribus anterioribus aut evidenter aut obsolete fusco-punctatis, præsertim posticis macula apicali fusca evidentiore, patellis macula ejusmodi postica, tibiisque basi et apice puncto utrinque ejusdem coloris notatis; femora, patellæ et tibiæ in uno specimine lineis 2 fuscis, lineam pallidam includentibus, ut in pluribus aliis speciebus notata; in mortuis et sæpe in vivis hæ signaturæ sæpe obsoletæ sunt. Color abdominis in exemplis lustratis fere unicoloriter brunneo-rufescens, in nonnullis adest vestigium linearum pallidarum transversalium. Genitale in hac et plerisque aliis callum repræsentat, qui medio fovea vel apertura rotunda munitus est.

Var. b. ♀ (fig. 1012 l. c.), fugaciter inspecta, fusconigricans, vel colore rufo-brunneo propter nigrorem punctorum et macularum obumbrato. Cave ne hanc varietatem cum varietate simili *Th. bifasciati* confundas, quæ facile distinguitur magnitudine minore, et aliis notis supra allatis. Saccus ovorum albidus, lenticularis, diametro longitudine 9—10 mm.

In plantis altioribus ad Gbg. et Sāro Hallandiæ inventus. In Upl., *Thorell.*

2. **Th. bifasciatus** (Koch): *Femina* thorace saturate fusco, vitta media albida, antice furcata, postice lobum lateralem emittente; oculis 2 lateralibus tuberculo communi, supra oculos anticos paulo elevato, insidentibus, parte cephalica anterius convexa, fronte, perpendiculariter inspecta, satis rectilineatim truncata, oculisque lateralibus, ab antice contemplatis, non evidenter ultra genas promi-

nentibus, his non evidenter perpendicularibus, vel paullo arcuatim ad marginem descendentibus; margine clypei, præter seriem transversam e setis 8—9 robustis, nullis aliis setulis immixtis tenuioribus vestito; abdominis dorso saturate fusco, vitta media, utrinque dentata, rubicunda; lateribus rufo-brunneis, albore parce pictis; tibiis metatarsisque anterioribus in utroque latere serie inferiore ex aculeis 5—6, metatarsis præterea serie altera laterali ex aculeis 3 distantioribus; pedibus brunneis, lineis 2 parallelis maculisque fuscis pictis. Thoracis longitudo 3—3 $^1/_2$, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 3 $^3/_4$—4 mm.

Var. b: fuligineo-fusca, pictura obsoleta.

Subadulta (vel *pullus*): pallide flavescens vel subcitrina; thoracis dorso linea utrinque, ab oculis lateralibus posticis ad dimidiam partem declivitatis posticæ ducta, punctisque subconfluentibus, secundum ipsum marginem sparsis, fuscis notato, hac pictura interdum obsoleta; abdominis limbus dorsalis litura fusca, plerumque punctatim dissoluta cinctus, vicinitate juxta foveolas ordinarias secundas utrinque puncto singulo, et supra anum puncto vel lineola altera notata, nigricantibus; pedibus pallidius luteo-testaceis, fere immaculatis.

Mas: thorace luteo- vel aurantiaco-rufescente, relictis vitta juxta marginem et altera in utroque latere dorsi, fuscescentibus, signatura cuneata occipitali vix nisi rufobrunnea, albido-marginata, interstitioque inter series oculorum etiam albido; abdomine supra vel saturate fusco vel nigricante, lateribus cinctura albida, dorso vitta media obsoletiore, plerumque restantibus arcubus transversis 2—3 pallidis seu rubicundis, uno alterove medio sæpe abrupto; ventre toto fusco, subopaco; femoribus anterioribus cum patellis fuscis, subtus brunneis, illis linea pallida, a lineis parallelis fuscis inclusa, plerumque obsoleta, his vero linea ejusmodi, ut in tibiis evidente; metatarsis cum tarsis pallidius brunneo-testaceis, et unde aculeis distinctius observandis; membro genitali calcaribus duobus, basi concretis, introrsum pariter arcuatis,

at apicibus paullo divaricantibus, eorum exteriore paullo breviore, et ad basin uncum brevem emittente.

Xysticus bifasciatus KOCH VI, p. 59, T. 125, f. 286—88.

Femina. Magnitudo media inter *Th. lanionem* et *cristatum.* Thorax longit. 3—3 $^1/_2$, pedes antici 10—11, patellæ et tibiæ conjunctim 3 $^3/_4$—4 mm. A *Th. lanione* differt fronte, perpendiculariter inspecta, magis truncata, nec tam convexo-arcuata, h. e. planum transversum, ubi oculi 4 antici siti sunt, fere rectum nec tam evidenter recurvatum, undeque oculi laterales non tam retracti; genæ quam in *Th. cristato* minus perpendiculares, at tamen non ut in *Th. lanione* tam evidenter convexæ; numerus aculeorum in tibiis anticis minor quam in hoc, et thorax minus crebre at robustius setosus videtur. A *Th. cristato* differt magnitudine thoracis et pedum, abdominis lateribus albore parum pictis, et vitta dorsali dentata non tam determinata, neque tam læte pallescente. Abdominis limbi dorsalis fuscedo punctis pallidis plerumque adspersa, similiterque colorata puncta ordinaria 5 impressa, ordine 1, 2, 2, se repræsentant. Setæ in margine supra os non propter setulas plures alias circumspersas tam difficile ac in *Th. lanione* discerni possunt. Saccus ovorum longit. diametri 8—9 mm., albidus, membranaceus, lenticularis.

Var. b: maxima parte e colore fuligineo fuscescens; thoracis pictura albida satis distincta; pedum articuli maxima parte fuliginosi, post mortem et in siccatis ad partem fusco-testacei, præsertim subtus; superne lineis longitudinalibus fusco-nigricantibus. Abdomen fuscum, dorso obscuriore, arcubus transversis per puncta minora, arcuatim seriata indicatis. A varietate simili *Th. lanionis* facile distinguitur magnitudine minore et aliis notis.

Mas facile distinguitur a ♂ *Th. cristati*, si instrumenta genitalia bene contemplemus; hæc organa calcari satis robusto gemino, in *Th. cristato* autem stilo hamiformi vel malleo lapicidarum subsimili armata. Palporum pars tibialis ut in plerisque reliquis speciebus in apicis latere externo dentatim producta, et sub basi spina obtusa robusta armata;

infra apicem dentis apicalis observatur etiam calcar sive lamella testacea, quæ e margine externo ipsius laminæ ordinariæ orta esse videtur. Regio pone oculos (sive occiput) magis convexa quam in *Th. cristato* mihi videtur, quare oculi intermedii postici, capite ab antice et horizontaliter inspecto, in illo magis evidenter quam in hoc discerni possunt. Genæ vel regio inter oculos laterales et marginem supra palpos, ubi secundum normam setæ binæ approximatæ sitæ esse solent, nonnihil convexæ, dein versus marginem inflexæ; arcuatio hæc autem multo indistinctior quam in *Th. lanione*. In *Th. cristato* ille locus fere omnino perpendicularis videtur. Thorax longit. 3—3 $^1/_2$, pedes antici 9—10, patellæ et tibiæ conjunctim 3 $^3/_4$ vel fere 4 mm. Aculei in serie inferiore in metatarsis anticis in exemplis completis e 5 constant; tibiæ eorundem pedum, excepta serie inferiore, altera superiore ex aculeis 3, similiter atque in *Th. cristato*, et femora 6 posteriora etiam aculeis 3—4 armata; femora antica aculeis pluribus. Color thoracis læte luteo-rufescens vel fere aurantiaco-ferrugineus, aut, si mavis, pallide castaneus, qui color etiam ut nota satis characteristica, ad illum a *Th. cristato* distinguendum, considerandus est.

Præsertim in Insula Hisingen prope Gbg. captus. In Blek., Upl. et ad Areskutan Jemtlandiæ a *Boheman*, in Upl. a *Thorell*, et in Ostrog. a *v. Post* inventus.

3. **Th. bivittatus**: *Mas* thorace testaceo, lateribus vitta superiore, latiore, alteraque inferiore, angustiore, fuscis, summo margine anguste nigro (vitta dorsali normali pallida in specimine unico lustrato anterius linea media longitudinali tenuissima, punctisque duobus, transverse positis, nigris; abdomine corrugato, pictura haud distincta); palporum parte tibiali in latere exteriore in laminam triangularem pallidam producta, laminæ basi totum latus ejus partis occupante; laminæ lateribus elevato-marginatis, præsertim latere postico, unde superficies superior quasi excavata videtur; membro genitali sordide pallido, ad basin in gibbulum elevato, hoc gibbulo un-

cos duos minores nigricantes, oppositos (nec paralleliter flexos) emittente; gibbulo ad basin seta nigra instructo, hac spiraliter flexa, apicem membri genitalis ambiente. Thorax longit. 2, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $2\frac{1}{2}$ mm.

Magnitudo *Th. cristati.* Thorax fere ut in *Th. bifasciato* pictus, sed color in fundo adhuc minus e rubedine tinctus; haud ullibi fusco-irroratus, unde vittæ fuscæ evidenter limitatæ evadunt. Abdominis corrugati pictura ut in *Th. cristato* fuisse videtur. Pedes rufo-pallescentes, fusco-punctati; hic color in pedum 4 anticorum patellis et femoribus (præsertim anticis horum) in umbram confluit, ita ut illi articuli fusci videantur. Pedes 4 posteriores toti fusco-punctati, non ullibi colore fusco densiore notati. Omnia femora supra aculeis pluribus, et tibiæ, cum metatarsis anticis, subterius in utroqne latere aculeis 3; tibiæ eædem præterea in lateribus, superius, aculeis 2—3, omnino ut in *Th. cristato* et nonnullis aliis. Palporum pars tibialis in apice lateris externi non ut in nonnullis aliis in cuspidem producta; spina obtusa, quæ sub basi ejus partis in pluribus speciebus adesse solet, non detegi potest; hæc spina cum ipsa lamina subtriangulari, antea allata, forsitan concreta, margini postico calloso-elevato respondens. Unci duo in basi membri genitalis multo minores quam in *Th. bifasciato*, apicibus oppositis nec his paralleliter flexis. Ad basin alterutrius unci non uncus sive calcar tertium adest. Frons cum clypeo et mandibulis pallida.

In Ostrog. a Dom. *v. Post* inventus.

4. **Th. cristatus** (Clerck): *Femina* thorace fusco vitta dorsali albida, antice furcatim planum occipitale amplectente, postice ad latera radium vel lobum emittente; abdominis dorso fusco, vitta media lata pallida continua, utrinque tridentata; illius lateribus vitta albida, interdum rubedine tincta circumdatis, hac vitta continua nec per fuscedinem maculatim persecta, neque in margine interno evidenter sinuata; pedibus pallidis fusco- vel nigro-va-

riegatis; parte cephalica antice plana, fronte evidenter rectilineatim truncata, genisque perpendicularibus; oculis duobus lateralibus tuberculo communi impositis; tibiis anticis utrinque aculeis 4—5 metatarsisque ibi aculeis 4, et paullo altius 3 armatis, omnibus in series regulares dispositis; patellis et tibiis posticis, simul sumtis, longitudine 2 mm., pedum anticorum iisdem articulis 3, metatarsisque et tarsis conjunctim 3 mm.; thoracis longit. 2½ mm.

Mas: thorace abdomineque saturatius infuscatis, hujus vitta dorsali sæpe lutea; cinctura laterum purius albida; pedum anteriorum femoribus, patellis et basi tibiarum nigro-fuscis, harum reliqua parte cum metatarsis et tarsis pallidis, vix brunneo tinctis; palporum membro genitali, præter appendices quasdam calcariformes, una altera, formam mallei lapicidarum vel potius hami piscatorii assimilante instructo; parte tibiali apice in spinam breviorem producta; hac simplici nec in ipso apice mucronata sive non calcari gracillimo acutissimo aucta; lamina ordinaria prope basin lateris externi appendice calcariformi pallida.

Ar. cristatus CLERCK p. 136, Pl. 6, t. 6. — *A. viatica* LINN. F. sv. p. 492. — FABR. Ent. S. II, p. 412, 20. — *Ar. cristata* WALCK. F. par. II, p. 232. — *Thom. cristatus* WALCK. Tabl. p. 32, N:o 14. — LATR. Gen. Ins. & Cr. I, p. 111, N:o 2. — *Th. viaticus* HAHN I, p. 35, T. X, f. 29. — *Th. cristatus* SUND. A:o 1832, p. 217 (ad partem). — WALCK. Apt. 1, p. 521. — *Xysticus viaticus* KOCH XII, p. 70, T. 412, f. 1003—4. — *Xysticus cristatus* THORELL Rec. crit. p. 74 et Om Clercks Origin. Spindelsaml. p. 146.

Femina paullo minor quam *Th. bifasciatus*, vel magnitudine eadem ac *Th. cinereus*; sat similis illis speciebus et ab hujus ♀ ægrius distinguenda; feminæ illarum specierum tamen picturam abdominis vix umquam tam lætam, neque hujus partes tam cohærentes habent; vitta abdominis scilicet semper continua, usque anum versus cum dentibus lateralibus late cohærens; in *Th. bifasciato* vitta posterius in arcus quosdam transversales liberos abrupta. A *Th. cinereo* et

audaci præsertim distinguitur laterum cinctura albida non in margine interno sinuata, neque per fuscedinem ullam in maculas divisa. Inter omnes *Thomisos* vulgatissima.

Mas ab aliis distinguitur præsentia spinæ mallei- vel hamiformis, in membro genitali sitæ. Prope basin manubrii mallei sive hami adest lamina arcuata, acuminata, sive calcar robustum, et juxta hujus basin spinula minuta; spina, quæ ad basin in latere externo laminæ ordinariæ (an in ipso membro genitali?) in plerisque adesse solet, et cui incumbit apex acuminatus productus partis tibialis, in *Th. cristato* similiter atque in *Th. lineato* longiuscula, calcariformis, evidenter in lucem et ultra partis tibialis apicem productum porrecta, longitudine aculeis brevioribus in tibiis anticis, vel latitudini basali partis patellaris vix cedens; hoc calcar diaphano-pallidum nec nigrum, subtus setula arcuata nigra successum, in siccatis forsitan evidentius; productio partis tibialis brevis, simpliciter acuminata, nec apice mucronata, sive hoc non quasi calcari gracillimo aucto, qua in nota ut et armatura membri genitalis a *Th. lineato* distinguitur. A *Th. ulmi, cinereo, audaci* et subsimilibus dignoscitur armatura palporum laminæ ordinariæ et membri genitalis. Pars tibialis subterius in spinam crassam, apice truncatam et emarginatam, vel quasi longitrorsum canaliculatam, ut in pluribus aliis speciebus, producta.

Ad Gothob. frequens; sub lapidibus et sæpe in plantis capitur; in Scania usque ad Lapp. occurrit. In Scania, *Carlsson;* ad Qvickjock Lapponiæ, *Boheman*; ad Kinnekulle, *Belfrage;* in Wäderö Bahusiæ, *A. W. Malm;* in Upl. *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

5. **Th. calcaratus**: *Mas* thorace, long. $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ mm., fusco, macula media postica, antice furcata, albida; abdomine fusco-nigricante, lateribus cinctura albida vel albido-rubicunda, maculatim abrupta; palporum parte tibiali in latere externo baseos lamella graciliore, apice uncata, (nec crassa et recta), articuloque genitali in apice calcari gracillimo, subulato, arcuato, evidenter in lucem porrecto

armatis; apice partis tibialis breviter acuminato-producto, parte illa una cum productione conjunctim parum longioribus quam efficit latitudo maxima ipsius partis.

Mas satis similis *Th. audaci*, a quo mox distinguitur palporum appendicibus antea allatis. Thorax minus dilatatus minusque alte convexus, latitudine vix ultra 2 mm.; in *Th. audaci* autem latitudo thoracis parum, immo vix minor est quam longitudo. Thoracis sinus albidus, qui utrinque ex albedine media basalis emissus esse solet, obsoletus; vitta media albida quadrangularis est, antice profunde furcata, furca non ad oculos posticos producta, an semper? Cutis circa marginem superiorem oculorum 2 lateralium, præsertim circa anticos evidentius et latius albida, vel oculi quasi membrana griceo-albida circumdati. Spina vel lamella obtusa, crassa, recta, fere semitubulosa vel apice emarginata, quæ in palporum partis tibialis basi, in latere externo, in pluribus *Thomisis* adest, in *Th. calcarato* gracilior, lamellam tenuem, apice introrsum curvatam formans; articulus genitalis piceo-nigricans, in apice calcari gracili, subulato, arcuato armatus; pars tibialis apice beviter producta. Lamina ordinaria in margine lateris exterioris ut in plerisque cuspide vel calcari minore armata; hoc autem paullo ultra medium, saltem in medio marginis locatum, ab apice producto partis tibialis longe remotum, certo lumine non difficile observandum. Pictura aliqua evidens in ipso disco dorsali abdominis non nisi quoad lineolas nonnullas albidas supra anum adest; latera autem ut in præcedentibus cinctura albida ornata; hæc ut in *Th. audaci* et *cinereo* maculatim abrupta; cinctura, præsertim abdominis basin versus, in colorem rubicundum transit, an etiam in vivis? — Femora picea vel piceo-nigricantia; patellæ anteriores rufo-brunneæ seu piceæ, quo colore tibiæ ejusdem ordinis pictæ sunt, hoc colore ad basin et apicem saturatiore, in medio, præsertim in tibiis 4 posterioribus, languidiore, quare hæ tibiæ quasi basi et apice annulo fusco evidentiore cinctæ esse videntur; metatarsi et tarsi etiam colore rufo-brunneo tincti, apicibus fuscis. Patellæ et tibiæ anticæ, simul sumtæ long. $2^3/_4$ mm.

De cetero vide Observanda ad finem descriptionis *Th. audacis*.

Ad Holmiam a *Thorell* inventus.

6. **Th. audax** (Koch?): *Femina* thorace fusco lateribus albo-punctatis, vitta dorsali albida, antice furcata; abdominis dorso fusco-punctato, vitta media albida, utrinque dentata, hac aut distincta, dentibus postice nigro-marginatis, aut obsoleta, restantibus dentibus vittæ, postice nigro-marginatis, interstitiis dentium de cetero pallidis, unde vitta albida non ut in nonnullis aliis speciebus utrinque juxta suam apicem basalem et circa dentes a vitta lata fusca arcte inclusa esse dici potest; pedibus fusco-maculatis; colore albido, quo abdominis ambitus lateralis pictus esse solet, inæquali, per fuscedinem in maculas divulso, nec continuo. Thorax longit. 3, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 3 mm.

Var. b: dorsum abdominis in fundo fuscum, ita ut puncta, quibus adspersum est, seorsum ægrius discerni possint, similiter ac dentes restantes vittæ albidæ dorsalis et cinctura lateralis ejusdem coloris; pedibus punctis et maculis uberius infuscatis.

Mas (?): thorace non multo angustiore quam longiore, convexiusculo, genis vel regione infra oculos duos laterales non perpendiculariter vel introrsum, sed paullo convexo-descendente; ferrugineo-testaceo, nigro-variegato, angulo basali laterali et macula dorsali, altius in declivitate postica sita, saturatius nigris, aut variat thorax maxima parte nigricans, restante vitta dorsali furcata magis angusta, colore testaceo-albida; abdomine basi uberius albido, albedine cum vitta dorsali confluente, hac anterius a lineis duabus majoribus transversalibus, et posterius a lineolis nonnullis brevibus decussata; cinctura laterali albida aut maculatim divulsa aut saltem in margine interno sinuata, nec æquali; palporum parte tibiali in apice lateris exterioris in spinam subulatam producta, spina una cum ipsa parte conjunctim æque longis atque

efficit dupla latitudo ipsius partis; spina altera, quæ secundum normam sub basi ejusdem partis adest, ut in pluribus aliis crassa, apice truncata, quasi dimidiato-tubulosa vel apice emarginata; membro genitali æquali, nec ullo calcari vel alia appendice armato. Thorax long. $2^2/_3$, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 3 mm.

Xysticus audax KOCH XII, p. 74, T. 413, f. 1005—1008 (?). — *X. convexus* THORELL Rec. crit. p. 110.

Femina a ♀ *Th. cinerei* non differt nisi toto disco dorsi abdominis circa vittam dentatam haud fusco vel nigro-fusco. *Var. a* (fig. cit 1008) abdominis dorso albido, vel interdum brunneo paullo tincto, subtiliter fusco-irrorato simulque plus minus rude remote fusco-punctato, vitta dentata albida jam evidenter expressa, jam longitrorsum medio obsoleta, dentibus lateralibus in utraque conditione postice nigro-marginatis, interdum evidentius tantum restantibus ipsis marginibus fuscis, seriem utrinque lineolarum vel punctorum fuscorum seu nigrorum formantibus; abdominis lateribus albidis, lituris obliquis vel punctis, in series arcuatas dispositis, fuscis vel nigris notatis. *Var. b* (fig. 1006) abdominis colore, in fundo maxime dominante, fusco, parum albido-variegato, albedine vittæ dorsalis et cincturæ laterum rudimentaria. Varietas ejusmodi (fusca), ubi pictura normalis ægre seorsum discerni potest, in *Th. lanione, bifasciato* et certe quodam alio exstat, quare hæ varietates quoad picturam inter se ægrius distingui possunt. Pedes in alterutra varietate crebre fusco-punctati et maculati.

Mas, qui similiter ac *Th. bifasciatus* thoracem magis convexum habet, differt ab hoc et aliis affinibus palporum parte tibiali in apice in spinam tam longam producta, ut pars una cum spina duplo longiores evadant quam efficit latitudo maxima ipsius partis, unde etiam spinæ apex, qui acutus et paullo introrsum aduncus est, fere usque medium, saltem evidenter ultra $1/_3$ marginis laminæ ordinariæ attingit; spina per se æque longa atque ipsa illa pars esse dici queat; bulbus genitalis in specimine Lapponico, in spiritu vini asservato, pallidus, in specimine altero, ad Holmiam a

Dom. *Thorell* capto, nigricans, nullo calcari vel spina evidenti armatus; sub basi partis tibialis adest spina ordinaria robusta, recta, apice truncata et emarginata (semitubulosa); in bulbi margine externo, mox sub apice spinæ apicalis partis tibialis, observatur spinula brevissima, quæ apud nonnullos alios adesse solet, at spinula illa in his non ut in ♂ descripto decussatim spinæ partis tibialis succumbit, quod e brevitate hujus spinæ pendet. Femora 4 anteriora aut crebre et diffuse fusco-maculata, aut maxima parte piceo-nigricantia dicenda; tibiæ basi et apice ferrugineo-fuscæ, anterioribus in siccatis totis ferruginantibus; metatarsi postici summo apice fusci aut concolores; itaque sunt pedes fere similiter picti atque in *Th. calcarato*.

Uterque sexus ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* et *N. J. Andersson* capti; mas ad Holmiam a *Thorell* inventus.

Obs. Quia Dom. *Koch* non notas quam maximi momenti indicavit, quæ ex instrumentis genitalibus desumi possunt, et quia ego ipse diversas species, subsimiles speciei descriptæ, non in statu vivo et genere vitæ observavi, etiamque quia feminarum pictura alia in aliam transit, haud certo dijudicare queo, an ♂ descriptus et *Th. calcaratus* huc referri debeat nec ne; mas, a Dom. *Koch* delineatus, fig. 1007, in membro genitali calcar geminum repræsentat, quod non in exemplis nostris adest; calcar ejusmodi evidentius in *Th. bifasciato* tantum nec alio, quod sciam, adest.

7. **Th. cinereus** (Koch?): *Femina* thorace, longit. $2\frac{1}{2}$ mm., fusco-nigricante, punctis nonnullis lateralibus vittaque lata dorsali media albidis; abdomine luteo-pallido, dorso utrinque vitta, marginibus sinuata vel dentata, nigra, dentibus externis aut continuate aut interrupte in abdominis lateribus productis; pedibus luteo-pallidis, fusco-irroratis, femoribus supra apicem, tibiisque supra basin et apicem macula fusca; patellis et tibiis anticis, simul sumtis, $2\frac{1}{2}-2\frac{2}{3}$ mm. longis.

Xysticus cinereus Koch ib. IV, p. 63, T. 126, f. 290? — *Thomisus pini* Hahn die Ar. I, p. 26, T. 8, f. 23 et Mon. ar. fasc. VI, t. 2, f. C (?). — Westr. Enum. Ar. p. 50.

Femina, ut videtur e mensura allata, paullo minor quam *Th. audax*, at major quam *Th. sabulosus*, cui quo-

dammodo similis est. Thoracis latera fusca, ut in figura a Dom. *Koch* delineata, punctis 2—3 pallidis notata, qua in pictura figura, a Dom. *Hahn* in Mon. Ar., non autem in Die Arachniden data, congruit; vitta media dorsalis ordinaria ut in *Th. sabuloso* solito lætius colorata, in specimine, a me lecto, posterius languide flavescens; pars vittæ antica parum e fuscedine contaminata, limite inter partem cephalicam et thoracicam per angulum præposterum tenuem fuscum designato; spatium, ab oculis intermediis posticis occupatum, fuscum; spatium anticum perpendiculare et mandibulæ luteo-pallida. Abdomen ut in *Th. cristato* et nonnullis aliis fuscum aut nigricans est dicendum, in disco dorsi vitta media, utrinque dentata, at in lateribus serie e maculis 4 magnis luteo-albidis notatum, nec ibi unicoloriter albidescens; abdomen etiam, si velis, luteo-albidum (an interdum testaceo-lutescens) dicendum, dorso utrinque vitta nigra, utrinque flexuosa notato; vitta lobis exterioribus deorsum aut continuate aut interrupte descendentibus, albedinem lateralem in maculas 3—4 magnas dividentibus, ut in fig. N:o 290, a Dom. *Koch* delineata; quæ maculæ autem non in figuris, a Dom. *Hahn* datis, expressæ sunt. Putandum est lobos eosdem interdum non omnino albedinem laterum persecare, sed ad partem tantum in illam intrare, ita ut albedo, ut in variantibus *Th. audacis*, cincturam magis continuam, tamen introrsum sinuatam vel dentatam repræsentet. Pectus et pedes pallidi, horum femora præsertim 4 anteriora et tibiæ ejusdem ordinis plus minus fusco-punctata; femora et tibiæ omnium pedum apice et hæ simul basi superne fuscescentia. Abdomen subtus plus minus fusco-punctatum, juxta maculas seriatas pallidas umbra ejusdem coloris, præsertim sub macula prima saturatiore, notatum. (Nonne *Th. calcaratus* huc referendus sit?).

Juniores. Color pedum, qui in adultis solito pallescentior est quam in plerisque aliis, in pullis albidus; illi articuli parum subtiliter fusco-punctati. Angulus fuscus occipitalis deest. Vitta media dorsalis abdominis albida in specimine uno obsoleta, restantibus tantum illis dentibus, qui

lineolas transversas 3—4 utrinque formant; cinctura laterum albida ut in adultis macularis est.

Fem. adulta in junipero ad Gothob. a me capta; juniores ad Upsaliam a *Thorell* inventi. Specimen, in spiritu vini asservatum, in Scania a *Boheman* captum, ut mihi videtur non differt ab aranea descripta.

8. **Th. ulmi** (HAHN): *Femina* thorace fusco, vitta media maculaque laterali basali albidis; abdominis dorso fusco, vitta media lata pallida, mox juxta medium finita, maxima parte lineari, ante apicem utrinque dentem minorem plerumque emittente, pone apicem a lineis (vel arcubus) transversis duabus majoribus successa, harum quaque interdum a lineola brevi successa, colore albidis, inter se liberis (nec una cum palledine ulla interstitiali diffusiore in vittam continuam, utrinque dentatam confluentibus). Thoracis longit. 3 mm.

Mas: thorace aut ferrugineo, margine vittaque laterali juxta dorsum fuscis seu nigricantibus, vitta media albida minus læte expressa, aut est thoracis latera maxima parte fusca, vitta media secundum normam antice furcata, planum occipitale amplectente posticeque radium vel lobum lateralem emittente, lætius cinereo-albida; abdominis dorso fusco aut interdum nigricante, anguste et continuate albido-marginato; in disco anteriore aut vitta albida, languide infuscata, aut vitta fusca seu nigra, albido-marginata ornato, hac vitta juxta medium dorsi finita, apice aut libera aut cum linea transversa prima majore albida confluente, dente vel lobo laterali interdum obsoleto; abdominis cinctura laterali supra anum in arcum communem concreta; femoribus cum patellis 4 anterioribus fusco-nigricantibus aut pure nigris, in siccatis sæpe fusco-brunneis; palporum membro genitali calcari singulo tantum evidentiore; remotius ab ejus basi adjacente unco brevissimo, ægerrime discernendo; parte tibiali in apice breviter cuspidatim producta, hæc cuspis sive spina una cum parte conjunctim vix dimidio

longioribus quam efficit latitudo ipsius partis, vel spinæ apice vix $^1/_3$ marginis laminæ ordinariæ attingente, saltem non superante.

Th. ulmi Hahn die Ar. I, p. 88, T. X, f. 80.

Femina. Th. cristati feminæ satis similis, a qua fere unice forma abdominis vittæ dorsalis distingui potest. Hæc vitta in *Th. cristato* unicoloriter maximam partem dorsi percurrit, intervalla linearum transversalium implens, ita ut tantum harum apices restent, et qui instar dentium cum vitta connectuntur; in *Th. ulmi* autem vitta illa juxta medium dorsi finita est, ante apicem plerumque ad latus unilobata, et cui succedunt lineæ vel arcus duo transversales; interstitiis horum lineola brevi notatis, aut unicoloribus.

Mas variat abdominis dorso aut fusco aut nigricante, hoc colore ad latera linea angustiore albida incluso, hac cinctura supra anum arcum communem, convexitate antrorsum versum formante; vitta albida, in dorso antice locata, sæpe in medio longitrorsum infuscata, interdum nigricante, restantibus marginibus, lineas 2 parallelas formantibus, quæ plerumque postice confluunt vel cum arcu proximo connectuntur. Abdominis cinctura marginalis, quæ etiam basin ambit, re vera e lineolis nonnullis subtilissimis, arcte congestis constat; augusta, subtus per colorem fuscum bene limitata, nec ut in ♀ diffuse in palledinem inferiorem evanescente. Color fuscus dorsalis abdominis præsertim in exemplis, quæ in spiritu vini asservantur, sæpe pulchre brunneus, fere pallide coffeatus aut cinnamomeus. A ♂ *Th. cristati* distinguitur appendice in membro genitali calcariformi nec hami- sive malleiformi. A ♂ *Th. bifasciati* differt calcari simplici nec geminato. Præter calcar allatum adest quidem uncus vel calcar alterum, at hoc minutissimum, longe a basi calcaris majoris remotum, non nisi in membro subverso vel desecto certo lumine observandum. A ♂ *Th. audacis* dignoscitur membro genitali in illo non ullo calcari evidenter in lucem proveniente instructo (an dissimiliter in exemplis siccatis). Pars tibialis palporum in apice in spinam producta, brevi-

orem quam in *Th. audaci*, in quo spinæ apex medium marginis laminæ ordinariæ attingit.

Mas 5 Julii ad Jonsered prope Gbg. in silva acerosa, et 1 Junii ad Gbg. excipulo captus. In Lapp. boreali (Qvickjock) et ad Åreskutan Jemlandiæ a *Boheman*, in Kinnekulle a *G. W. Belfrage*, et in nemoribus Uplandiæ a *Thorell* inventus.

9. **Th. lineatus:** thorace longit. 2 mm, in ♀ piceo-nigricante, in ♂ rufo-brunneo, spatio interoculari margineque laterali albidis; abdomine in ♀ griseo, fusco-punctato, in ♂ fusco, arcubus transversis albidis; pedibus maxima parte nigricantibus, vel femoribus extus late, tibiisque anterioribus, excepta summa basi, nigricantibus, femoribus et patellis apice superne albido-marginatis; maris palporum membro genitali in medio lateris externi, prope laminam ordinariam, calcari sive lamella arcuata, acuminata, deorsum vel potius ad latus flexa, et parte tibiali spina robusta, apice emarginata, certo lumine calcari robusto assimilante, propius basin sita instructis; partis ipso apice acuminato, mucrone gracillimo calcariformi aucto, hoc aculeos pedum crassitie vix attingente.

WESTR. Enum. Ar. p. 61.

Thorax alte convexus, in ♀ nigricans, obsolete pallido-variegato, in ♂ castaneo-ferrugineo, summo margine albido vel eburneo; per aream oculorum arcus transversus albidus ductus est. Abdomen in ♀ una lustrata griseum, supra subtusque fusco-irroratum, in ♂ fuscum seu nigricans, margine laterali in hoc lætius albido-cincto, dorso in ♀ arcubus transversis 4—5, plerumque medio non abruptis, in ♂ primo et tertio plerumque ibi abruptis, secundo et quarto sæpe rudimentariis; præter illos arcus adsunt arcus saltem 2 minores, supra anum siti, qui plerumque cum albore cincturæ lateralis confluunt; dorsi discus non ut in *Th. cristato* vitta media pallida pictus, ideoque sunt arcus memorati omnino liberi. Pedes solito uberius nigricant; femora antica, basi excepta, nigra, reliqua deinceps angustius infuscata; patellæ

apice et tibiæ 4 anteriores, basi summa exepta, tibiæque 4 posteriores et metatarsi omnes in ♀ ad $^1/_2$, in ♂ apice tantum nigricantia. Femora non solum subtus sed etiam superne obsolete setulosa, tibiæ autem et, adhuc evidentius, tarsi satis evidenter adpresso-pilosa; tibiæ anticæ subtus, utrinque, serie ex aculeis 3—4, metatarsi ibi aculeis 2—3, aculeis lateralibus nullis; femora, patellæ et plerumque tibiæ in summo apice superne albido-marginata. *Mas* a reliquis dignoscitur armatura membri genitalis; hoc ut in *Th. audaci* in latere interiore haud ullo calcari nec simplici nec duplici armatum; in margine autem externo, prope laminam ordinariam, adest calcar satis robustum, hoc porrecto et tum suo apice arcuato deorsum vel, si mavis, ad latus spectante; spina normalis dimidiato-tubulosa, vel apice emarginata, in quam pars tibialis subtus producta esse solet, in margine superiore toto sinuata, sive tota paullo arcuata, apice emarginato non oblique sed recte truncato; quam spinam rogo ut non cum calcari acuminato graciliore, inferiore confundas; hæc spina propter emarginaturam in latere antico, et certo situ inspecta calcar robustissimum sive spinam arcuatam acuminatam satis assimilans. Tibiæ anticæ non ut in maribus *Th. bifasciati, bivittati, cristati, ulmi, calcarati* et *audacis* serie laterali superiore ex aculeis 3 armatæ, saltem sunt hi aculei propter articuli colorem fusco-nigricantem difficile perspiciendi; tibiæ erga lucem tamen contemplatæ in uno alterove specimine aculeum unum vel alterum breviorem ibi repræsentant. Setula arcuata, sive calcar gracillimum in apice acuto partis tibialis valde characteristicum est. Hæc seta sive calcar tam gracile est, ut certe facile defringi possit. In latere externo laminæ ordinariæ in *Th. bifasciato* et nonnullis aliis hæc pars uncum emittit, qui non in nostra specie adesse videtur, et cum quo haud confundi debet calcar nigrum, sub illo margine, in ipso membro genitali situm. Color pedum etiam ut nota magni momenti considerandus est.

In Upl. a *Marklin* detectus; in Scan. ♀ a *Boheman* capta.

10. **Th. sabulosus** (HAHN): *juniores* thoracis lateribus fuscis, albo-punctatis, dorso vitta albida, lata, antice minus læte colorata; abdominis dorso cinereo aut fusco, sæpe, præsertim in ♂, rufo-brunneo aut cinnamomeo, vitta media albida, utrinque sinuata vel breviter dentata, dentibus postice nigro-marginatis; vitta in ♂ sæpe plus minus deleta, restantibus tantum in disco linea breviore vel longiore albida, et anum versus ipso apice vittæ distinctiore, maculam cuneatam formante, hac macula utrinque lineola flexuosa nigra, vel serie punctorum nigrorum connexorum marginata; pedibus pallidis evidenter nigro-punctatis et maculatis. Thorax longit. $1^3/_4$—2 mm.

HAHN die Ar. I, p. 28, T. VIII, f. 24. — *Xysticus idem* KOCH ib. XII, p. 64, T. 411, f. 999 & 1000.

Femina adulta certe vix longit. thoracis ultra 2 mm., ideoque ad species minores numeranda est. Pedes ut in *Th. cristato* mediocriter, nec ut in *Th. setoso* crebre et robustius setosi, et ut in illo sunt tibiæ anticæ subterius, in utroque latere, serie ex aeuleis 4, et metatarsi aculeis totidem armati, at aculeis in his minus regulariter sive in ziczac dispositis. In hujusmodi armatura pedum facile distinguitur a speciebus alteris minoribus, e. gr. *Th. horticola*, *brevipede* et *scabriculo*. Thoracis vitta dorsalis ut in *Th. cinereo* lætius albida, ut in plerisque aliis speciebus in parte caphalica cuneatim paullo obscurior; macula vel sinus albidus posticus lateralis in fuscedine laterum adest, et præterea horum color albo-punctatus est; interdum est margo late albidus. In exemplis variantibus, præsertim sexus masculini, forsitan abdominis vitta dorsalis albida omnino deest, an umquam simul desit vittæ postica pars supraanalis? — In nonnullis feminis nigror, quo dentes ejusdem vittæ postice marginati esse solent, ut in *Th. audaci* ad latera abdominis quasi punctatim productus est, unde latera in his non ut in *Th. cristato* et nonnullis aliis unicoloria evadunt, sed puncto uno alterove nigro ornantur; in exemplis, quæ punctis pluribus ibi notantur, puncta quasi series arcuatas formant. Abdominis color dorsalis, a quo vitta dentata albida includitur, sæpe,

præsertim in ♂, læte cinnamomeus, sine dubio in vivis magis rubicundus, ut in figura allata N:o 999; dentes vittæ breves sunt, quare vitta utrinque serrulata est dicenda, saltem quoad partem posteriorem; plerique denticuli postice nigro-marginati, supraanales toti e lineola continua flexuosa vel serie punctorum nigrorum inclusi; in variantibus (præsertim masculinis) hæ lineolæ nigræ, una cum apice vittæ albidæ interjacente, aut unice e pictura dorsali restant, aut simul adest vestigium vittæ partis anterioris tantum, instar lineæ albidæ, vel longioris vel brevioris. A *Th. audaci* differt magnitudine minore, coloreque pedum et reliquarum partium multo lætiore. A *Th. cinereo* differt et magnitudine minore et colore abdominis dorsi circa vittam denticulatam cinereo vel læte brunneo, non unicolore, sed in margine postico dentium vittæ plerumque saturate nigricante, omnino ut in figuris allatis 999 & 1000. Pedes albidi vel pallidi certe semper saturatius nigro-maculati; femora 4 anteriora extus superne late fusca, 4 posteriora ibi anguste nigra; tibiæ aut omnes aut saltem 4 posteriores macula basali et apicali didyma nigra notatæ; femora antica interdum subterius linea longitudinali tenui nigricante.

In Scania a *Boheman* inventus. In Kinnekulle Westrogothiæ a *Belfrage* captus.

11. **Th. setosus**: *Femina* thorace pedibusque pallidis, maxima parte e punctis maculisque fuscis pictis; thorace fascia dorsali, postice lobum normalem lateralem antrorsum emittente, pallidiore; abdomine luteo-pallido, punctis ad partem seriatis notato, punctis dorsalibus majoribus, horum nonnullis seriem utrinque, longitudinaliter positam, formantibus; his duabus seriebus posterius convergentibus; toto corpore setulis erectis, æque longis atque aculei in tibiis anticis induto; his tibiis aculeo singulo ante et pone medium, tertioque obsoletiore in ipso apice, metatarsisque aculeis 3 seriatis unoque superius inter aculeum primum et secundum ejusdem seriei armatis; aculeis tenuioribus; femoribus, præsertim anterioribus,

aculeis setisque erectis pluribus commixtis indutis. Thorax longit. 1³/₄ mm.

WESTR. Enum. Ar. p. 50.

Femina (siccata). Magnitudo *Th. brevipedis*. Propter indumentum e setulis crebris, crassiusculis, erectioribus, nec decumbentibus seu valde nutantibus, secundum totos pedes, etiam in femoribus, ut et in superficie thoracis abdominisque, hic æqualiter longis atque aculei in tibiis, adspersis, facile ab omnibus mihi cognitis speciebus distinguitur. In reliquis speciebus, sunt setulæ, quæ ex. gr. supra tibias observantur, multo subtiliores, acutiores magisque decumbentes seu nutantes; in *Th. setoso* autem crassiusculæ, apice obtusæ magisque in directionem verticalem erectæ; aculei in tibiis anticis longitudine vix diametrum tibiarum attingunt, primus similiter atque in *Th. brevipede* ante medium locatus. Abdomen pallidum vel luteo-pallidum, punctis nigris adspersum, quorum nonnulla duas series in dorso longitudinaliter positas, magis evidentes formant; hæ series juxta medium dorsi inchoatæ, ad anum in directionem convergentem dedecurrentes; venter subtiliter fusco-punctatus vel irroratus. Pedes pallidi, in specimine siccato propter radices pilorum vel setularum fuscas et propter fuscedinem in femoribus externam ut et in basi et medio reliquorum articulorum maxima parte satis infuscati, an etiam in vivis? Abdomen ut in *Th. horticola* et *brevipede* breviter obovatum. Tarsi minus attenuati quam in his speciebus videntur, an id propter indumentum crebrius, quo illi investiuntur?; tibiæ haud ut in illis intus convexæ videntur, sed magis lineares sunt.

Mense Augusto, sub foliis deciduis, in loco nemoroso ad Prædium Särö Hallandiæ inventus.

12. **Th. depressus** (KOCH): nigro-piceus, pedibus brunneo-lutescentibus, immaculatis, præsertim femoribus 4 anterioribus saturatius piceis; thorace subtilissime coriaceo, insimulque nitidiusculo, cum abdomine valde depressis, oculis 4 anticis in lineam rectam dispositis.

Xysticus depressus Koch IV, p. 67, T. 126, f. 292. — *Th. deplanatus* Westr. Enum. Ar. p. 62.

Femina junior: thoracis longitudine 1 ½ mm.; ille superne setulis erectis caret, exceptis nonnullis in parte cephalica, inter oculos sitis; in margine supra os setulæ ordinariæ rigidiores adsunt. Pone oculos intermedios posticos observatur fovea vadosa, major (et præterea adest foveola minor, mox pone illam in occipite sita); in dorso partis thoracicæ adest impressio triangularis vel furcata; manubrium furcæ ad thoracis basin descendens. Frons transversim recta, vel regulariter truncata, parte laterali perpendiculari, nec ut in nonnullis ad marginem in directionem subconvexam descendente. Oculi laterales antici non altius quam duo intermedii antici siti, cum his in seriem omnino rectam dispositi, quod e depressione frontis pendere videtur; nam propterea quod tuberculum normale, quo oculi illi una cum lateralibus posticis insistere solent, non ut in reliquis sursum elevatum est, sed tantum ad latus prominet, nullum spatium pro illorum oculorum locatione altiore est relictum; oculi intermedii postici magis quam in reliquis ad oculos anticos approximati, ita ut intervallum multo minus videatur quam spatium inter oculos posticos et oculos laterales anticos, unde omnes hi tres oculi aream triangularem evidenter inæquilateram nec subæquilateram occupare videntur; eam ob causam etiam series oculorum 4 posticorum magis recurva evadit. Abdomen in fundo brunneum, rugulis lateralibus et posticis crebris, albidescentibus; intervallis rugularum punctis impressis luteo-brunneis adspersis; venter ferrugineus. Pectus aut fuscum aut nigro-piceum, glabrum, nec coriaceum, fere paullo nitidius quam dorsum thoracis. Pedes sordide pallescentes, patellis fuscioribus; præsertim femoribus 4 anterioribus superne infuscatis; toti pedes setulis adpressis evidenter vestiti. Tibiæ anteriores subtus utrinque serie ex aculeis quatuor, primo mox pone basin sito, breviore et tenuiore, interdum defracto, secundo ante medium, tertio pone hoc, quartoque in ipso apice sitis; metatarsi aculeis 4—5

armati; pedes posteriores non tam evidenter aculeati. Femora præsertim anteriora superne aculeis nonnullis armata.

Mas adultus: femoribus cum patellis, præsertim 4 anterioribus, saturatius nigropiceis; palporum partis tibialis spina ordinaria, sub basi sita, sensim attenuata (an apice adunca?), saltem æque longa ac pars patellaris; membrum genitale unco brevi et setula, spiraliter flexa, versus apicem armatum, an in vivis etiam evidentibus? — Abdominis dorsum foveis distinctioribus 4, quadratim dispositis (duabus anticis longitudinalibus, duabus posticis transversalibus, his fere lunatis vel arciformibus). Thorax longit. 2 mm.; latitudine vix minore; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim $1^3/_4$—2 mm. In maribus nonnullis aliorum *Thomisorum* adest in tibiis anticis series ex aculeis 3, altius in lateribus articuli sitis, excepta serie inferiore ex aculeis pluribus, at in ♂ descripto series illa deest, certe neutiquam derasa, nam vestigia radicum aculeorum ne ad minimum detegi possunt. Thorax ut in ♀ niger vel piceo-niger, plerumque nitidiusculus, margine summo concolore, vel angustissime albido.

Ad Upsaliam sub cortice arboris a *Thorell* inventus.

Obs. Etsi magnitudo corporis paullo minor est quam in figura, a Dom. *Koch* pro *Xystico depresso* data, et quamvis hic Arachnologus oculatissimus notam quam maximi momenti non indicavit, quæ e dispositione singulari oculorum exstat, tamen non dubitandum est quin illius aranea ut una eademque ac nostra sit habenda.

13. **Th. dorsatus** (Fabr.): viridis, abdomine elongato-ovato, vitta flava vel albida cincto, dorso rufo-fusco, maris aut lineis obliquis, oppositis, aut arcubus connexis, transverse positis, pallidis notato; oculis 2 mediis anticis inter se spatio minus evidenter majore quam quo illi et laterales antici inter se remoti sunt, oculisque mediis posticis a lateralibus paullo longius quam inter se separatis; pedibus in ♀ immaculatis, femoribus anterioribus in ♂ subtus fusco-punctatis, eorum et succedentium articulorum apicibus fuscis; thorace in hoc sexu testaceo.

II, p. 413. — *Ar. floricola* WALCK. idem ID. Tabl. p. 33. — *Th. dorsatus* 31, f. 34. — *Th. floricola* WALCK. Apt. SUND. A:o 1832, p. 221. — KOCH XII, p.

long. vix 2 mm., anterius minus transverse brevius extensam occupant; medios posticos non majus quam duunius oculi, vel inter se brevius quam sticis separati; an etiam in adultis?; r se perparum magis remoti quam a praecedentibus speciebus autem medii evidenter separati et simul, bene in-, nec ut in *Th. dorsato* paullo minus ambo laterales. Dispositio oculorum speciebus *Sectionis II:dae* appropinquata; propter dispositionem oculorum perrantem, et propter alios characteres, cum dentibus communes, huc aptius relata est. setis erectis validis, evidentissimis, etiam in supra os vestitus; femora et abdomen etiam vestita. Color thoracis et pedum viridis. Femora 4 anteriora subtus fusco-punctata, cum cedentibus apicibus rufis seu fuscis; pedes 4 obsolete maculati; thorax plus minusve luteo-antice lineis aliquot fuscis notatus; linea scilicet latere capitis alteraque subtiliore in hujus medio. patellae et reliqui articuli in ♂ adulto secundum *Koch* in fundo pallida, nec viridia. Tibiae et metadum anticor. aculeis pluribus, sive 4—6 in lateribus, 3 supra sitis. Palporum pars tibialis in latere expicis in spinam acutam producta, subtus a basi spialteram pallidam, sensim attenuatam, sed apice obtu(apice aequali nec emarginato) emittens; membrum genale non evidenter calcari vel tuberculo ullo munitum.

Habitat inter frondes arborum et fruticum, praesertim Abietis, teste *Sundevall*; in Scania, Blek., Ostrog., et Upl.

Sundevall, in Bah., Upl. et Westrog., *Thorell*, in Ostrog., *v. Post.*

SECTIO II.

Femora et tibiæ haud setis evidenter ultra superficiem in lucem eminentibus vestita; metatarsi et tarsi autem subsetulosi.

A) Oculi intermedii postici inter se evidenter magis quam ad laterales posticos approximati, et simul inter se brevius quam ab intermediis anticis distantes, vel area, ab omnibus 4 intermediis occupata, paullo longior quam latior, haud exacte quadrata. (Thoracis superficies plerumque scabricula sive quasi furfurosa, interdum, similiter atque in abdomine, setulis crassis, brevibus, erectis, parum eminentibus induta; margo clypei, mandibulæ et palpi in exemplis indetritis robuste setulosa).

14. **Th. horticola** (Koch): *Femina* toto corpore nudiusculo, tibiis anterioribus utrinque aculeis duobus, primo in medio sito; metatarsis utrinque aculeis tribus seriatis, unoque solitario, altius inter aculeum primum et secundum ejusdem seriei sito; pedibus posterioribus aculeis nullis, præter unum obtusum subverticalem, superne ante medium tibiarum, similiter atque in tibiis anterioribus, situm; aculeis in tibiis anticis longitudine diametrum horum non attingentibus; abdomine rubicundo, ruguloso, rugulis cum dorso ad partem nigro-punctatis; pedibus ochraceis sive luteo-testaceis, immaculatis.

Mas thorace saturate fusco-piceo, parte cephalica in medio et sinu laterali postico pedibusque rufo-brunneis, aculeorum numero et situ, ut et defectu indumenti ut in ♀. Palporum parte tibiali sub basi appendice, extus attenuata; ipso apice hujus appendicis quasi leviter capitulato, nonnihil ad bulbum genitalem inflexo; eadem parte, præter dentem apicalem, laminæ ordinariæ impositum, in hac specie ægrius observandum, calcari robusto laterali, patente, evidentissimo armata.

Xysticus horticola Koch IV, p. 74, T. 129, f. 296—299.

Femina. Thorax supra et pedes, erga lucem contemplati, setulis vel pilis nullis evidentibus, nisi in pedum articulis ultimis vestiti. Hæc nota per se hanc speciem a præcedentibus mox distinguit; etiam paucitate aculeorum in tibiis anticis facile dignoscitur. A *Th. brevipede* distinguitur situ aculei primi in tibiis anticis, qui in illa specie evidenter ante medium locatus est, nec sunt in illa abdomen et præsertim tibiæ et tarsi subtus omnino tam nuda ut in *Th. horticola.* Thorax antice parum ultra $1/_2$ latitudinis mediæ, longit. 2 mm., linea marginali et alia versus dorsum obliqua, interdum anterius confluentibus, et tunc furcam præposteram formantibus, colore fuscis notatus; pars cephalica interdum fusco-irrorata; margo supra os aculeis 4—5 obtusis, haud acutis armatus. Mandibulæ colore thoracis; aut fuscedine basali, subapicali et interna pictæ, aut maxima parte concolores; aculeus singulus prope basin mandibularum adest (præterea aliquot tenuiores, exterius siti). Palpi unicolores, aculeis obtusis armati. Pectus punctis 2—3 lateralibus, interdum lineola punctove basali fuscis notatum. Abdomen rubicundum vel brunneum, ad latera posticeque rugosum, puncto vel striola laterali dorsali in singula rugula, uno puncto juxta apicem rugulæ secundæ alioque anum versus, utrinque, his approximatioribus, fuscis seu nigris notatum; rugulæ anterius, ubi geniculatim ad ventrem descendunt, saturatius fuscæ, quo colore etiam rugulæ supra anum subcontinuatim aut punctatim pictæ sunt; venter plus minus evidenter fusco-punctatus; præsertim in abdominis dorso observantur puncta impressa sparsa pallida, quorum unum medium basin versus et quatuor succedentia, in trapezium disposita, foveis ordinariis respondentia, evidentiora sunt; superficies, erga lucem contemplata, nullam pilositatem repræsentat. Pedes luteo-testacei, aut unicolores aut præsertim in femoribus obsoletissime fusco-punctulati, anteriores longit. $5 1/_2$, patellæ et tibiæ conjunctim 2 mm, extus paullo saturatiores; femora aculeo nullo, an semper?, tibiæ anteriores utrinque aculeis crassis duobus, longitudinem diametri articuli haud attingentibus; aculeus pri-

mus in medio tibiæ situs est; aculeus solitarius metatarsorum, altius inter primum et secundum seriei inferioris locatus, brevior et minus robustus quam hi (at propter defectum indumenti multo evidentius quam in *Th. brevipede* observandus, in quo aculeus setam tantum crassiusculam assimilat, vel qui haud validiorem quam reliquæ setæ adjacentes se repræsentat, omnino ut in *Th. setoso*). Tibiæ omnes superne ante medium aculeo obtuso, quasi truncato, verticali armatæ; superne in apice metatarsorum et tarsorum pilus subtilissimus, verticalis, præter setulas decumbentes brevissimas, observatur.

Mas. Pedes rufo-brunnei, toti ut in ♀ concolores; femora in medio aculeo 1—2 brevibus armata. Thorax subtus et supra nigro-fuscus; macula cuneata capitis et altera lateralis postica rufo-brunnea. Mandibulæ et lamina supra bulbum genitalem nigro-fuscæ. Color abdominis saturatius rufo-piceus, unicolor. Aculeus solitarius metatarsorum, qui in ♀ adest, in specimine lustrato deficit, an casu quodam derasus? Tarsorum præsertim articulus ultimus subtus evidentius pilosus. — Si nuditatem corporis et situm aculei primi in tibiis anticis bene inspiciamus, facile distingui potest hic mas a maribus specierum reliquarum.

Mense Aprili et Majo sub lapidibus in nemore Ahlelund prope Gothob. inventus. In Upl., *Thorell.*

15. **Th. brevipes** (Hahn): *Femina* corpore nudiusculo, thorace pedibusque pallidis, illo lateribus nigro-fuscis, his maculis ejusdem coloris notatis, tibiis anterioribus utrinque aculeis 2 validis, primo ante medium sito, metatarsis eorundem pedum aculeis 3; pedibus posterioribus aculeis nullis, præter singulum obtusum, verticalem, ante medium tibiarum superne locatum, hoc evidenter longiore quam $1/2$ diametri tibiæ; aculeis in tibiis longitudine diametrum harum fere superantibus, saltem evidenter attingentibus; setis supra palpos et in margine clypei supra os æqualibus nec extus clavatis; abdomine sordide rufo-brunneo, rugulis anticis, fasciisque posticis trans-

versis 3—4, his medio abruptis, nigricantibus; tibiis et præsertim tarsis tantum superne parce setulosis, pedibus de cetero nudis; abdomine setulis obtusis, omnium brevissimis, erectis induto.

Mas: vide infra.

Th. brevipes HAHN Mon. Ar. 4, 8 f. C, c, et die Arachn. I, p. 30, T. 8, f. 25. — WALCK. Apt. I, p. 503, N:o 8 (?). — *Xysticus praticola* KOCH IV, p. 77, T. 130, f. 300—301 (sine dubio huc referendus).

Paullo minor quam *Th. horticola.* Pedes paullo graciliores, respectu corporis breviores (?), antici longit. 4 1/2, patellæ et tibiæ conjunctim 1 1/2 mm. Thorax ut in illo setulis vix ullis evidentibus indutus; setulæ vero in illæsis crassiusculæ in abdomine adsunt, etsi brevis tamen erga lucem et sub oculo armato inspectæ perspiciendæ. Aculei supra os, in mandibulis et palpis, ut et in pedibus anterioribus ejusdem numeri et situs atque in *Th. horticola;* aculeus autem primus in tibiis non in medio, sed paullo ante hoc locatus. Aculei in tibiis et metatarsis paullo longiores videntur, ita ut longitudine diametrum tibiæ evidentius attingant; aculeus primus in metatarsis fere longior quam hæc diameter. A *Th. scabriculo* distinguitur magnitudine paullo majore, abdomine, thorace, margine clypei et palpis setulis haud clavatis, thoracis superficie obsoletissime inæquali, cet. Thorax longit. 1 3/4—2 mm., lateribus magis unicoloriter fuscescentibus, ita ut posterius macula tantum minor pallida relinquatur; interdum autem sunt latera abundantius pallido-variegata, interdum striolis duabus pallidis obliquis signata. Palporum pars femoralis extus, tibialis et præsertim tarsalis ad basin nigricant. Mandibulæ ut in *Th. horticola* pictæ, etiam pectus. Abdomen aut sordide rufo-brunneum aut pallide luteum, fusco-punctatum; rugulæ basales superiores et inferiores magis continuate fuscescunt, rugulæ laterales punctis separatis notatæ; dorsum in medio fascia transversa latiore fusca seu nigra, quam insequuntur 2—3 ejusmodi, angustiores et deinceps minores, omnes in medio plus minusve abruptæ, interdum obsoletæ vel rudi-

mentariæ; interdum est abdomen tantum fusco-punctatum. Pedes pallidi, femoribus neutiquam ut in *Th. horticola* luteo-rubicundo tinctis, tibiis tarsisque autem anterioribus plus minusve subrufo-brunneis, femoribus anterioribus subtus fusco-punctatis, una cum reliquis superne, extus, tibiis anterioribus basi apiceque, posterioribus metatarsisque basi nigricantibus, patellis posterioribus in latere antico sæpe puncto fusco; tibiæ obsolete, tarsi evidentius setulosi; versus apicem metatarsorum et tarsorum supra adest pilus verticalis subtilis. Pedes anteriores paullo graciliores quam in *Th. horticola*, unde aculei in tibiis longitudine diametrum articuli evidentius attingere videntur; tibiæ anticæ ut in illa specie interius nonnihil convexæ videntur. Abdomen in ♀ gravida usque 5 mm. latum; illud in hac fusco-punctatum tantum, nam fasciæ transversæ fuscæ propter expansionem cutis in puncta dissolutæ evadunt.

Mas. Thorax lævis, nec ut in *Th. scabriculo* scaber, opacus; fusco-nigricans, lateribus obsoletius pallido-maculatis. Abdomen saturate fuscum, ad latera albo-cinctum, cinctura e rugulis albidis congestis formata, dorso rubicundo-brunneo, juxta cincturam albidam nigricante, posterius arcubus fuscis et rubicundis pallidisve alternantibus notato. Pedes femoribus anticis maxima parte nigris, reliquis introrsum deinceps pallidioribus, tibiis omnibus totis cum patellis et tarsis pallido-rubicundis. Palporum pars femoralis nigro-fusca, patellaris et lamina ordinaria pallidiores; pars tibialis sub basi appendice, extus attenuata munita; pars in latere externo supra gibboso-intumescens, hoc gibbo in apice calcari gracillimo aucto, haud ut in quibusdam aliis in spinam sensim acuminatam producto (an calcar ex ipso bulbo genitali procurrit?) bulbus elevatione lunata nigra munitus, hæc in margine fere æqualis, non ullas laminas vel spinas insigniores emittens. Pedes antici longit. $4^3/_4$, patellæ et tibiæ conjunctim $1^1/_3$ mm.

Mense Julio-Augusto, præsertim sub foliis et quisquiliis in locis memorosis ad Gbg. et Särö captus. In Scania et Upl., *Boheman*; in Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

16. **Th. scabriculus**: thorace abdomineque scabris vel quasi furfurosis, præsertim illo; ambobus, cum margine clypei supra os, ut et palpis setulis brevibus crassis vestitis, his setulis, sub oculo armato inspectis, clavatis (sive apicibus incrassatis); tibiis anterioribus utrinque aculeis 2, primo ante medium sito, metatarsis aculeis 3 acuminatis; femoribus supra aculeis nonnullis brevissimis, obtusis, tibiisque supra, medium versus, aculeo singulo apice truncato, in posticis longitudine dimidiam dimetrum tibiæ vix attingente; abdomine luteo-brunneo, crebre nigro-maculato, dorso lituris nonnullis transversis arcuatis notato. Mas colore omnium partium fusciore.

WESTR. Enum. Ar. pag. 50.

Magnitudine paullo minor quam *Th. brevipes*. Pedes brevissimi. Thorax longit. 1 ½ mm., maxima parte fusco-brunneus, vitta dorsali media parum conspicua, remanente tantum palledine albida s. eborina basali, inæquali s. angulosa; tota superficie scabrosa, quasi furfure adpresso obducta; dorsum, erga lucem et sub oculo bene armato inspectum, setulis brevissimis clavatis instructum (in specimine uno utriusque sexus lustrato, præsertim in ♀ setulæ in parte cephalica in series (tres?) digestæ, obiter inspectas quasi carinulas humiles constituentes). Palpi setulis ejusmodi evidentioribus et paullo longioribus. Abdomen etiam setulis similibus atque in thorace adspersum; hæ setæ in *Th. brevipede* breviores, magis æquales, nec tam fortiter clavatæ; fere totæ æqualiter crassæ, quod adhuc evidentius videri potest in setulis, quæ supra palpos et in margine clypei supra os locatæ sunt. Pedes maxima parte e fuscedine colorati, femora tamen basi plus minus diffuse pallescentia. Mas thorace, excepta basi, e colore piceo-nigro saturatius infuscato, tibiis tarsisque brunneis, superficie thoracis etiam paullo scabra et opaca; qua in nota statim distinguitur a ♂ *Th. brevipedis*. Pedes ut in illo aculeati sunt; aculei autem breviores; aculeus ex. gr. primus in metatarsis anticis saltem non longior quam diameter tibiæ ejusdem ordinis. Oculi intermedii postici propter superficiem scabrosam minus evi-

denter observari possunt, præsertim in ♀. Maris palporum pars tibialis setis crassis 2—3; lamina ordinaria setulis omnium brevissimis, ægre discernendis vestita; pars tibialis latere externo spina ordinaria robusta, oblique truncata, extrorsum quasi constricta; remotius ab hujus basi, vel in latere interno observatur spina obtusa, apice incrassato paullo adunca; bulbus ut in *Th. brevipede* cochleæformis, niger, in pliculas vel lamellas partitus, lamella una retrorsum flexa, certo situ calcar robustum assimilans, quæ lamella sive calcar in *Th. brevipede* neutiquam tam porrectum videtur; plica altera instar lamellæ elevata, exterius sita, intus versus basin bulbi cuspidatim producta, non autem in *Th. brevipede*.

In Upl. a *Thorell* inventus.

B) Oculi intermedii postici inter se non evidenter spatio breviore, quam quo a lateralibus posticis distant, remoti, simulque una cum 2 interm. anticis aream exacte quadratam occupant. Thorax nudus lævisque, haud scabrosus; margo clypei, mandibulæ et palpi obsolete vel tenuissime pilosa. Oculi 4 antici in lineam valde recurvatam dispositi, ita ut laterales a margine supra os saltem dimidio, potius duplo fere longius retracti evadant, quam efficit longitudo spatii inter oculos duos intermedios, vel margo inferior oculorum lateralium multo altius quam margo superior intermediorum locatus. Tuberculum, quo oculi duo laterales insistunt, ultra planum dorsale eminet, ita ut vertex, sive locus, quo oculi interm. postici insistunt, evidentius impressus, ideoque regio frontalis minus convexa evadat.

17. **Th. vatius** (Clerck): Abdomine obovato, æquali: ♀ *senior* thorace flavo-albido vel flavo-virescente, vitta laterali vel fusca vel viridi-fusca; abdomine flavo-albido, vitta laterali flexuosa rubra; pedibus unicoloribus, tibiis anticis utrinque aculeis 4 metatarsisque 7—8: ♂ *senior* thorace nigro-piceo, dorso medio flavo vel flavo-virente, abdomine in dorso seriebus 2 parallelis e punctis connexis, aut loco horum lineis totidem sublinearibus, nigro-fuscis, his antice sæpe arcuatim connexis, lateribus vitta ejusdem coloris cinctis, femoribus 4 anterioribus totis, patellis, tibiis metatarsisque extus late, pe-

dibusque 4 posterioribus in apice patellarum et tibiarum angustius nigro-piceis, sæpe hic concoloribus, tibiis metatarsisque anticis aculeis tenuissimis, a setis ordinariis ægrius secernendis: uterque sexus oculis lateralibus anticis haud evidenter majoribus quam intermedii.

Femina junior: abdomine vitta laterali rubra carente, dorso interdum vittis duabus subparallelis pallidius virenti-albidis.

Mas junior: thorace vitta laterali fusca seu viridi-fusca; pedibus anterioribus tantum in apicibus patellarum, tibiarum et metatarsorum late fuscis seu rufo-piceis; abdominis vitta laterali fusca, vel continua vel posterius oblique abrupta.

Ar. vatius CLERCK p. 128, pl. 6, t. 5. — *Ar. calycina* LINN. Faun. sv. Ed. II, p. 486 et *Ar. 4-lineata* S. N. Ed. 12, p. 1032. — *Ar. citrea* DE GÉER VII, p. 298, pl. 18, f. 17 & 21. — WALCK. F. par. II, p. 231, 92; *Ar. calycina* ib. p. 231, 93; *Ar. Dauci* ib. p. 232, 96. — *Thom. citreus* LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 111. — HAHN die Ar. I, p. 42, T. XI, f. 32; *Th. Dauci* ib. p. 33, T. IX, f. 27; *Th. pratensis* ib. p. 43, T. XI, f. 33. — *Th. citreus* SUND. A:o 1832, p. 219. — *Th. calycinus* KOCH ib. IV, p. 58, T. 124, f. 283 et 284. — *Th. citreus* WALCK. Apt. I, p. 526. — *Th. vatius* THORELL Rec. crit. p. 72, et Om Clercks Original-Spindels. p. 146.

Femina: thoracis longit. 3 mm; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 4 mm. Ab omnibus aliis cognitis speciebus differt, ut *Th. horridus*, oculis lateralibus anticis haud evidenter majoribus quam intermedii. Thorax ut in *Th. horrido* constructus, et oculi eodem modo dispositi; superficies thoracis nuda lævisque, et abdomen similiter ac pedes satis obsolete setosum; pedes postici obsolete aculeati; tibiæ posticæ superne, basin versus, aculeo 1, et in medio 1, minutis et tenuibus, sub lente sat facile discernendis; tibiæ anticæ utrinque aculeis 4, primo in tertia parte articuli, secundo in medio sito, duobus insequentibus cum hoc intervallis fere æqualibus dispositis; aculeus primus a secundo remotior quam tertius, aculeus quartus prope apicem interdum deficit. Regio mox pone oculos interm. posticos impressione transversa prædita.

Maris aculei pedum vix ulli; in tibiis anticis tam graciles sunt, ut a pilis ordinariis ægre distingui possint.

Juniores 17 Julii ad prædium Säro Hallandiæ a me inventi. Ad Qvickjock Lapponiæ et ad Valders Norvegiæ, *Boheman*; in Scan. et Blek., *Sundevall* et *Boheman*; in Smol., Upl. et Norland., *Sundevall*; in Kinnekulle, *Belfrage*; in Upl. *Clerck* et *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

18. **Th. horridus** (Fabr.): *Femina* subadulta abdomine breviter subpyramidali, angulo postico utrinque in tuberculum humilius eminente; mandibulis in latere antrorsum verso planis.

Ar. horrida Fabr. E. S. II, p. 411, 16. — *Ar. truncata* Walck. F. Par. II, p. 230, 87. — *Th. truncatus* Walck. Tabl. d. Ar. p. 31, N:o 5. — *Th. horridus* Koch IV, p. 49, T. 123, f. 280. — *Th. truncatus* Walck. Apt. I, p. 515, 25. (Descriptio Fabriciana cum imagine nostræ araneæ male competit; nomen specificum autem affirmatum est a Dom. *Walck.*, ad quem specimen archetypicum a Dom. *Fabricio* missum fuisset).

Quoad structuram thoracis et abdominis a præcedentibus insigniter discrepat hæc species. Thorax in specimine lustrato juniore longit. $2\frac{1}{2}$, pedes anteriores 8—9, patellæ et tibiæ conjunctim $3\frac{1}{4}$ mm., pedes tertii 4, quarti 5 mm., ideoque apparet, quod pedes posteriores dimidiam tantum longitudinem pedum anteriorum attingunt. Pars cephalica in angulo, cui oculi laterales impostiti sunt, altius eminet, ita ut vertex, ab antice inspectus, impressus videatur. Oculi intermedii antici inter se haud evidenter remotiores quam efficit spatium inter eos et laterales anticos, vel omnes quatuor et laterales postici inter se intervallis subæqualibus distantes; quatuor antici in lineam recurvatam, vel, si mavis, sursum flexam evidentius dispositi; laterales antici a margine supra os multo longius distant quam intermedii inter se; regio mox pone oculos interm. posticos, ut in *Th. vatio*, impressione transversa prædita. Thoracis dorsum parum arcuatum, depressiusculum, præsertim versus latera fusco-nebulosum, superficie setulis vel aculeis erectis nullis eviden-

tibus vestita, nec sunt margo supra os neque mandibulæ armatura ejusmodi prædita; palpi tamen aculeis aliquot parum validis armati. Mandibulæ supra non convexæ sed planæ. Abdomen fere ut in *Episino truncato* formatum, basi truncatum, dein sensim dilatatum, postice subtruncatum, regione supraanali paullo convexum, angulo superiore utrinque tuberculatim eminens; totum rufo-brunneum, unicolor, lateribus tamen paullo saturatius rufescens, in medio dorsi longitrorsum infuscatum, foveola subbasali et quatuor insequentibus normalibus, his in trapezium dispositis, præditum. Pedes quatuor anteriores luteo-brunnei, apicibus articulorum fuscis, tibiarum tarsorumque basi pallide luteis seu subalbidis; pedes quatuor anteriores pallido-flavescentes, posticorum patellæ nigro-fuscæ seu brunneæ, omnes uti thorax et abdomen nullo indumento manifesto, nisi tarsi setulis brevissimis vestiti; tibiæ anteriores aculeis 4, metatarsique 5—7, in seriem utrinque dispositis, armati; in pedibus posterioribus et in femoribus superne aculei nulli evidentes obveniunt; tibiæ posteriores autem superne aculeo 1 versus basin, unoque in medio, tenuioribus armatæ; aculei in tibiis anticis ut in *Th. vatio* ♀ locati.

Mense Augusto in Slottskogen ad prædium Malmgården a me ipse inventus; in Blek., *Boheman;* in Ostrog., *v. Post.* — Aranea in folio arbusti, pedibus anterioribus arcte approximatis et ad latera extensis, sedebat, more quorundam *Philodromorum*, quos in hoc statu sedentes vidi.

II. PHILODROMUS Walck.

Thorax: in *Sectione I:ma* breviter ovatus vel vix longior quam latior, interdum paullo latior quam longior, fronte latitudine $^1/_3$—$^1/_2$ medii partis thoracicæ; in *Sectione II:da* elongato-ovatus, evidenter longior quam latior, fronte latitudine $^1/_2$ medii partis thoracicæ, vel ultra. Oculi ut in *Thomiso* aream lunatam, retrorsum curvatam occupant; intermedii antici evidenter longius a margine clypei remoti, ita ut sæpe paullo longius, saltem semper æque longe ab

illo atque ab oculis intermediis posticis remoti esse videantur; oculi intermedii postici inter se evidenter latius quam intermedii antici distant; oculi duo laterales non eminentiæ oblongæ impositi; eorum antici ad intermedios anticos adhuc evidentius approximati, vel spatium inter ambos laterales fere duplo majus quam inter oculum lateralem anticum et oculum adjacentem intermediorum anticorum. Mandibulæ et maxillæ vix aliter constructæ atque in *Thomiso*. Abdomen magis elongato-ovatum, interdum subrhombicum, vel pone medium dilatatum, tum ad anum cito acuminatum, ipso apice abdominis ab ano cum mamillis occupato, his organis scilicet non infra extremitatem posticam subterius locatis; abdominis cutis pube adpressa densiore vestita; pictura ex ipsa pube, nec ut in *Thomiso* e pigmento, sub epidermede locato, pendet. Pedes in plerisque longiusculi, anteriores et posteriores crassitie subæquales, graciliores; proportione 2, 1, 4, 3; in *Ph. oblongo* et *formicino* 2, 4, 1, 3, anne potius 2, 4, 3, 1? simulque sunt pedes primi et tertii subæquales, nec his brevioribus; in omnibus sunt femora vel metatarsi secundi ordinis evidenter longiora quam primi ordinis; aculei pedum longiores et graciliores.

Vitæ genus *Thomisi;* tamen sub lapidibus et aliis non versari videtur, potius in locis apertis, in plantis, fruticibus et inter plantas et gramina emortua, in nemoribus et in collibus editis crescentia. Motus velocissimus.

SECTIO I.

Thorax breviter ovatus, marginibus circulariter arcuatis, unde ejus latidudo quam longitudo vix minor, interdum paullo major evadit; evidenter brevior quam femora antica, saltem quam secunda. Pedes proportione 2, 1, 4, 3, at femora tertia interdum æque longa ac quarta. Tarsi anteriores subtus scopulis sive pilis brevibus perpendicularibus, densis, minus distinctis vestiti.

a) Tibiæ anticæ utrinque, præter seriem superiorem ex aculeis 2—3, serie inferiore ex aculeis 5 (nec 3 tantum) instructæ.

1. **Ph. fusco-marginatus** (De Géer): *Femina* thorace, long. 2 ¼ mm., evidenter latiore quam longiore, pedibusque luteo-rufescentibus, horum anticorum tibiis subtus utrinque serie ex aculeis 5, metatarsisque 3, evidenter longioribus quam diameter tibiarum instructis; abdomine brunneo- seu rufo-griseo, lateribus anterius linea tenuiore, et extremitate postica limbo latiore, saturate fuscis cinctis; dorso griseo-albido-pubescente, unicolore, pubescentia postice juxta limbum fuscum supraanalem densius congesta, quasi arcum albidiorem formante; superficie potius opaca quam nitida dicenda.

Mas palporum parte femorali longit. non ultra ⅓ femorum anticorum; parte tibiali in apice lateris exterioris in spinam gracilem acutam, æque longam ac ipsa pars producta; lamina latiore quam femora antica, vel latitudinem areæ oculorum æquante; (pars cephalica paullo elevata, vel impressione circumdata, hac pone occiput in canaliculam, ad basin thoracis productam, continuata; vertice paullo excavato).

Ar. fuscomarginata De Géer VII, p. 301, pl. 18, f. 23. — *Ph. fuscomarginatus* Sund. A:o 1832, p. 224 (seniores). — *Artamus corticinus* Koch IV, p. 85, T. 132, f. 306 (forsitan huc referendus, et cujus descriptio cum imagine araneæ nostræ valde competit).

Thorax ut in *Ph. tigrino* evidenter latior quam longior, in margine supra palpos evidenter introrsum sinuatus, undeque fronte nonnihil seorsum prominente, latitudine frontali parum latiore quam ⅓ medii partis thoracicæ. Color thoracis luteo-rufescens, margine laterali saturatius brunneo; clypeus pallidior, una cum fronte evidentius albido-pubescens, ambo pilis quibusdam intermixtis nigris vestita; thorax de cetero parce albido-pubescens. Oculi intermedii antici evidenter minores quam laterales antici; area, a 4 intermediis occupata, longior quam latior, vel oculi 2 postici inter se haud ut in *Ph. limbato* et *aureolo* longius quam ab anticis distant, sed differentia capillari ab his distantiores (saltem spatio æquali distant?). Hanc ob causam oculi intermedii postici ab oculo laterali antico haud ut in *Ph.*

limbato intervallo evidenter minore quam ab oculo laterali postico, sed intervallo fere æquali ab hoc oculo distant, h. e. omnes tres oculi aream triangularem æquilateram occupant, et series oculorum 4 posticorum parum retrorsum arcuata evadit. Abdomen elongato-ovatum, antice truncatum, posterius sensim leviter dilatatum, tum ad anum angustatum, colore in fundo brunneo-fuscum, dorso pube albido-grisea, adpressa, sub oculo armato pube rufo-brunnea mixta vestito. Abdominis postica pars, vel spatium supra anum, fascia latiori brunneo-fusca seu brunneo-nigricante, ad $\frac{1}{3}$ laterum vel ultra protensa cincta; margo spatii dorsalis griseo-albidi, cincturæ fuscæ supraanali tangens, e pube condensata albida lætius designatus, arcum albidiorem, angustum repræsentans. Venter pube brevissima, adpressa, griseo-albida sat dense vestitus. Pedum anticorum tibiæ et metatarsi ut in *Ph. limbato* aculeati; tibiæ scilicet, exceptis aculeis nonnullis lateraliter et supra sitis, tenuioribus et minus evidentibus, aculeis subtus, utrinque sitis, 5, seriatim dispositis, robustioribus, evidenter longioribus quam diameter tibiarum, metatarsisque aculeis 3 ejusmodi instructis, horum (in metatarsis) uno, juxta basin sito, suo apice medium articuli attingente. Pedes respectu reliqui corporis breviores quam in *Ph. limbato;* tibiæ anticæ et patellæ, simul sumtæ, long. $3\frac{1}{3}$ mm.; hæ illarum dimidiæ longitudini haud cedunt. Femora in specimine lustrato vestigiis annulorum rufo-brunneorum; annuli in tibiis in exemplis vivis forsitan etiam adsunt, ut in figura, a Dom. *Koch* data.

Obs. Juniores, in collectione Dom. *Sundevallii* asservati, ad aliam speciem pertinent. Confer *Ph. cespiticolem* (7), postea descriptum.

In Lapp., *Zetterstedt* et *Boheman;* ad Holmiam, et in Smol., *Sundevall;* in trunco pini, prope Upsaliam, a *Thorell* capta.

2. **Ph. cinereus**: *Femina* (in spiritu vini asservata, pube detrita) thorace longitudine 3 mm., tibiis et patellis secundis conjunctim 5, iisdem articulis pedum primi ordinis

4 mm., illo latiore quam longiore, mandibulisque fuscis; area oculorum cum clypeo albidis, ad partem fusco-maculatis; abdomine obscure grisescente seu cinereo, crebre albido-punctato, anterius relicta vitta subfusiformi fusca; dorso pone vittam serie longitudinali media e punctis albidis 3—4, e quibus ad latera emittitur series obliqua e punctis alteris, ejusmodi coloris; tibiis anterioribus utrinque serie ex aculeis 5, metatarsisque 3 instructis; oculis lateralibus anticis margine suo inferiore non æque alte retractis ac margo superior oculorum intermediorum.

WESTR. Enum. Ar. p. 51.

Femina similiter ac *Ph. fusco-marginatus*, *limbatus* et *tigrinus* ab omnibus reliquis speciebus, mihi cognitis, differt numero aculeorum in tibiis anterioribus, qui in his speciebus haud e 5 sed 3 tantum constat. Thorax marginibus saturatius fuscescentibus. Clypeus utrinque macula fusca, et intervallum inter oculos laterales ejusdem coloris. Inter oculos intermedios posticos observantur lineolæ duæ longitudinales, breves, parallelæ, fuscæ. Oculi ut in *Ph. limbato* dispositi, vel area triangularis, quæ ab oculis tribus lateralibus occupatur, haud ut in *Th. fusco-marginato* æquilatera. Mandibulæ fuscæ, unicolores, vel in medio nulla macula pallida notatæ; an etiam in vivis? Abdomen punctis minutis albidis adspersum, quorum 3—5 in seriem longitudinalem pone apicem vittæ fusiformis digesta; e singulo puncto emittitur series obliqua, quæ e punctis ejusdem coloris constat; puncta, sub oculo bene armato inspecta, punctulo nigro centrali notata; in quibus punctulis certe pili ordinarii erecti, quos in exemplis vivis adfuisse putarem, radicati fuerunt. Puncta albida etiam observantur infra abdominis latera, quæ longitrorsum, una cum regione supraanali, cinctura fusca unicolore circumdantur; puncta albida in lineolas minores diffusius confluunt, vel subseriata dicenda. In exemplis vivis, cute forsitan pube obtecta munitis, puncta albida sine dubio haud observari possunt? Venter pallidus, fusco-tri-

lineatus. Genitale foveolas duas oblongas parallelas vel potius foveam magnam communem repræsentat, hæc fovea margine elevato circumdata, margine postice aperto, antice lobum vel sulculum medium retrorsum emittente, obiter inspecto formam fere litteræ græcæ omegæ præposteræ (ω) figurante. Femora in latere antico linea longitudinali fusca, quæ superne cum macula media et anteapicali nec non cum macula basali obsoletiore confluit; linea fusca sub patellis continuata; tibiæ basi et apice macula fusca et præterea una cum femoribus fusco-punctatæ. Pectus et coxæ subtus luteo-albida, illo maculis fuscis obsoletis picto, seu potius fusco-irrorato. Palporum pars femoralis subtus fusca, insequentes partes basi macula seu annulo fusco notatæ. Pedes paullo longiores quam in *Ph. limbato*, et quam in *Ph. fuscomarginato* evidentissime longiores. Thorax et abdomen, simul sumta longit. 7 mm., an in vivis longiora? — Aculei supra femora defracti; aculeus unicus, qui restat, eos albidos, basi nigros fuisse demonstrat; aculei laterales in tibiis anticis non nigri sed pallidi videntur; num per spiritum vini decolorati?

Specimen unicum ad Qvickjock Lapponiæ a Prof. *Andersson* inventum. Forsitan species rarior.

3. **Ph. limbatus** (Sund.): *Mas* thorace abdomineque supra nigris, illius margine anguste, hujus lateribus usque ad ventrem albidis. *Femina* thorace fusco, griseo-pubescente, summo margine dorsoque albidioribus; abdominis dorso toto griseo aut murino, hic illic pube orichalceo-micante adsperso, lateribus ventreque albidis, illis obsolete fusco-punctatis, hoc sæpe lineis 2 fuscis. Uterque sexus thorace haud latiore quam longiore; oculis lateralibus posticis ab oculo adjacente intermediorum posticorum et a lateralibus anticis multo longius quam hi ambo inter se distantibus, vel omnibus tribus aream triangulam inæquilateram (isoscelem non plane exactum) occupantibus, serieque oculorum 4 posticorum valde retrorsum curvata.

Varietas, præsertim in spiritu vini asservata, occurrit, quæ in abdominis dorso, in loco cordis, vitta lanceolata notata est, similiter atque in *Ph. aureolo*.

SUND. A:o 1832, p. 228. *Thomisus limbatus* HAHN Mon. Ar. VII, 4—a. — *Ph. idem* KOCH XII, p. 85, T. 416, f. 1017—18 (exclus. syn. *De Géeri* et *Sundevallii*, *Aran.* et *Ph. fuscomarginatus*).

Si structuram thoracis et dispositionem oculorum lateralium posticorum bene observes, hæc species statim a *Ph. fuscomarginato* distingui potest. Series oculorum 4 posticorum ut in *Ph. aureolo* in medio magis ad seriem anticam approximata videtur, et oculi laterales postici magis retracti, unde oculi intermedii postici ad oculos laterales anticos multo evidentius magis approximati quam in illa; intervallum scilicet dimidio fere brevius quam inter oculos 2 laterales, vel quam inter oculum lateralem posticum et oculum adjacentem intermediorum posticorum; oculi 2 interm. postici ab interm. anticis brevius quam inter se distant. Tibiæ anticæ, ut in reliquis hujus Sectionis, præter seriem superiorem ex aculeis paucis, serie inferiore ex aculeis 5 (nec 3 tantum). Thorax longit. 2 mm. Pedum color albidus, languide lutescens, unicolor. Pulli area dorsali abdominis, a cinctura albida inclusa, plerumque rufo-brunnea; pedes sæpe colore brunneo tincti. Subadulti, similiter ac varietates feminæ adultæ, abdominis dorso macula laceolata fusca, albedine inclusa, hac posterius utrinque radiata. Maris palporum pars tibialis in apicis latere exteriore haud calcarata; lamina ordinaria breviter ovata, apice haud producta, sive parum longior quam latior, latitudine evidenter majore quam latitudo femorum anticorum; color laminæ fuscus; articuli præcedentes colore pedum; pars femoralis vix longior quam $^1/_3$ femorum anticorum; pars patellaris tumidiuscula, evidenter longior et crassior quam pars tibialis; hæc cylindrica.

In Scania et Blek. a *Sundevall*, in Blek. a *Boheman* et in Upl. a *Thorell* captus. Habitat ad Gothob., præsertim inter gramina, filices et alias plantas exsiccatas, in locis montosis crescentia.

4. **Ph. tigrinus** (WALCK.): *Femina* thorace latiore, saltem æque lato ac longo, dense nigro-, fusco- et albo-pubescente, interdum griseo-albido, parum fusco mixto (vitta media, pube detrita, lutescente); serie oculorum 4 anticorum fortius sursum arcuata, vel oculis lateralibus suis marginibus inferioribus æque alte ac margines superiores oculorum intermediorum rectractis, eamque ob causam singulo oculo intermediorum una cum oculo laterali antico et postico, a latere inspectis, seriem evidenter deorsum curvatam formantibus; abdomine ovato vel subrhombeo, dorso similiter atque in thorace pube varia obsito, lateribus vittis duabus obliquis nigris, postice griseo-albido-pubescentibus; pedibus testaceis, fusco-, nigro- et griseo-pubescentibus, nigroque annulatis, tibiis anterioribus utrinque subtus serie ex aculeis 5, nec tantum 3.

Mas: Palporum parte femorali breviore quam patellæ pedum anticorum, lamina ordinaria adhuc evidentius breviore, breviter ovata, nigro-fusca, parte tibiali apice externo in spinam producta et subtus spina altera subflexuosa armata, femoribus etiam 4 posterioribus subtus nigro-maculatis.

WALCK. Apt. I, p. 551, 1, et Ar. de France, p. 87, N:o 1. — *Aranea tigrina* ID. Fn. par. II, p. 230, 86. — *Thomisus tigrinus* ID. Tabl. d. Ar. p. 34, N:o 22.

Femina, ut videtur adulta, simillima *Ph. margaritato*, sed differt tibiis anterioribus serie dupla ex aculeis 5, nec 3. Oculorum series antica fortius recurvata, vel, si linea transversa recta per margines superiores oculorum intermediorum ducta esset, tunc hæc linea non ut in *Ph. margaritato* margines inferiores oculorum lateralium desecaret, sed potius libera eos transgrediretur. Si oculum lateralem anticum una cum oculo adjacente intermediorum, et insimul oculum lateralem posticum contemples, tunc hi tres oculi seriem leviter deorsum curvatam nec rectam describunt; in *Ph. margaritato* autem series illa omnino recta videtur. Thorax longit. 2 $^{1}/_{4}$ mm., paullo latior quam longior; pars

cephalica ut in mare descripto *Ph. margaritati* ultra sinum marginis, supra insertionem palporum, ubi impressio normalis pro parte cephalica ab occipite producta esse solet, prominens, nec ut in femina ejusdem speciei in eodem loco cum margine reliquo circulariter confluens; at hæc nota non ut constans est consideranda, quia unicum tantum specimen siccatum lustravi; superficies pube adpressa rudi, nigra, fusca et griseo-albida dense obducta, versus margines colore fusciore picta, quo colore latera griseo-albida maculatim variegata sunt, relicto spatio dorsali medio magis denudato (an pube detrito?), hoc vittam lutescentem medio angustatam repræsentante; color variat uberius griseo-albido, parce fusco-vario; clypeus haud ut in *Ph. margaritato* totus sed tantum a medio ad marginem supra os, interdum in ipso margine albido-pubescens, genis et spatio prope oculos anticos brunneo-fuscis; spatium interoculare ut in illo etiam albido-pubescens. Mandibulæ fuscæ haud macula media pallida notatæ, nec setis albidis vestitæ, an ita semper? — Abdomen (in exemplo lustrato corrugatum) similiter ac thorax pube fusca, nigra et griseo-albida, rudi, dense obductum, lateribus aut vitta inæquali aut lineis duabus obliquis, una post altera posita, notatis, margine interno albido- seu griseo-pubescentibus; apex posticus vittæ sive lineæ posticæ etiam supra anum arcuatim productus, regio antejacente, supra anum, pube griseo-albida dense vestita. Pedes in fundo pallido-testacei, omnino ut in *Ph. margaritato* nigro-annulati; femora scilicet superne macula pone basin, in medio et ante apicem notata; femora antica subtus linea longitudinali nigra (hoc colore in medio cum macula media supera per lineolam emissam conflato); tibiæ omnes et metatarsi annulo basali et apicali, et præterea superne punctis nonnullis nigris; interstitia testacea pube griseo-albida induta et punctis fuscis evidentius irrorata, quare pedes sordidiores videntur quam in *Ph. margaritato* (?). Palporum pars femoralis etiam subtus linea nigra, et partes duæ ultimæ annulo nigro. Aculei in femoribus omnibus, et nonnulli in tibiis posticis etiam albidi, basi nigri; pedes ut in

illo aculeati, at series binæ sub tibiis anterioribus, ut antea dicitur, ex aculeis nigris 5 nec 3 constant. Pectus, coxæ et femora subtus pube luteo-albida, brevi, adpressa minus dense vestita; coxæ et femora, præsertim hæc, setis tantum paucis erectis, apicibus rectis, albidis, seorsum induta. In *Ph. margaritato* autem coxæ et femora pilis densioribus et longioribus, purius albidis, mollioribus et fere apicibus flexis, ubique distributis vestita, et pectus densius et purius albido-pubescens. Maris palporum lamina ordinaria ut in *Ph. limbato* regulariter ovata, sive introrsum non fortius arcuata quam in margine externo, parum latior quam longior.

Ad Holmiam a *C. Stål*, et in Ostrog. a *v. Post* inventus.

b) Tibiæ anticæ utrinque, præter seriem superiorem ex aculeis 2—3, serie inferiore ex aculeis tantum 3 nec 5 instructæ.

5. **Ph. margaritatus** (Clerck): *Femina* cinerea, thorace latiore quam longiore, ambitu laterali orbiculariter flexo et parte cephalica in margine supra palpos fere circulariter cum fronte concreta, dorso pube adpressa brevi griseo-albida induto, vitta media lutescente; lateribus umbra fusca notatis; serie oculorum 4 anticorum leviter recurvata, sive oculis lateralibus marginibus inferioribus haud æque alte ac margines superiores oculorum intermediorum retractis, vel oculo laterali antico et postico cum oculo proximo intermediorum anticorum, a latere inspectis, in seriem rectam dispositis; abdomine obovato, lateribus vitta flexuosa, vel lineis duabus obliquis nigris, postice albido-marginatis notatis, linea postica in arcum, supra anum extensum reflexa; pedibus testaceis fusco-annulatis, tibiis anterioribus subtus utrinque serie ex aculeis 3.

Mas (junior): thoracis parte cephalica ante sinum normalem supra palpos paullo antrorsum prominente, vel margine toto haud evidenter circulari (?); dorso vitta laterali pure nigra, regulari, hac marginem summum et vittam dorsalem mediam lætius albidescentia relinquente; abdomine lætius albido vel coeruleo-albido, vitta laterali sinuata nigra, continua aut abrupta, dorso in medio

arcum tenuiorem, posticeque supra anum utrinque lobum vel arcum latiorem emittente; dorso antice linea media longitudinali arcubusque plerumque nonnullis paribus pone medium, nigris seu fuscis, notato; superficie, ut in thorace utriusque sexus, pube brevi unicolore (nec ut in *Ph. tigrino* longiore, densiore et sæpe varicolore) obsito.

Araneus margaritatus CLERCK p. 130, Pl. 6, t. 3. — *Ar. lævipes* LINN. F. sv. p. 492 (?). — FABR. Ent. S. II, p. 413, 25 (?). — *Ar. jejuna* PANZ. Faun. Germ. 83, 21. — *Ar. tigrina* DE GÉER VII, p. 302, Pl. 18, f. 25. — *Thomisus lævipes* HAHN I, p. 120, T. 34, f. 90. — *Philodr. jejunus* WALCK. Apt. I, p. 551, 2. — *Artamus idem* KOCH XII, p. 83, T. 415, f. 1015—16 (?). — *Philodr. tigrinus* SUND. A:o 1832, p. 225, 3. — *Artamus margaritatus* THORELL Rec. crit. p. 73, et Om Clercks Origin. Spindelsaml. p. 146.

Femina a *Ph. tigrino* distinguitur oculis 4 anticis in lineam minus fortiter recurvatam dispositis, thorace et abdomine superne pube breviore et minus variegata vestitis, tibiis anterioribus utrinque aculeis 3 tantum, nec 5. Oculi laterales antici ut in illo majores quam intermedii, quam in illo minus retracti, vel, si linea recta per margines superiores oculorum intermediorum duceretur, tunc hæc linea margines inferiores oculorum lateralium ad partem desecare videretur, quare etiam oculus lateralis anticus una cum adjacente oculo intermediorum et cum oculo laterali postico seriem omnino rectam nec deorsum curvatam formant. Thoracis longitudo $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ mm., ille evidenter latior quam longior est, marginibus circularibus, nec ut in *Ph. tigrino* supra palpos sinuatis, et parte cephalica ultra illum locum non evidenter prominente; an hoc recte a me visum (?); clypeus totus albido-pubescens nec in genis et mox sub oculos fuscescens; thoracis dorsum in medio vitta obsoleta, sordide lutea notatum, utrinque pube cinereo-albida, æqualiter distributa et unicolore obductum, tamen sensim versus vittam mediam infuscatum, vel hic umbra fusca male limitata pictum; pubescentia albida in clypeo plerumque lineolam utrinque sub oculos laterales et inter oculos intermedios emittit. Mandibulæ basi pilis albidis et longiusculis vestitæ, macula media albida. Palporum pars femoralis ut

in illo subtus linea nigra, et partes duæ ultimæ annulo nigro. Abdomen obovatum vel rhombeo, dorso pube cinerea vel grisea breviore, adpressa, unicolore vestitum, at posterius quasi fasciculis vel punctis setiferis albidioribus adspersum. Latera ornantur lineis 2 angustioribus (an semper?), nigris, postice setulis erectis albidis marginatis, linea secunda magis oblique posita, apice postico plerumque in arcum, supra anum productum reclinata; in medio dorsi observantur foveolæ duæ, transverse positæ, nigræ, quæ plerumque duobus paribus arcuum vel lineolarum fuscarum succeduntur. Venter albido-lutescens vel rubicundus. Pectus setis albidis adpressis dense obductum. Coxæ et femora subtus setis mollibus, pure albidis, satis longis, ubique sparsis, apice flexis vestita; hæ setæ in *Ph. tigrino* pauciores, extus haud flexæ et pilis fuscis mixtæ. Pedes testacei, ut in illo annulati, pilorum et aculeorum radices minus fuscæ, unde pedes minus fusco-variegati minusque sordide colorati videntur.

Mas junior omni pictura nigra saturatius expressa; thoracis vitta lateralis nigra marginibus bene limitata, apice antico ad verticem incurvata, marginem thoracis, clypeum et vittam dorsalem mediam læte albidescentia relinquens; vitta nigra infra oculos laterales a lineola albida persecta; vitta dorsalis albida antice in cuspidem inter oculos intermedios producta. Palporum lamina fusca, supra fascia flexuosa albida in exemplis, in spir. vini asservatis, at in vivis tota albida. Abdominis lineæ binæ laterales forsitan interdum confluunt, antice maculam oblongam, posticeque lineam arcuatam formantes; hæc linca in dorsum paullo adscendens, regione laterali ante anum aut arcubus 2 alteris aut, his cum illa linea confluentibus, macula majore notata, quæ lobum supra anum format. Pedes ut in *Ph. tigrino* annulati, annulis saturatioribus. Femora et tibiæ tertii paris in utroque sexu etiam paullo longiora quam quarti paris, ideoque proportio pedum est 2, 3, 1, 4, vel 2, 3, 4, 1.

Femina ad Gbg., mas ad Alingsås captus. In Upl. *Clerck*, *Boheman* et *Thorell*.

Obs. Quum figura, a *Koch* pro *Artamo jejuno* data, a forma nostræ araneæ paullo aberrans sit, synonymon non certo huc referri potest, et præterea suspicandum est, duas species, ad divisionem nostram *b*) pertinentes, occurri, quæ propter inopiam exemplorum bene conservatorum haud certo determinari possunt. Specimen junius ♀ in insula Mjörn Bahusiæ, a Studioso *Ljungman* captum, abdomine ut in figura *Kochii* posterius minus dilatato (an id tantum in exemplis, in spir. vini asservatis?).

6. **Ph. aureolus** (Clerck): *Femina* colore, maxime dominante, luteo-brunneo aut grisescente, thoracis margine summo angustius, dorsoque medio latius luteo-albidis aut griseo-albidis; abdomine superne luteo-brunneo aut griseo-albido, pube ad partem aureo- vel orichalceo-micante induto.

Mas thorace fusco plerumque unicolore, sæpe metallico-micante, abdomine ejusmodi colore, aut pube ænea, viridi et purpureo-nitente obducto, aut ut in ♀ interdum vitta ex arcubus transversis, vel disco dense fulvo vel griseo-albido-pubescente, radios laterales emittente; pedibus a patellis ad apicem tarsorum sensim attenuatis; palporum parte femorali longit. fere $1/2$ femorum pedum anticorum, vel saltem evidenter longiore quam $1/3$ horum, patellas anticas insigniter superante; lamina ordinaria pyriformi vel apice evidenter acuminata; parte tibiali apice lateris externi in calcar nigrum producta, huic interius adjacente spinula brevissima ejusdem coloris.

Var. a: abdomen præsertim in lateribus dorsi pube luteo-brunnea vel fulva obsitum; pedes plerumque colore rufo-brunneo vel rufo-luteo tincti. Femina.

Var. b: abdomen, excepto limite inter dorsum et latera longitudinali fusco, griseo-albidum, dorso pube luteo-rufescente vel omnino orbato vel obsoletissime induto, pube orichalceo-micante hic illic adsperso. Thorax uberius albido-puberulus, ita ut vitta media, in *var. a* luteo-albida, pure albida evadat. Femina.

Ar. aureolus Clerck p. 138, pl. 6, t. 9. — Walck. F. par. II, p. 229, et *Thomisus* idem Tabl. d. Ar. p. 85. — *Ph. aureolus* Sund. A:o 1832, p. 228. — *Thom. aur.* Hahn die Ar. II, p. 57, T. 62, f. 144 et 145. — *Phil. idem* Walck. Apt. I, p. 556, (excl. synon. *De Géeri*).

Femina. Thorax longit. 2 mm., in dorso vitta lata albida notatum, hac maxima parte unicolore, nec ut in *Ph. decoro* linea media fusca, ad vittæ finem basalem decurrente notata; limes lateralis vittæ haud recte et saturatius expressus, plerumque inæqualis, vel vitta radios breves ad latera fusca emittit. Oculi fere omnino ut in *Ph. limbato* dispositi; tamen est series postica minus retrorsum arcuata, unde oculi laterales postici ab anticis et ab oculo adjacente intermediorum posticorum non tam insigniter longius distant quam illi et hi inter se, vel dimidio tantum, nec ut in *Ph. limbato* duplo longius (?), h. e. area, ab omnibus 3 occupata, a latere inspecta, propius ad triangulum æquilaterum appropinquata; in *Ph. limbato* illi tres oculi isoscelem longum satis regulare formant. In abdominis dorso anterius sæpe observatur vestigium lineæ longitudinalis subfusiformis, fuscioris, quæ in *Ph. decoro* et *formicino* evidentissima et colore saturate fusca adest. Area dorsalis a limbo nigro cingitur, hoc sæpe lineolis duabus, e dorso excurrentibus, maculatim persecto, vel interdum pube grisea vel rufo-brunnea ita contaminato, ut tantum maculæ quædam obsoletiores fuscæ remaneant; macula juxta anum, utrinque, fusca fere semper remanet. *Var. b* propter indumentum albidius quodammodo similis feminæ *Ph. limbati*, a qua mox distinguitur numero aculeorum in tibiis anticis utrinque 3, nec 5.

Mas. Vide diagnosin.

Circa Gothob. in plantis et foliis arbustorum captus, certe inter omnes frequentissima species. Ad Qvickjock Lapponiæ, Trondhjem Norvegiæ et in Jemtl. a *Boheman;* in Scania, Blek. et Upl. a *Sundevall;* in Upl. a *Clerck* et *Thorell;* i Ostrog. a *v. Post* inventus.

7. **Ph. cespiticolis** (WALCK.?): *Mas* junior rufo-brunneus, thorace in medio pallidiore, ad latera saturatius colorato; abdomine indumento subsericeo vestito, ano utrinque lineola fusca notato, tibiis metatarsisque anterioribus utrinque serie ex aculeis 3, paullo longioribus quam diameter tibiarum; thoracis superficie subnitida, non ullibi, etiam vix in clypeo, pube ulla albida vestita (an etiam in exemplis vivis?).

WALCK. Apt. I, p. 556, 8? — *Ph. fuscomarginatus*, juniores, SUND. A:o 1832, p. 224.

A junioribus *Ph. aureoli* ægre distinguendus. Exempla plura, in collectione Dom. *Sundevallii* asservata, thoracem et fere pedes magis nitida habent. Thorax non ullibi albido-pubescens, longit. $1\frac{1}{2}$ mm.; tibiæ et patellæ anticæ conjunctim long. $2\frac{1}{4}$, secundi ordinis $2\frac{3}{4}$ mm. Dispositio oculorum ut in *Ph. aureolo*, his nigró- nec evidenter vitreo-splendentibus. Aculei in tibiis anticis paullo longiores videntur, ita ut longitudinem diametri tibiarum evidentius superare videantur (?). Abdomen sericeo-micans, vix ullibi pube orichalcea vel subaurea, sed rufo-brunnea tantum, sericea obductum; dorsum pube albida adspersum, hac aut subæqualiter sparsa, aut in maculas, antice per paria dispositas, tum in seriem insequentem, vel in arcus quosdam supraanales digesta. Anus utrinque lineola longitudinali fusca signatus. Abdomen in exemplis lustratis postice parum dilatatum, an etiam in vivis? Specimen masculinum, ut videtur adultum, a Dom. *v. Post* in Ostrog. captum, thoracem circulariter dilatatum habet; sine dubio huc pertinens; ad colorem simile junioribus.

In Scan. a *Sundevall*, et in Ostrog. a *v. Post* captus.

8. **Ph. decorus**: *Femina* subadulta cinereo-albida, fuscovaria, thorace vitta laterali fusca semilunata; vitta interjacente dorsali albida plerumque linea media fusca notata; abdomine in dorso antice macula subhastata fusca, posticeque arcubus transversis fuscis albisque alternantibus notato; lateribus fuscis lineolis duabus tribusve obli-

quis, parallelis, albidis, his inferius plerumque punctatim abruptis; ventre lineis fuscis albidisque; pedibus fuscis, griseo-albido-annulatis; oculis lateralibus posticis ab anticis non longius retractis quam hi ab oculis intermediis posticis distant.

Ph. fallax WESTR. Enum. Ar. p. 51, (excl. syn. *Sundevallii*).

Thorax long. 2, pedes deinceps 10—13—7 $^1/_2$—9 mm., patellæ anticæ cum tibiis conjunctim 3 $^1/_2$, iidem articuli secundi ordinis conj. 4 $^1/_3$ mm. Thoracis vitta dorsalis albido-cinerea margine æqualis, a vitta laterali fusca bene limitata; margo summus thoracis sat late albidus; vitta dorsalis plerumque inter oculos intermedios posticos lineola longitudinali brevi, et pone hanc fere semper lineola altera evidentiore notata, colore nigrofuscis; hæc linea canaliculam vel foveolam ordinariam includit et sæpe antice in furcam subtilem finita. Oculi fere ut in *Ph. aureolo*, at duo laterales et oculus proximus intermediorum posticorum aream triangularem magis exacte æquilateram occupant. Abdominis macula antica media sæpe dente laterali prædita, colore aut tota fusca aut medio griseo-albida, marginibus fuscis, sæpe tam saturate colorata atque in *Ph. fornicino*. Latera abdominis fusca ornantur lineis duabus distinctioribus, oblique positis, albidis, una ante, unaque pone medium sita, ambabus vel alterutra inferne plerumque in puncta dissolutis; interdum observatur lineola tertia minuta, vel puncta quædam, mox ante anum sita. Spatium inter maculam subhastatam et anum fuscum est, arcubus transversis albidis notatum; interdum sunt hi arcus latiores, et tunc intervalla fusca angustiora arcus fuscos formant; supra anum plerumque relinquitur macula cuneata fusca, concolor, late albo-cincta. Venter late albidus, disco lineis tribus fuscis notato, intervallis duobus mediis lineas duas angustas albidas constituentibus. Scopulæ sub tarsis anticis densæ. Pedes a basi tibiarum ad apicem tarsorum haud sensim attenuati dicendi, magis lineares quam in *Ph. aureolo*; colore brunneo-fusci, griseo-albido-annulati; femora basi annulo angusto,

et pone medium annulo latiore, griseo-albidis, notata; annulus pone medium præsertim subtus læte expressus. A *Ph. fallaci* constanter differre videtur thoracis vitta laterali saturate fusca latiore, fere semilunata, antice usque ad latera partis cephalicæ protensa, abdominisque lateribus uberius fuscescentibus, lineis obliquis albidis signatis.

Mense Septembri plures feminæ in ericetis, in locis montosis, excipulo captæ, ad vicum Surtene, prope Gothob.

9. **Ph. fallax** (SUND.): cinereus, albo fuscoque-varius; abdomine lævi, vitta laterali albo-guttata, maculaque dorsali antica oblonga dentata nigricantibus.

Ph. fallax SUND. A:o 1832, p. 226.

Descr. secundum D. *Sundevall*. "*Femina* long. thoracis fere 2 mm. — Structura partium ut in præcedentibus; differt tamen pedibus tertii paris paullulum brevioribus quam posticis, ratione 2, 1, 4, 3, et tarsis scopula perfectiore instructis. Abdomen sat crassum. Color albido- vel fuscescenti-cinereus. Thorax paullo nebulosus, lateribus obscurior, linea marginali duplici, pallida. Abdomen punctis pluribus albidis; antice macula oblonga utrinque bidentata (substellata), nigra vel fusca albido-cincta, et ad latera vitta abbreviata nigra, guttulis 2—3 albissimis notata, ornatum. Pedes maculis sparsis nigricantibus. Omnis pictura interdum obsoletissima. *Mas* mihi ignotus.

"In arena volatili Scaniæ mediæ et ad litora maris inter Ystad & Cimbritshamn capta.

Pulluli, in Scania a Dom. *Boheman* capti, in spiritu vini asservati et mihi benevole communicati, parum a descriptione D. *Sundevallii* discrepant. Pars interna thoracis lineæ geminatæ marginalis in puncta 3—4 abrupta, quæ vittulam fuscam lateralem tangunt; hæc vittula non ut in *Ph. decoro* in partem cephalicam producta. Pictura abdominis fere eadem atque in adultis; macula oblonga antica in dorso abdominis plus minus saturate fusca, margine plerumque bis dentata vel sinuata; vitta in lateribus dorsi postica, fusca, serie e punctis 2—3 albidioribus notata; in exemplis

nonnullis hæc puncta inferne, in ipsis lateribus abdominis, punctis alteris succeduntur; latera abdominis haud ut in *Ph. decoro* e colore fusco picta, neque lineolis obliquis loco punctorum ornata; in nonnullis exemplis in spatio dorsali, pone maculam oblongam, observantur arcus nonnulli transversi fusci; cinctura albida circa maculam illam postice in nonnullis exemplis conjunctim in lineam vel seriem punctorum albidorum, ad extremitatem analem extensam, producta. Venter unicolor, haud lineis fuscis evidentibus signatus, an etiam in adultis? — Pedes fusco-maculati vel annulati; tibiæ anteriores subtus utrinque aculeo 1 pone basin, et 1 in medio, apicali certe defracto, et præterea superius in lateribus aculeis 2—3 armatæ ut in reliquis speciebus hujus subdivisionis. Thorax et abdomen lævia, an etiam in vivis?; oculi duo laterales et oculus proximus intermediorum posticorum in triangulum æquilaterum dispositi, similiter atque in *Ph. decoro;* an etiam in adultis?

10. **Ph. griseus** (Hahn?): Griseo-fuscus, pube cinereo-fusca, rudiore, adpressa, et præterea pilis erectis satis longis densisque vestitus; abdomine in ♂ elongato-ovato, in ♀ posterius magis dilatato, subrhombico, anterius utrinque maculis duabus obliquis nigris, his a macula vel punctis confluentibus albidis successis; pedibus sordide brunneis, obsolete fusco-maculatis; femoribus superne aculeis concoloribus, totis brunneis. Mas palporum lamina ordinaria elongato-ovata, vel evidenter longiore quam latiore, margine interno arcuata, externo recta vel subsinuata, parte tibiali apice, in latere externo, in spinam magnam producta, hujus apice testaceo inæqualiter obtuso; spina antice in basi quasi fissa vel tuberculum nigrum, ægre observandum emittens; parte femorali saltem non longiore quam patellæ pedum anticorum; oculis lateralibus posticis ab intermediis posticis et lateralibus anticis evidenter longius quam hi ambo inter se distant, vel omnibus 3 isoscelem figurantibus.

Thomisus griseus HAHN die Ar. I, p. 121, T. 34, f. 91? — *Artamus id.* KOCH ib. XII, p. 84, T. 415, f. 1013 & 1014, (bona figura). — *Phil. pallidus* WALCK. Ar. de France p. 90, 3 et Apt. I, p. 554?

Mas & femina. Thorax $1^3/_4$—2 mm. longus; patellæ secundæ una cum tibiis conjunctim in ♀ $3^1/_2$, in ♂ 4 mm., ideoque sunt partes illæ minores quam in *Ph. margaritato*, a quo præterea constanter differt aculeis femorum unicoloribus, nec basi ad medium nigris et extus albidis; caput magis angustatum videtur; margo partis thoracicæ anterius vel supra coxas anticas oblique nec circulariter cum margine clypei confluit; superficies thoracis et abdominis magis fuscescens, haud griseo-albida, obiter inspecta murino-fusca, vel his partibus in fundo piceo-fuscis, e pube albida, grisea et brunneo-fusca, rudi vestitis, setulis peculiaribus erectis, longioribus et evidentius ultra cutem eminentibus adspersis, et quæ setulæ non solum in capite, sed etiam in thorace abdomineque, saltem in exemplis indetritis, adsunt; setæ in abdomine æqualiter nec ullibi fasciculatim adspersæ sunt. Oculi intermedii postici a laterali postico multo longius quam ab oculo laterali antico distant, vel omnes in isoscelem ut, ex. gr., in *Ph. limbato* (et fere *Ph. aureolo*), nec in triangulum ut, ex. gr. in *Ph. fallaci* dispositi sunt. Thorax in exemplis, in spiritu vini asservatis, pube, facile deterenda, orbatis, radiis tribus e centro emissis, pallidis notatus, his extus in margine thoracis bi- vel trifurcatis; parte cephalica superne pallida, antice lineolis duabus longitudinalibus, parallelis, et utrinque punctis 2—3 aut macula inæquali, fusco-brunneis, notata. In specimine uno abdominis pictura albida lateralis postica e vitta inæquali, puncta quædam nigra includente, constat, ut in figura, a Dom. *Koch* data. Venter brunneo-rufescens, plerumque in medio lineis duabus subtilioribus pallidis notatus, his lineis fere e punctis seriatis constantibus. Pedes aut pallidiores aut e colore brunneo saturatius infuscati, vel toti fusco-irrorati, minus evidenter fusco-maculati, sive maculis in femoribus annuloque basali et apicali tibiarum propter fuscedinem pedum minus læte se repræsentantibus. Mandibulæ macula media pallida notatæ.

Mas similiter ac ♂ *Ph limbati* a *Ph. aureolo* differt palporum parte femorali longitudinem patellarum anticarum vel $^1/_3$ femorum anticorum haud superante; lamina cum membro genitali bulbo glandiformem constituunt; hic longit. patellas anticas attingit.

In Lapp. a *Böheman*, in Westrog. et Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* inventus.

SECTIO II.

Thorax oblongus, marginibus minus circulariter arcuatis, unde illius latitudo evidenter minor quam longitudo evadit; evidenter æque longus ac femora secundi ordinis. Pedes proportione 2, 4, 1, 3, an in Ph. formicino 2, 4, 1, 3. Tarsi anteriores scopulis, sive pilis perpendicularibus densis vestiti.

11. **Ph. oblongus** (WALCK.): testaceus, vel cinereus (junior), thorace abdomineque lineis tribus longitudinalibus fuscis, linea media abdominis semper distincta; serie oculorum 4 anticorum fortiter retrorsum curvata, eorum lateralibus fere erga centrum areæ, ab oculis 4 intermediis occupatæ, locatis, ab his intervallis satis æqualibus, et simul a mediis posticis duplo brevius quam a lateralibus posticis distantibus, vel una cum his duobus in isoscelem regulare satis acutissimum dispositis.

Juniores cinereo-albidi, linea marginali fusca in thorace gemina, intervallo inter illam et lineam mediam linea altera subtili ejusdem coloris, ideoque est dorsum thoracis lineis 5 fuscis notatum.

Ar. oblonga WALCK. Fn. Par. II, p. 228, 79. — *Thomisus oblongus* idem Tabl. d. Ar. p. 38, pl. 4, f. 39. — LATR. Gen. Cr. et ins. I, p. 112, 4. — HAHN die Ar. I, p. 110, T. 28, f. 82. — *Ar. trilineata* MÜLLER Zool. Dan. Prod., p. 192? — *Philodr. trilineatus* SUND. A:o 1832, p. 227. — *Ph. oblongus* WALCK. Apt. I, p. 558. — *Thanatus parallelus* KOCH IV, p. 87, T. 132, f. 307 (vix nisi huc referendus).

Thorax longit. 3, latit. 2, abdomen longit. 5—6 mm. Thoracis linea media fusca sæpe antice bifida. In exemplis junioribus, in spiritu vini asservatis, in Lapponia captis et a Dom. *Boheman* mihi communicatis, linea lateralis abdominis præsertim posterius plus minus obsoleta; loco hujus lineæ restant puncta fusca, unum vel plura; in specimine uno puncta 22 numeravi.

Mas palporum parte tibiali in apicis latere externo, ut in *Ph. limbato*, inermi; lamina ordinaria ut in *Ph. aureolo* elongato-ovata, subpyriformis; membrum genitale rufo-brunneum, nitidum, apice stilo minuto nigro aucto. Pedes longiusculi, femoribus pedum posticorum et secundi paris longit. 4—4$^1/_4$, horum patellis et tibiis conjunctim 4$^3/_4$—5 mm. Pedes ut in *Ph. aureolo* aculeati. Dispositio oculorum trium lateralium maris et feminæ, ut in *Ph. limbato*, bene est observanda. Oculi intermedii postici ab anticis brevius quam in *Ph. formicino* distant, quare oculi laterales antici exacte erga centrum areæ, ab oculis 4 intermediis occupatæ, locati videntur, et una cum his, a latere inspectis, annulum ovalem multo magis regularem figurant quam in illo, immo quam, in *Ph. limbato*.

Mas adultus ad prædium Jonsered prope Gothob. captus; in ericetis juniores excipulo lecti. In Gottl. a *Sundevall*, ad Trondhjem et Dovrefjell a *Boheman*, in Bah. et Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* inventus.

12. **Ph. formicinus** (Clerck): griseo-testaceus vel incanus, abdominis macula lanceolata nigra; oculis lateralibus anticis ab intermediis anticis magis evidenter brevius quam ab intermediis posticis remotis, et una cum his et lateralibus posticis aream triangularem, ubique inæquilateram, occupantibus, vel oculis lateralibus posticis ab anticis evidenter longius quam ab intermediis posticis remotis.

Var. a: color, maxime dominans, cinereus.

Var. b: — — — incanus.

Var. c: abdominis et sæpe insimul thoracis color plus minus rubedine tinctus.

Ar. form. CLERCK p. 184, pl. 6, t. 2. — *Ar. rhomboica* WALCK. F. Par. II, p. 228, et *Thomisus idem* Tabl. d. Ar. p. 38. — *Ph. formicinus* SUND. A:o 1832, p. 229. — *Thomisus rhomboicus* HAHN die Ar. I, p. 111, T. 28, f. 83. — *Ph. rhombiferens* WALCK. Apt. I, p. 559. — *Thanatus form.* KOCH Uebers. des Ar. Syst. I, p. 28.

Thorax longit. 3—3 1/3 mm., lateribus vitta fusca, dorso vitta lata griseo-albida, antice trifida, vel lineolis 2 parallelis fuscis ibi notata. Clypei margo summus dense albido-pubescens. Abdominis macula lanceolata, a basi ad medium ducta, plerumque pure nigra, opaca, anguste albido-marginata, in medio lateris vel æquali vel dente signata, apice postico vel integro vel arcubus 1—2 (an pluribus?) transversalibus successo. Dorsum mox pone medium, utrinque, plerumque linea longitudinali flexuosa, vel continua, vel interdum in puncta divulsa notatum; dorsum rarius ibi concolor est; venter linea media et altera laterali fuscis notatus. Pedes longitudine minus inter se discrepant; differentia inter secundos et quartos vix nisi in articulis femoralibus est invenienda; illi breviusculi sunt; patellæ anticæ una cum tibiis conjunctim longit. 3 1/3—3 1/2 mm.; metatarsi cum tarsis eadem fere longitudine, attamen paullo breviores videntur. In tibiarum basi adsunt lineolæ vel puncta nonnulla nigra.

In locis montosis ad Gothob. sat frequenter obveniens. In Scania, Blek. et Gottl., *Sundevall;* ad Qvickjock Lapponiæ et in Dovrefjell, *Boheman* et *N. J. Andersson;* in Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

FAM. V. LYCOSIDAE Sund. (*Citigradae* Latr.).

I. LYCOSA Walck.

Thorax angustato-ovatus, subprismaticus, vel dorso carinato, lateribus abrupte declivibus; parte cephalica antice truncata, latitudine $1/2$—$2/3$ medii partis thoracicæ; spatio faciali omnino recto et perpendiculari; dorso pone medium canalicula impresso, hac propter pubescentiam sæpe obumbrata. Oculi in series tres transversas dispositi, ordine 4, 2, 2; area, ab iis occupata, multo longiore quam latiore; oculi 4 antici minores, in seriem rectam dispositi, in medio spatii facialis siti; oculi seriei secundæ majores et inter se rarius magis approximati quam efficit longitudo seriei anticæ; oculi tertii ordinis paullo minores quam secundi, at majores quam oculi seriei primæ, paullo magis quam oculi seriei secundæ inter se distantes, vel una cum his in trapezium dispositi; hoc trapezium non multo a forma quadrata recedit; iidem fere duplo longius a serie secunda quam hæc a serie prima distant. Mandibulæ parallelæ. Maxillæ parallelæ, apicibus rotundatæ. Abdomen parum longius quam thorax, cute pube densa obtecta, qua ex pube color pendet. Pedes proportione 4, 1, 2, 3, aut interdum fere 4, 3, 2, 1, tribus anterioribus longitudine inter se parum discrepantibus; femora antica superne incrassata; patellæ anticæ variant longitudine $1/2$ ad $2/3$ tibiarum, posticæ $1/3$—$1/2$ tibiarum; femora superne aculeis 2—3; pedum anteriorum tibiæ et metatarsi utrinque serie ex aculeis 3—4, superne nullis, vel simul 6—8, posteriorum articuli iidem subtus et in lateribus serie ex aculeis 2—3, et superne 2, simul circiter 12; pedes, exceptis setis ordinariis adpressis, superne

in tibiis et tarsis pilis verticalibus, gracilibus, paucis, longitrorsum sparsis vestiti, his evidenter longioribus quam diameter tibiarum; tarsi antici subtus plus minus evidenter scopulati.

Pictura normalis, quæ ex pube varicolore pendet, in thorace plerumque consistit in vitta laterali obscura, quæ lineam marginalem, sæpe geminam, et vittam dorsalem pallidiores relinquunt. Abdominis pars antica verticalis (supra petiolum, cum thorace connexum) plerumque nigra, ex qua in dorsum exit utrinque vitta longitudinalis obscura, plerumque seriem punctorum pallidorum includens; in spatio interjacente, inter basin et medium dorsi, sæpe adest macula oblonga hastata aut lanceolata; summus angulus anticus plerumque fasciculo erecto albido-piloso. Pedes fusco-maculati aut annulati, in aliquot masculis maculæ tantum superne in femoribus aut remanent aut obsoletæ evadunt.

Habitant in terra, ubi celerrime circumvagantur, prædas investigantes, quas pedibus anticis et ope mandibularum sub motu saltatorio corripiunt. Species *Sectionis I:mæ* saccum ovorum lenticularem, semper sub mammillis et ventre affixum, secum trahunt, et pulluli exclusi dorsum matris adscendunt, ibique coacervati dies quosdam remanent; species *Sectionis II:dæ* plerumque cubiculum in fovea quadam terræ sibi comparant, ubi saccum ovorum globosum asservant, et sæpe etiam secum trahunt.

SECTIO I.

(Lycosæ propriæ AUCT.)

Thoracis latera infra oculos 4 posteriores perpendicularia nec arcuatim ad marginem descendentia; locus infra oculos 2 posticos in L. septentrionali et nemorali paullulum convexus. Spatium, quod ab oculis duobus posticis occupatur, vix brevius quam latitudo communis, quæ a mandibulis ambabus occupatur. Altitudo facialis non insigniter brevior quam efficit longitudo mandibularum. Spatium ab oculorum serie antica occupatum

paullo brevius, saltem æque magnum, non umquam paullo majus quam quod a serie succedente binoculata occupatur. Pedum proportio 4, 1, 2, 3 minus constans, ita ut pedes tertii ordinis saltem æqualiter longi atque antici videantur, interdum iidem paullo longiores videntur: pedes respectu corporis graciliores et longiores sunt; patellæ pedum posticorum dimidiam longitudinem tibiarum plerumque vix attingunt. Aculei, ex. gr., in tibiis anticis longiores quam diameter articuli; patellæ 4 posteriores supra apicem aculeo æque robusto atque aculeus in medio utriusque lateris, vel atque aculei in tibiis armatæ, non ibi tantum pilo subtilissimo verticali munitæ; earum basin versus adesse solet seta robusta, quæ quoad suam crassitiem medium tenet inter aculeum et illos pilos verticales, pauciores, qui supra tibias et metatarsos adsunt. Motus agilissimus. Semper in gramine circumvagantur. Saccum ovorum, sub mamillis ventreque affixum, matres secum trahunt; hic membranaceus, lenticularis, nec globosus (excepto sacco L. nemoralis), colore plerumque cinereus, vel glaucescens, zona albida cinctus, quæ versus exclusionem vel accremenmentum pullulorum magis magisque amplificata evadit. Pulluli dorsum matris adscendunt, ibique dies quosdam remanent, densissime coacervati, tandemque disperguntur. Lycosa nemoralis (= L. aculeata Sund., L. nivalis Koch), in characteribus omnibus, excepta forma sacci ovorum, congruens, huc melius quam ad Sectionem II:dam est referenda.

1. **L. septentrionalis**: Thorace longit. 4 mm., fusco-brunneo vel saturate ferrugineo, linea intra-marginali, secundum totum marginem ducta, aliaque dorsali breviore vel non in partem cephalicam procurrente, canaliculam ordinariam, pone medium locatam includente, in fundo luteo-testaceis, ad partem pube albida adspersis; clypeo toto mandibulisque, excepto apice, luteo-testaceis; palpis pedibusque fusco-testaceis seu ferrugineis, femoribus evidenter, reliquis articulis palpisque vix fusco-annulatis;

abdomine fusco-cinereo, cum pedibus solito longius pilosis, dorso linea media antica longitudinali albida, et in utroque latere posterius serie (rudimentaria) punctorum ejusdem coloris; thoracis dorso satis depresso, sive solito minus carinato.

Femina. Exempla, in spiritu vini asservata, *Trochosa intricariæ* Koch, die Ar. XIV, p. 136, T. 490, f. 1367, quoad picturam satis similia. Thoracis color brunneus vel fusco-ferrugineus, una cum lineis tribus testaceis non dissimilia iisdem in *Tr. vafra*, ibidem fig. 1366; aranea nostra autem haud apte ad divisionem *Trochosarum* sed melius ad *Pardosarum* est referenda. Mandibulæ, ut in reliquis speciebus nostræ *Sectionis 1:mæ*, non solum in ♂ sed etiam in ♀ non crassitiem femorum anticorum attingunt; altitudo facialis paullo tantum brevior quam illæ; oculi 2 postici inter se longius distant quam efficit latitudo communis mandibularum; capitis latera, juxta illos oculos, cum genis quam minime magis eminent quam hi oculi, qua re latera partis cephalicæ ibi magis perpendiculariter quam arcuatim ad marginem descendunt. Hæc parva eminentia sub oculos posticos in reliquis hujus Sectionis vix umquam adest. Propter hanc eminentiam, vel, si mavis, convexitatem exiguam pars cephalica, ab antice inspecta, paullo latior quam altior esse videtur. Thorax in duobus exemplis, erga ignem induratis, et in altero, in spiritu vini asservato, fusco-cinnamomeus seu fusco-ferrugineus; linea luteo-testacea intramarginalis saltem in exemplis detritis haud latior quam basis metatarsorum anticorum, vel saltem non quam apex tibiarum; thoracis margo relictus fuscus fere æque latus atque ipsa linea intra-marginalis; hæc præsertim in margine interno sinubus nonnullis parvis signata, anterius usque ad angulum clypei producta et cum hujus colore luteo-testaceo confluens, an ita in vivis? — Vitta vel linea dorsalis haud ut in *Trochosa intricaria* Koch usque ad oculos posticos procurrit, sed mox ante canaliculam ordinariam finita est, hanc includens. Thoracis dorsum, ut in plerisque affinibus, a medio ad oculos posticos paullo impressum, vel magis planum,

tenet inter ambas Sectiones). Femora sat robusta, pedes autem extrorsum attenuati; latera capitis perparum arcuatim declivia, potius perpendicularia dicenda. Quoad magnitudinem corporis et latitudinem insignem thoracis vittæ dorsalis *L. silvicolæ* similis. Pedes postici in ♀ longit. non ultra 10—11, patellæ cum tibiis conjunctim 3, metatarsi cum tarsis 4 ½ mm.; pedes antici 7, patellæ cum tibiis 2 ½, metatarsi cum tarsis 2 ¾ mm. Spatium, ab oculis 4 posticis occupatum, non longius quam ⅕ totius thoracis. Thoracis vitta dorsalis plerumque in ♂ albido-cinerea, in ♀ cervina, tamen interdum subincana, in hac (♀) sæpe antice lineolis 2 parallelis, longitudinalibus, fuscis notata. Oculi 2 postici in ipso margine vittæ locati, unde margo hic, obiter inspectus, quasi sinuatus. Mandibulæ nigræ, in ♀ basi testaceo-pubescentes. Palporum pars femoralis in ♀ maxima parte nigricans; partes insequentes rufo-brunneæ, basi nigræ; *maris* palporum lamina latius ovata, ante apicem citius angustata, nec ut in ♂ *L. silvicola* ad formam elongato-ovata, vel non extrorsum sensim angustata. Pubescentia abdominis dorsi in ♀ sæpe fere coeruleo-albicans, ut in figura, a Dom. *Koch* data, in ♂ illa fulva est, certo lumine sericeo- vel metallico-nitens; vitta ordinaria lateralis nigra, e nigrore basali in plerisque speciebus egrediens, plerumque in ♀ minus evidenter expressa, et tantum per seriem punctorum indicata; in ♂ vitta illa sæpe evidentior, et interdum serie punctorum albidorum signata; interdum est vitta in illo pube fulva vel cervina dense obtecta. Venter nigricans, pube griseo-albida irroratus. Maris femora subtus et pectus ut in ♀ nigra, et similiter atque in ♂ *L. silvicolæ* nitida. Patellæ, tibiæ et tarsi testaceo-brunnea nec pallida. Signatura normalis lanceolata, anterius in abdominis dorso sita, obsoleta; cinctura ejus nigra per puncta 1—2 lateralia et 1 postico sæpe indicata. Aculei pedum paullo breviores quam in *L. silvicola;* ita sunt illi in feminæ tibiis anticis non ultra duplo longiores quam diameter articuli; in ♂ atque in ♀ est, ex. gr., aculeus supra apicem patellarum posticarum parum vel vix longior quam diameter articuli; a *L. pulverulenta* (*Sect. II:da*), præter alias no-

Mas et femina ab *J. A. Carlsson* mihi dono data, a Candidat. *Rosenschöld* in Norvegia A:o 1832 capta. Femina unica ad Dovrefjell in Norvegia a *Boheman* inventa. Forsitan non nisi in regionibus borealibus occurrit (?).

2. **L. nemoralis**: *Femina* thorace longit. $2^3/_4$—3 mm., saturate nigro, vitta dorsali, quam femora antica latiore, margineque posterius rubicundo-albidis seu cervinis, interdum subincanis; abdomine pube grisea, in extremitate antica dorsi cervina sive fulva vestito; pedibus rufo-brunneis, femoribus anguste et obsolete rufo-annulatis, maxima parte nigricantibus, præsertim subtus, hoc loco cum pectore nitidis, quasi politis; aculeo supra apicem patellarum posticarum non evidenter longiore quam diameter articuli; patellis et tibiis posticis longit. non ultra 3 mm., metatarsis et tarsis, simul sumtis, $4^1/_2$ mm., apertura genitali nigra, parva, maxima parte anteriore per pubem abscondita.

Mas: abdominis dorsum extremitate antica una cum spatio succedente cervino- seu fulvo-pubescentibus, vitta laterali normali nigra jam evidentius expressa, serie punctorum pallidorum notata, jam pube fulva uberius irrorata, undeque obsoleta; femoribus subtus nitidis, superne totis pube rufo-fulva adspersis, opacis; palporum parte femorali nigro, reliquis partibus, etiam lamina ordinaria, piceis, parte tibiali paullo longiore quam pars patellaris, superne mediocriter nec dense longeque pubescente; aculeo apicali patellarum postisarum ut in ♀ non evidenter longiore quam diameter articuli.

L. aculeata SUND. A:o 1832, p. 188 (excl. syn. *Clerckii*, quod certe ad *L. inquilinam* vel *fabrilem* est referendum). — *L. (Tarantula) nivalis* KOCH XIV, p. 199, T. 504, f. 1409—10 (exclus. synon. *Sundevallii*.

Secundum Dom. *Sundevall* hæc species ad *Sectionem II:dam* relata, sed non omni jure. Si mandibularum longitudinem, solito majorem quam altitudo facialis, excipiamus, illa non nisi ad *Sectionem I* referri potest (quasi medium

tenet inter ambas Sectiones). Femora sat robusta, pedes autem extrorsum attenuati; latera capitis perparum arcuatim declivia, potius perpendicularia dicenda. Quoad magnitudinem corporis et latitudinem insignem thoracis vittæ dorsalis *L. silvicolæ* similis. Pedes postici in ♀ longit. non ultra 10—11, patellæ cum tibiis conjunctim 3, metatarsi cum tarsis $4\frac{1}{2}$ mm.; pedes antici 7, patellæ cum tibiis $2\frac{1}{2}$, metatarsi cum tarsis $2\frac{3}{4}$ mm. Spatium, ab oculis 4 posticis occupatum, non longius quam $\frac{1}{5}$ totius thoracis. Thoracis vitta dorsalis plerumque in ♂ albido-cinerea, in ♀ cervina, tamen interdum subincana, in hac (♀) sæpe antice lineolis 2 parallelis, longitudinalibus, fuscis notata. Oculi 2 postici in ipso margine vittæ locati, unde margo hic, obiter inspectus, quasi sinuatus. Mandibulæ nigræ, in ♀ basi testaceo-pubescentes. Palporum pars femoralis in ♀ maxima parte nigricans; partes insequentes rufo-brunneæ, basi nigræ; *maris* palporum lamina latius ovata, ante apicem citius angustata, nec ut in ♂ *L. silvicolæ* ad formam elongato-ovata, vel non extrorsum sensim angustata. Pubescentia abdominis dorsi in ♀ sæpe fere coeruleo-albicans, ut in figura, a Dom. *Koch* data, in ♂ illa fulva est, certo lumine sericeo- vel metallico-nitens; vitta ordinaria lateralis nigra, e nigrore basali in plerisque speciebus egrediens, plerumque in ♀ minus evidenter expressa, et tantum per seriem punctorum indicata; in ♂ vitta illa sæpe evidentior, et interdum serie punctorum albidorum signata; interdum est vitta in illo pube fulva vel cervina dense obtecta. Venter nigricans, pube griseo-albida irroratus. Maris femora subtus et pectus ut in ♀ nigra, et similiter atque in ♂ *L. silvicolæ* nitida. Patellæ, tibiæ et tarsi testaceo-brunnea nec pallida. Signatura normalis lanceolata, anterius in abdominis dorso sita, obsoleta; cinctura ejus nigra per puncta 1—2 lateralia et 1 postico sæpe indicata. Aculei pedum paullo breviores quam in *L. silvicola;* ita sunt illi in feminæ tibiis anticis non ultra duplo longiores quam diameter articuli; in ♂ atque in ♀ est, ex. gr., aculeus supra apicem patellarum posticarum parum vel vix longior quam diameter articuli; a *L. pulverulenta* (*Sect. II:dæ*), præter alias no-

tas, differt illius iisdem patellis loco aculei memorati pilo vel seta tenui tantum munitis; quæ nota pro reliquis speciebus *Sect. II:dæ* characteristica est.

Ad prædium Steka et ad vicum Angered, prope Gbg., mense Junio capta in locis nemorosis, ubi solum calcatum et gramine orbatum erat. In Scania a *Sundevall* capta; secundum hunc Arachnologum saccus ovorum globosus est, diametro 4 mm.

3. **L. silvicola** (SUND.): *Femina* fusca, thorace longit. 3 mm., vitta dorsali, antice latiore quam femora antica, vel ibi totum intervallum oculorum 4 posticorum occupante, abdominisque dorso dense brunneo-grisescentibus (haud rubedine tinctis); pictura normali in hoc obsolete expressa; femoribus reliquisque articulis pallide testaceis vel luteobrunneis, fusco-annulatis; mandibulis totis ejusdem coloris.

Mas niger, thoracis vitta dorsali abdominisque pictura griseo-albidis aut albidis, pedibus pallidis, femoribus nitidis; his, exceptis apicibus, palpisque totis nigricantibus, lamina ordinaria nitida, rufo-picea, cum parte tibiali præsertim subtus densius pubescentibus; illa elongato-ovata, duplo longiore quam membrum genitale, hoc calcari rubicundo subulato, evidentiore instructum, calcari ad latus externum cum suo apice directo; aculeo supra apicem patellarum posticarum evidenter longiore quam diameter articuli.

SUND. A:o 1832, p. 176. — *Ar. lugubris* WALCK. F. par. II, p. 239, 109? — *L. silvicultrix* KOCH III, p. 25, T. 82, f. 182—83. — *L. (Pardosa) alacris* KOCH ib. XV, p. 39, T. 514, f. 1443—44. — *L. lugubris* WALCK. Apt. I, p. 289, 40?

Femina ab affinibus constanter distinguitur latitudine insigniore vittæ dorsalis thoracis. Quoad magnitudinem corporis et latitudinem ejusdem vittæ *L. nemorali* satis similis. Ab hac semper differt pubescentia thoracis et extremitatis basalis abdominis haud rubedine mixta, nec sunt femora maxima parte nigricantia, sed testacea, fusco-maculata, neque sunt illa superne opaca, sed nitida; mandibularum color

luteo-brunneus, haud niger; aculei in tibiis posticis saltem evidenter duplo longiores quam diameter ipsius articuli; aculeus supra apicem patellarum posticarum fere duplo longior quam diameter articuli. Thorax longit. $2^3/_4$—3, pedes postici 12, patellæ et tibiæ conjunctim fere 4, metatarsi et tarsi conj. circiter 6 mm.; pedes antici 9, patellæ et tibiæ conj. 3, metatarsi et tarsi conj. $3^3/_4$ mm., ideoque est magnitudo fere eadem ac *L. monticolæ* (9). Thoracis latera fusca, haud nigra, pube rufo-brunnea non densa vestita; margo aut subconcolor, aut linea gemina obsoletiore luteo-grisea, vel grisea, anterius procurrente notatus. Clypeus et mandibulæ fusca seu luteo-brunnea. Abdomen plerumque pube luteo-brunnea tam dense obductum, ut linea basalis sublanceolata, nigro-marginata, quæ in *L. monticola* et affinibus evidenter libera est, haud quoad limites ullos distinctos seorsum discerni possit, relictis rudimentis marginis nigri instar punctorum 1—2, utrinque, et uno medio, in illo loco sito, ubi apex lineæ sublanceolatæ secundum normam desinere solet; vitta ordinaria fusca, utrinque e nigrore basali retrorsum decurrens, pone regionem basalem parum conspicua, plerumque mox pone hanc et versus finem laterum in seriem punctorum nigrorum transmutata; inter series illas, in medio dorsi plerumque adest series tertia e punctis ejusmodi; intervalla angusta inter puncta seriei lateralis sæpe subalbida, unde exstant, ut in nonnullis aliis speciebus, puncta albida et nigra alternantia. Venter griseus vel murinus, minime albidus dicendus. Apertura genitalis e pube circumstante maxima parte abscondita. Femora maculis vel annulis interruptis 3—4 fuscis vel nigris notata, subtus subtiliter pubescentia, minus quam in ♂ deglabrata et nitida, tibiarum tarsorumque annuli semper remanent, etiam in siccatis.

Mas. Thorax et præsertim abdomen minora; ille niger, linea marginali gemina carens, tamen summo margine griseo-albidus; vitta dorsalis et pubescentia abdominis purius albidæ. Mandibulæ nigro-piceæ seu fuscæ, haud pure nigræ. Palpi nigri, parte patellari et tibiali interdum piceis;

lamina ordinaria, a latere inspecta, duplo longior quam ipsum membrum genitale; ab antice inspecta sensim angustata, oblonga, vel minus breviter ovata dicenda; pars femoralis et tibialis, ut et lamina in apice, præsertim subtus, longius et dense nigro-barbata; lamina superne sæpe rufo-picea, breviter pubescens; membrum genitale calcari vel spina, apice acutissime subulata, evidentiore instructum. Femora nigra apicibus et pedum reliquis articulis pallidis; illa subtus paullo magis quam superne nitida, deglabrata; coxæ subtus luteo-brunneæ; metatarsi et tarsi postici conjunctim longit. 4 mm.

Habitat semper in silvis, libentius inter folia decidua; primo vere mares frequenter occurrunt. In campis apertis numquam, nisi propius silvas, ubi folia siccata accumulata erant, a me visa. In Scan., Blek., Oel. et Gottl. a *Sundevall;* ad Gbg. a me ipse, in Lapp. a *Boheman*, in Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* capta.

4. **L. arenaria** (KOCH): *Femina* fusca, thorace linea dorsali media cinereo-albida, inæquali, pone oculos posticos utrinque in lobum distinctum amplificata, apice ad frontem plus minus subtiliter procurrente; thoracis margine serie e punctis 3—5 cinereo-albidis notato, summoque margine plerumque pube ejusmodi adsperso; abdominis pictura valde variante; ventre albido; apertura genitali per scutum corneum rufum occlusa, hoc glabro, nitido, fovea magna vadosa, æquali, sive haud costis vel foveolis ullis munita; pedibus pallido-testaceis, fusco-maculatis.

Mas thoracis linea media tenuiore, subæquali, antice non dilatata, sed a medio antrorsum subtiliter procurrente, postice, ubi canalicula ordinaria sita est, plerumque æque lata ac tibiæ anticæ; abdominis pictura dorsali aut subdistincta aut obsoleta, remanente fere semper linea antica ordinaria sublanceolata cinerea, propter inopiam pubescentiæ cinereæ circumstantis fortius determinata, apice antico plerumque in fascicu-

lum albidum desinente; pedum anticorum articulo tarsali apice latius nigro, plerumque umbram versus medium emittente, ita ut ille usque ad medium nigricans esse videatur; tarsis succedentibus brevius nigricantibus; abdominis pilositate, excepta basali, ut in ♀ non insigniter eminente; femoribus subtus minus crebre pilosis, pilis plerisque brevioribus, nonnullis tantum diametrum femorum attingentibus; palporum articulo genitali calcari parvo obtuso (nec acuminato), ægrius observando armato.

Var. a. Fem. abdominis vitta dorsali cinerea distinctiore, macula seu lineola ordinaria antica, sublanceolata, ab illa vitta inclusa, quoad limites laterales tantum per puncta nonnulla nigra designata (non ubique nigro-cincta); vitta laterali ordinaria nigra, in utroque latere vittæ dorsalis locata, lata, serie punctorum cinereo-albidorum notata (et cinereo-irrorata).

Var. b: Fem. ut *var. a,* sed pictura thoracis et abdominis lætius incana sive albida, et abdominis vitta laterali ordinaria nigra, præter puncta seriata albida, plus minus cinereo-albido-irrorata. Forsitan rarius occurrens.

Var. c: Fem. abdominis dorso maxima parte pubescentia cinerea orbato, vitta dorsali in seriem ex angulis 5—6 rufo-brunneis transformata, his angulis quasi e maculis oppositis, ovatis, oblique positis, introrsum apicibus concretis constant; macula ordinaria sublanceolata etiam rubicunda (antice albida, an interdum tota albida?); serie laterali, e punctis cinereo-albidis, aut distincta aut obsoleta; thoracis vitta dorsali media aut regulari aut quoad dilatationem anticam obsoleta.

Var. d: Fem. thoracis vitta dorsali in dilatatione quoad pubescentiam, hanc obtegentem, deleta, fundo loborum lateralium, sive cute, ubi hi locati esse solent, rufo-brunnea; abdominis dorso fusco, vitta dorsali media obsoletiore, sæpe per umbram cineream designata, hoc loco serie ex angulis tenuibus transversis clarioribus notato; macula lanceolata ut in exemplis plerisque genuinis

non limitata, antice in fasciculum albidum desinente; dorso utrinque serie punctorum cinereo-albidorum, aut subdistincta, aut punctis cum arcubus in medio dorsi cinereo-albidis confluentibus.

Var. e: Fem. thoracis vitta media, serieque punctorum intramarginalium rudimentariis, aut, præsertim his punctis, haud ullis, abdominisque pictura aut fere obsoleta aut rudimentaria, interdum illa per seriem ex arcubus transversis clarioribus designata. Plerumque in hac varietate femora superne quoad maculas fuscas diffusiores quasi infumata, et eorum superficies, similiter ac coxarum, plerumque crebre cinereo-albido-pubescens, vel quasi cinereo-albido-pulverata evadunt; cujus pubescentiæ perspicuitas evidentior e colore fusco articulorum oriri videtur.

Inter has varietates plures occurrunt, quarum alia in aliam sensim transit.

L. (Pardosa) arenaria Koch XV, p. 36, T. 514, f. 1441—42. — *L. saccata* Id. l. c. p. 51, T. 567, f. 1451—52 (?) — Westr. Enum. Ar. p. 52 (= var. e). — *L. agricola* Thorell Rec. crit. p. 61, lin. 9.

Femina. Thorax long. 3—3$^3/_4$, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 3$^1/_2$—4 mm. Ille ut in *L. amentata* (13) breviter ovatus, latitudine in exemplis minoribus 2$^1/_4$, in majoribus 2$^3/_4$ mm. Puncta seriata versus marginem thoracis rarius ut in figura 1442 l. c. tam multo confluentia, ut vittam subcontinuam formet, sed tunc saltem per striolas transversas fuscas in maculas parum separatas divisa. Exempla occurrunt, in quibus puncta seriata desunt, aut valde obsoleta sunt. Lobus in utroque latere vittæ mediæ thoracis, qui interdum deficit, numquam ut in *L. amentata* quoad marginem anticum cum pube ejusdem coloris occipitis confusus, sed hic fortiter determinatus; apex anticus etiam ut in *L. monticola, tarsali* nec non *agresti* evidenter determinatus; vittæ pars succedens, saltem ubi canalicula ordinaria pone medium sita est, plerumque semper tam lata ac tibiæ anticæ, nec ut in *L. monticola* angustior, nisi in varietatibus detritis. Macula vel lineola ordinaria subhastata sive lan-

ceolata in abdominis antica parte, quæ in *L. monticola* nigrore ubique circumdata est ideoque bene limitata, in nostra specie non nisi per puncta nonnulla fusca lateralia designata. Abdominis latera cinereo-albida, subtilius fusco-punctulata, et venter albidus, ut in *L. monticola*; venter forsitan variat colore ut in *L. amentata* luteo-brunneo-tinctus, sed inter exempla numerosissima varietatem talem nondum vidi. Scutum, quod aperturam genitalem tegit, etiam ut in *L. monticola* rufum, glabrum, late excavatum, ambitu elevato, lyræformi; apertura non ut in *L. amentata* anterius e pube circumstante obtecta.

Mas mari *L. monticolæ* (9) valde similis, et præcipue distinguitur tarsis anticis extrorsum plerumque ab apice versus medium nigris; reliqui tarsi minus late nigri. Thoracis vitta media angusta et sublinearis quoque est, tamen semper posterius tam lata ac tibiæ anticæ; thoracis vitta vel linea picea intramarginalis, quæ etsi obsoleta, tamen certo lumine in *L. monticola* observari potest, in *L. arenaria* omnino deest; margo summus in exemplis lustratis anguste cinereo-albido-pubescens. Clypeus, os et toti palpi nigra, rarius horum pars patellaris et apex partis femoralis testacea sunt. Femora subtus minus infumata minusque nitida (an semper?). Palporum membrum genitale ut in *L. monticola* cochleæforme, pallido-infuscatum vel nigricans, spina breviore obtusa (nec ut in *L. amentata, saccigera* et *silvicola* acuta), adpressa, parum in lucem porrecta armatum. Abdomen, præter basin, breviter pilosum, pilis non tam evidenter ac in *L. amentata* ultra superficiem eminentibus. Femora subtus multo rarius et brevius pilosa quam in illa; pilis, qui diametrum femorum superant, paucis, fere numerandis.

Exempla numerosa in locis diversis cepi, quorum pars, quæ majora erant, ad litora maris ad Särö Hallandiæ 25 Junii; minora partim procul a mari, in locis nudis, eodem tempore, et partim in agro cessante prope Gbg. 1 Juni inventa. Ad litora maris solito magis serotino tempore, sive 25 Junii, marem unicum, sed plures feminas inveni,

quæ omnino similia erant exemplis amborum sexuum, paullo minoribus, quæ procul a mari 1 et 25 Juni inventa sunt, horum illa, quæ 1 Junii capta sunt, in societate cum *L. agrestri*, infra descripta (5), quæ constanter mihi differre videtur vitta intramarginali thoracis continua nec punctatim abrupta, ut et thorace, ut videtur, magis elongato-ovato.

5. **L. agrestis**: *Femina* fusca, thorace linea intramarginali continua, cinereo-lutea aut cinerea, summo margine aut fusco aut obsoletius cinereo, vitta dorsali media inæquali ejusdem coloris, hac posterius æque lata ac tibiæ anticæ vel ac femorum apex, anterius pone oculos posticos utrinque dilatata, apice ad frontem subtiliter procurrente; abdomine fusco, dorso vitta ordinaria media cinerea, vittaque laterali fusco-nigricante, albo-seriato-punctata; dorso in *varietate b* pube cinerea omnino obtecto; ventre griseo, interdum colore luteo-brunneo tincto; femoribus cum reliquis articulis evidenter fusco-maculatis (femorib. anticis plerumque in latere antico linea nigra, a basi ad medium extensa notatis).

Fem. differt a *L. saccigera* (7) thoracis vittis plerumque evidenter pubescentibus, nec subglabris, et cum pubescentia acu vel alio deteritur, vitta dorsalis media in fundo non magis lata est quam tibiæ anticæ; vitta lateralis fusca inter marginem et carinam dorsalem semper pube brunneo-fusca adpressa dense vestita, non umquam deglabrata (?); anguli clypei, mandibulæ, palpi et pedes non e colore ochraceo-virenti tincta, sed sordide testacea; hi toti evidenter fusco-maculati. A *L. monticola* (9) et *tarsali* (10) differt thoracis vitta dorsali latiore, macula sublanceolata in abdomine non ubique nigro-marginata, serieque laterali e punctis albidis multo minus distincta, vel his non in vittam undulatam conflatis. A *L. arenaria* (4), quæ ad formam vittæ mediæ thoracis similis est, differt thoracis marginibus minus rotundatis, linea intramarginali thoracis forsitan semper continua, nec maculatim interrupta, hujus cum vittæ dorsalis colore, similiter ac pictura abdominis, rarius albore tincto.

Thorax long. $2\frac{1}{2}$—3, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim $3\frac{1}{2}$—4 mm., vel magnitudo corporis eadem atque in *L. saccigera* et nonnullis aliis; thoracis vittæ mediæ amplificatio lateralis pone oculos posticos sæpe deleta, parte insequente ut in *L. arenaria* æque lata ac tibiæ anticæ; vitta versus margines plerumque simplex, intramarginalis, margine late fusco, aut ut in *L. monticola, tarsali* et *silvicola* gemina, sive per lineam fuscam longitrorsum divisa, ipsissimo margine anguste cinereo-pubescente; thoracis vittæ et totum abdomen, excepto spatio perpendiculari baseos nigro, in *var. b* cinereo albida; locus maculæ sublanceolatæ in abdominis dorso per puncta 2—3 nigra designatus, et e vitta ordinaria nigra in lateribus dorsi restant puncta obsoleta nigra; venter in hac varietate incanus, et latera abdominis non fusco-punctata. Apertura genitalis vix alia quam in *L. arenaria*. Thorax longit. 3, latitudine non ultra 2 mm., magis angustato-oblongus quam in *L. arenaria, amentata* et *paludicola*, h. e. margo a basi ad sinum supra palpos leviter tantum arcuatus, partis cephalicæ latera in directionem magis rectam procurrentia; si latera sub oculos 4 posteriores, sive genas a postice contemplemus, hæ in speciebus allatis paullo convexæ, nec tam perpendiculares videntur, vel si anticam partem capitis transversim supra palpos desecare velles, tunc hæc pars desecta ad suum ambitum in illis potius trapezoideum, in *L. agresti* magis quadratum tibi videretur; in exemplis nonnullis, acu affixis et siccatis, forsitan hæc discrepantia non bene observari potest.

Var. a, pictura luteo-cinerea, 1 Junii in agris cessantibus, gramine fere denudatis, in Slottskogen ad Gbg., *var. b*, pictura cinereo-albida, in pratorum locis nudis, quarum pars sub lapidibus ad Särö Hallandiæ, mense Julii inventæ. Inter exempla *L. monticolæ* forsitan tales varietates occurrunt, quæ *varietati b* subsimiles sunt, sed vitta media thoracis in illa subtilior, et macula lanceolata in abdomine, sine dubio bene limitata, ut et habitatio in locis editis, solibus expositis, eam non difficile distinguunt a *L. agresti*.

6. **L. albo-limbata**: *Femina* fusca, thoracis vitta marginali unicolore, æque lata ac femora antica, vitta dorsali, pone oculos posticos amplificata, abdominisque lateribus cum ventre dense albidis vel griseo-albidis; abdominis disco in fundo nigro, vittam ordinariam macularem cineream excipiente, ad latera dentes seu striolas nonnullas nigras emittente, ipsis lateribus parcissime et rude fusco-punctatis; ore, palpis et pedibus pallide testaceis, his fusco-maculatis et annulatis, spatiis testaceis inter illas maculas et annulos pube adpressa lætius albida vestitis.

Var. a: indumento, picturam formante, lætius albido.
Var. b: indumento eodem griseo-albido.

Magnitudo et statura *L. monticolæ*. Thorax marginibus parum arcuatis ut in subgenere *Pardosarum*, nec ut in *Leimoniarum Koch* magis circularibus. Quoad formam vittæ, in summo dorso thoracis sitæ, cum *L. arenaria* et *agresti* est comparanda. Hæc vitta juxta oculos posticos finita, ibi dilatata et antice fere tridentata (in exemplis non detritis); dens medius in exemplis lustratis plerisque non inter oculos 4 posteriores productus; dens lateralis lobum format emarginatum, emarginatura oculos posticos ad partem amplectente; in exemplis nonnullis apex loborum minus regulariter expressus erat. Spatium inter oculos 4 posteriores nigro-fuscum, ut in *L. monticola* pube adpressa fusca parum densa, ad oculos 4 anticos descendente, hic in *var. b.* (an interdum etiam in *var. a.*) pube parciore grisea mixta, vestitum. Vitta marginalis non per fuscedinem ullam longitudinalem mediam persecta, sed unicolor, æque lata ac femora antica et usque ad genas protensa; hæc vitta in uno specimine posterius versus vittam lateralem ordinariam fuscam arcum brevem antrorsum flexum emittit; quæ nota autem non ut constans consideranda est. Vitta memorata fusca angusta evadit propter superficiei occupationem a vittis albidis, quarum media etiam postice sat lata est, scilicet æque lata ac tibiæ anticæ. Abdominis albedo lateralis sat similis atque in *L. monticolæ* individuis, in quibus series

normalis punctorum albidorum, in utroque latere dorsi sitorum, cum pubescentia laterum confluit, at pubescentia laterum multo densior, parcissime fusco-variegata, relictis punctis tantum paucis nigris, quæ interdum quasi in seriem arcuatam unam vel alteram digesta sunt. Abdominis vitta dorsalis in *var. a* cinereo-murina, in *var. b* grisea, posterius arcubus nonnullis tenuibus transversis cinereo-albidis notata; antice magis amplificata, hic maculam normalem sublanceolatam, albidam vel griseo-albidam, nigro-marginatam includens; vittæ pars antica lateralis ut in *L. monticola* lineolam obliquam (cum opposita postice divergentem) albidam vel griseo-albidam format, interjacente lineola sive macula sublanceolata, antea allata. Venter densissime albido-pubescens. Apertura genitalis ut in *L. arenaria* callum magnum rufum, glabrum et nitidum, obcordatum repræsentat, hoc longitrorsum excavato, excavatione æquali nec ulla canalicula vel carinula instructa. Maculæ superiores geminatæ fuscæ in femoribus, et annuli in reliquis articulis pedum læte et distincte expressi sunt; pedes in intervallis macularum et annulorum fuscorum lætius albido-pubescentes, proinde maculæ et annuli fusci magis læte se repræsentant.

Fine Junii et initio Julii ad vicum Angered prope Gothob., in locis montosis capta. Aranea, in spiritu vini asservata, et ad Trondhjem Norvegiæ a Dom. *Boheman* capta, valde similis nostræ araneæ, et sine dubio huc referenda est.

7. **L. saccigera** (Walck.?): *Femina* thorace fusco, vitta media et intramarginali luteo-olivaceis, plerumque pubescentia albida detritis; vitta media latiuscula, maxima parte lineari, ad basin angustata; area, ab oculis 4 posterioribus occupata, nigra, pube adpressa ochracea, fere sericeo-micante, usque ad oculos seriei anticæ dispersa induta (an vitta media umquam evidenter in illam aream producta?); clypeo cum suis angulis, mandibulis, palpis pedibusque flavo-virentibus (in siccatis flavo-testaceis), his non nisi in femoribus supra fusco-maculatis (femori-

bus anticis in latere antico non linea nigra notatis); abdominis dorso antice macula ordinaria sublanceolata, nigro-marginata, cinereo-albida, succedente serie e maculis geminatis, una ab altera plerumque sat evidenter sejunctis, deinceps minoribus, flavo-virentibus s. luteis, interdum in vittam continuam confluentibus notato, utrinque adjacente serie e punctis nigris et cinereo-albidis, alternantibus; lateribus flavo-viridi- seu luteo- et fusco-maculatis; ventre luteo-brunneo s. flavido, pube albida plus minusve densa vestito; scuto genitalis testaceo, ruguloso s. carinula media et laterali sive canaliculis 3 (an 5?) longitudinalibus, ægrius discernendis prædito, margine laterali ad partem pilis adpressis obumbrato, margine postico elevato subsinuato.

Mas spatio inter oculos seriei secundæ et primæ loco pubis ochraceæ pube albida vestito; palpis colore pedum, parte tibiali paullo fusciore, una cum lamina ordinaria quoquoversus dense longeque nigro-pilosis, pilis in lamina non solum sub apice sed etiam sub basi et supra longiusculis, simulque erectis; membro genitali ad partem rufescente, spinam sensim acuminatam leviterque arcuatam deorsum emittente; parte tibiali evidenter longiore quam crassiore, patellis anticis longitudine vix cedente; pedibus cum coxis flavo-olivaceis, immaculatis, saltem non nisi supra femora vivorum umbra sive striola longitudinali infuscatis.

L. montana WALCK. Apt. I, p. 327 (?). — WESTR. Enum. Ar. p. 39. — THORELL Rec. crit. p. 55. — *L. (Pardosa) monticola* KOCH XV, p. 43, T. 515, f. 1445.

Ab omnibus affinibus distinguitur, ut *L. nigriceps* (8), colore vivorum maxime dominante flavo-olivaceo, quo colore semper clypeus, mandibulæ, palporum pars femoralis et patellaris ut et pedes picta sunt; pedes flavo-viridi-diaphani vix nisi in femoribus feminæ evidenter fusco-maculati; femora antica antice non linea nigra longitudinali notata (an semper?); pictura abdominis pone maculam lanceolatam sive hastatam e maculis plerumque inter se separatis, nec, nisi

rarius, e vitta continua grisescente constat. Mas a reliquis, cum hoc confundendis, differt et colore palporum et horum pubescentia densa apicali. Thoracis vitta media in utroque sexu plerumque detrita, et tunc æque lata ac femora antica videtur, marginibus paullo inæqualibus et præsertim anterius diffusa, sæpe tamen satis linearis, posterius attenuata; interdum illa et vitta marginalis pube albida parciore adspersæ sunt; vitta marginalis ut in plerisque aliis per umbram longitudinaliter bipartita. Spatium inter oculos seriei 2:dæ et 1:mæ in ♂ non ut in ♀ flavo-virenti-pubescens, sed pube albida indutum, quæ pubescentia ad marginem clypei supra os et ad latera cum pube ejusmodi in vitta intramarginali in exemplis indetritis confluit. Color spatii inter seriem 2 et 3 maxima parte nigricans, pube flavida plerumque in ♀ crebriore, in ♂ parciore mixtus; in hoc spatium apicem vittæ mediæ non distinctius productum vidi, quod autem sæpissime in nonnullis aliis speciebus videbis. Color flavo-olivaceus in maris palporum parte tibiali inter pilos nigros translucet. In nullo alio ♂ affinium pubescentia illius partis et laminæ ordinariæ vix tam densa et longa, neque in tam multis locis ditributa; membrum genitale evidentius rubescit; spina, ab illo emissa, minus arcuata minusque ad latus spectans quam in *L. silvicola;* pars tibialis evidenter longior quam efficit latitudo apicalis, parum vel vix brevior quam patellæ anticæ, qua etiam in nota a *L. tarsali* et *monticola* differt. Abdomen ut in pluribus aliis ornatur vitta media, quæ antice maculam lanceolatam nigro marginatam includit; vitta pone hanc maculam plerumque in maculas divisa, rarius (?) continua, et tunc quoad colorem grisea nec luteo-olivacea est; maculæ quasi geminatæ, vel puncto medio sive sinu postico nigro signatæ (pictura plerumque non dissimilis figuræ, quam Dom. *Koch* pro *L. piscatoria,* f. 1419 in Tab. 506, Part. XV, p. 6 delineavit); arcus vel dentes, qui in nonnullis speciebus e vitta dorsali, in specie nostra maculatim dissoluta, ad latera emittuntur, etiam liberi, quare maculæ allatæ mediæ ubique separatæ esse dicendæ sunt; arcus iidem ut in plerisque cum colore flavido laterum con-

fluentes, puncta nigra seriata separantes, in quæ vitta ordinaria nigra in lateribus dorsi plerumque transformata est. Latera abdominis flavida s. luteo-olivacea, fusco-maculata, et ut in ventre, ejusdem coloris, pube griseo-albida adspersa. Pictura superior abdominis maris, ut in feminis detritis vel variantibus obsoleta, restante macula juxta basin lanceolata cinerea vel albescens; ejusdem sexus femora non ut in affinibus abundanter infuscata, sed fere unicoloria—nota non parvi momenti—. Thoracis longit. in ♀ 3; patellæ et tibiæ posticæ conjunctim $3^2/_3$, metatarsi $3^1/_3$ mm. ideoque magnitudo corporis quam *L. monticolæ* vix major est. Feminæ scutum genitalis non ut in *L. tarsali*, *albo-limbata* et nonnullis aliis excavatione media ampla, in fundo æquali, polita, nitida, et illius margines laterales postice non intumescentes. Tarsi antici (etiam postici) in ♂, ut in ♀, ut mihi videtur, scopulis minus densis quam in plerisque aliis speciebus, ei subsimilibus, vel quasi magis patentibus, ita ut lumen inter earum intervalla evidentius observari possit; an id a me recte visum?

Ad Gbg., a me ipse, in Upl. a *Thorell* capta. Præsertim in locis humidis vel umbrosis, montosis versatur. Saccus ovorum diametro 3—4 mm.

8. **L. nigriceps** (THORELL): *Femina* (corpore nudiusculo, an pube detrito) thorace fusco, vitta marginali et dorsali, latis, luteo-olivaceis, spatio inter oculos 4 posteriores nigro, in hoc vittæ dorsalis apice non protenso; abdomine fusco, dorso posterius arcubus tenuibus transversis punctisque intermixtis olivaceo-brunneis notato.

THORELL Rec. crit. p. 56.

Hæc aranea, a Dom. *Thorell* mihi communicata, et quæ mox post captivitatem facile corrugata evasit, undeque quoad picturam ægrius describenda, a *L. saccigera* non in alio differre videtur, quam differentia quadam picturæ abdominis; hæc, loco fasciæ mediæ macularis, ex arcubus angustis transversis constare videtur. Thorax et abdomen, præsertim ille, deglabrata (quod sæpe in exemplis veterioribus *L. saccigeræ*

etiam videbis). Oculi seriei secundæ, qui in angulo frontali siti sunt, paullo majores videntur quam in nonnullis exemplis *L. saccigeræ;* in hac tamen oculi iidem sæpe æque magni occurrunt, quod ex ambitis sive orbitis oculorum post exsiccationem plus minus transformatis pendere videtur. Forma plagæ genitalis ut mihi videtur omnino eadem ac in illa, cui quoad structuram corporis et colorem omnium partium similis est. Interim tamen, et usque dum exempla recentiora atque mas capiantur, nihil pro certo de hujus araneæ differentia speciali dijudicare queo.

Mense Junio ad Jonsered prope Gbg. in ericetis a *Thorell* capta.

9. **L. monticola** (Clerck): *Femina* thorace fusco, lineis 3 angustis albidis, plerumque ad partem rufo- seu brunneo-tinctis, illarum marginali gemina, media simplici, hac sua latitudine non metatarsos anticos superante; abdomine pube albida, rufo-brunnea et nigra variegato, dorso ad basin macula sublanceolata albida aut rufo-albida, nigromarginata, tum vitta brunneo-cinerea seu cervina, sensim angustata, marginibus subæquali, a vitta nigra seu serie punctorum nigrorum cincta, huic seriei adjacente serie e punctis majusculis albidis 4—5, plerumque deinceps connexis, et tunc vittam flexuosam formantibus; vitta dorsali cervina vel unicolore vel per arcus transversos griseo-albidos maculatim persecta; colore cervino ad latera cincturæ nigræ, circa maculam basalem lanceolatam ductæ, pube albida plus minus irrorato, hac albedine sæpe lineolam continuam formante; abdominis lateribus pube albida uberius conspersis; ventre pube ejusmodi dense obducto; palpis pedibusque olivaceis diaphanis, præsertim femoribus evidenter superne fusco-maculatis, reliquis articulis obsolete fusco-annulatis. Apertura genitalis per scutum obcordatum clausa, hoc rufo-piceum, nitidum, longitudinaliter excavatum, postice paullo elevato, angulis lateralibus (non tumidis) adjacente tuberculo minuto, unde scutum in hoc loco quasi bis emar-

ginatum sive leviter trituberculatum videtur. Ad sinum lateralem scuti obcordati adjacet, ut in pluribus aliis speciebus, plica elevata, quæ ad ipsum maginem, aperturam circumdantem, pertinere videtur.

Mas: vitta gemina marginali thoracis obsoletiore, plerumque remanente parte illius interna ad instar lituræ rufo-brunneæ, plerumque denudatæ vel pilis albidis parcius vestitæ; area oculorum nigricante, nec ut in ♀ rufobrunnea; angulis clypei mandibulisque vel piceo-nigricantibus vel ut in ♀ brunneo-testaceis; abdomine uberius nigricante, lateribus pube rariori albida adspersis, [illegible] e punctis, vel minutis vel magnis, [illegible] transversis albidis notato; ventre [illegible] nigricante vel vittis nigris pallidisque [illegible] pallidis, femoribus quoquoversus ultra [illegible] seu infumatis; palpis nigris, exepto [illegible] parte patellari testaceis; [illegible] superne breviter, sub apice una cum [illegible] superne longius nigro-pilosis, am[illegible] parte tibiali non evidenter [illegible] metatarsis anticis non crassio[illegible]

L. monticola [illegible] (fig. 2 potius ad [illegible] *L. [illegible]* est referenda). — *L. monticola* SUND. [illegible] 1832, p. [illegible] descriptio maris melius [illegible] *L. tarsali* competit: descriptio reliqua [illegible] ad illam quam ad *L. monticolam* nostram referri potest). — *L. monticola* WALCK. Apt. I, p. 328, 38! — (Quoad picturam thoracis abdominisque sat similis *L. ripariæ* KOCH XV, T. [illegible] f. 1435—36, at hæc aranea secundum KOCH ad aliam divisionem, scilicet *Lemoniam* pertinet. Quoad pedum colorem nec non thoracis picturam mas similis est *L. Pardosa bifasciata* KOCH Tab. 518, f. 1439; an nostra aranea [illegible] *L. Pardosa monticola*, [illegible] p. 42, species una eademque sit nec ne, haud quoad figuras neque descriptionem certo extricare queo; f. 1446 in Tab. 515 satis [illegible] at pictura abdominis, excepta macula lanceolata basali [illegible], satis indistincta; f. 1448 et forsitan 1449, in T. 516, et f. [illegible] in T. 515 ad *L. tarsalem* referri possunt; f. 1445 quoad palpos et pedes omnino similis mari *L. saccigeræ*). — *L. paludosa* HAHN [illegible] II. p. 14, T. 42, f. 105. — *L. monticola* THORELL Rec. [illegible] p. [illegible]

Femina. A *L. silvicola* (3) mox distinguitur tenuitate thoracis lineæ mediæ, quæ similiter ac in *L. tarsali* haud latior est quam metatarsi antici. Thorax long. 2$^3/_4$—3 mm., metatarsi et tarsi postici conjunctim 4$^3/_4$—5 mm. Thoracis pars nigra ut in illa specie pube rufo-fusca mixta; color linearum albidarum plerumque rubedine tinctus; linea marginalis plerumque gemina seu umbra longitrorsum persecta; linea dorsalis vel evidenter inter oculos 4 posteriores procurrit, vel apice cum pubescentia illa rufo-brunnea commixta, qua hic locus plerumque obductus est, et qua intervallum inter oculorum seriem secundam et primam etiam vestitum est, omnino ut in *L. tarsali* (in *L. saccigera* illa pubes ad colorem flavidum transit). Vitta in medio dorsi abdominis pone lineolam basalem sublanceolatam rubicundogrisea; lineola illa evidenter nigro-marginata. Vittula vel lineola obliqua, quæ ut in *L. saccigera* et *L. tarsali* ad latus illius cincturæ nigræ observantur, plerumque pube albida ad partem adspersa, et tunc potius albida quam cervina videtur. Puncta albida lateralia, pone apicem maculæ sublanceolatæ inchoata, in seriem digesta, solito majora, horum aut omnia aut saltem posteriora in vittam undulatam confluentia; illa introrsum vel libera vel hic per arcus dorsales transversales interjectos connexa. Venter pube albida dense obductus. Pedes in vivis olivaceo-testacei, in siccatis testacei, femoribus tantum superne nigro-maculatis vel abrupte annulatis, antice plerumque linea nigra, e basi ad medium ducta notatis, ut in *L. tarsali;* tibiis tarsisque languidius fusco-annulatis.

Mas. Abdomen uberius nigrum, puncto uno alterove lateraliter circa lineolam sublanceolatam albido, et posterius circa apicem illius pluribus ejusmodi minutis adspersum; in dorso inter puncta seriata lateralia observantur lineolæ vel arcus transversales; latera abdominis subtiliter albido-punctata; interdum observatur vestigium vittæ mediæ dorsalis griseæ. Venter nigricans, obsolete albido-pubescens. Pedes pallidi vel olivaceo-testacei, immaculati, femoribus ultra medium circumcirca infuscatis, quo colore coxæ omnes

ginatum sive leviter trituberculatum videtur. Ad sinum lateralem scuti obcordati adjacet, ut in pluribus aliis speciebus, plica elevata, quæ ad ipsum maginem, aperturam circumdantem, pertinere videtur.

Mas: vitta gemina marginali thoracis obsoletiore, plerumque remanente parte illius interna ad instar lituræ rufo-brunneæ, plerumque denudatæ vel pilis albidis parcius vestitæ; area oculorum nigricante, nec ut in ♀ rufobrunnea; angulis clypei mandibulisque vel piceo-nigricantibus vel ut in ♀ brunneo-testaceis; abdomine uberius nigricante, lateribus pube rariori albida adspersis, dorso serie utrinque e punctis, vel minutis vel magnis, et sæpe in medio striolis transversis albidis notato; ventre vel unicoloriter nigricante vel vittis nigris pallidisque ornato; pedibus pallidis, femoribus quoquoversus ultra medium nigricantibus seu infumatis; palpis nigris, exepto apice partis femoralis et tota parte patellari testaceis; lamina ordinaria superne breviter, sub apice una cum parte tibiali præsertim superne longius nigro-pilosis, ambobus opacis, nec nitidis; parte tibiali non evidenter longiore quam crassiore; metatarsis anticis non crassioribus quam insequentes.

Ar. monticolus CLERCK p. 91, pl. 4, t. 5, f. 1 (fig. 2 potius ad calcar apud *L. amentatam, paludicolam* et *saccigeram* est referenda). — *L. monticola* SUND. A:o 1832, p. 175? (descriptio maris melius cum *L. tarsali* competit; descriptio reliqua tam ad illam quam ad *L. monticolam* nostram referri potest). — *L. monticola* WALCK. Apt. I, p. 328, 89? — (Quoad picturam thoracis abdominisque sat similis *L. riparia* KOCH XV, T. 512, f. 1435—36, at hæc aranea secundum KOCH ad aliam divisionem, scilicet *Leimoniam* pertinet. Quoad pedum colorem nec non thoracis picturam mas similis est *L. (Pardosa) bifasciatæ* KOCH Tab. 513, f. 1439; an nostra aranea et *L. (Pardosa) monticola*, ibidem p. 42, species una eademque sit nec ne, haud quoad figuras neque descriptionem certo extricare queo; f. 1446 in Tab. 515 satis similis, at pictura abdominis, excepta macula lanceolata basali albido-rubicunda, satis indistincta; f. 1448 et forsitan 1449, in T. 516, et f. 1447 in T. 515 ad *L. tarsalem* referri possunt; f. 1445 quoad palpos et pedes omnino similis mari *L. saccigeræ*). — *L. paludosa* HAHN die Ar. II, p. 14, T. 42, f. 105. — *L. monticola* THORELL Rec. crit. p. 50.

Femina. A *L. silvicola* (3) mox distinguitur tenuitate thoracis lineæ mediæ, quæ similiter ac in *L. tarsali* haud latior est quam metatarsi antici. Thorax long. 2¾—3 mm., metatarsi et tarsi postici conjunctim 4¾—5 mm. Thoracis pars nigra ut in illa specie pube rufo-fusca mixta; color linearum albidarum plerumque rubedine tinctus; linea marginalis plerumque gemina seu umbra longitrorsum persecta; linea dorsalis vel evidenter inter oculos 4 posteriores procurrit, vel apice cum pubescentia illa rufo-brunnea commixta, qua hic locus plerumque obductus est, et qua intervallum inter oculorum seriem secundam et primam etiam vestitum est, omnino ut in *L. tarsali* (in *L. saccigera* illa pubes ad colorem flavidum transit). Vitta in medio dorsi abdominis pone lineolam basalem sublanceolatam rubicundo-grisea; lineola illa evidenter nigro-marginata. Vittula vel lineola obliqua, quæ ut in *L. saccigera* et *L. tarsali* ad latus illius cincturæ nigræ observantur, plerumque pube albida ad partem adspersa, et tunc potius albida quam cervina videtur. Puncta albida lateralia, pone apicem maculæ sublanceolatæ inchoata, in seriem digesta, solito majora, horum aut omnia aut saltem posteriora in vittam undulatam confluentia; illa introrsum vel libera vel hic per arcus dorsales transversales interjectos connexa. Venter pube albida dense obductus. Pedes in vivis olivaceo-testacei, in siccatis testacei, femoribus tantum superne nigro-maculatis vel abrupte annulatis, antice plerumque linea nigra, e basi ad medium ducta notatis, ut in *L. tarsali;* tibiis tarsisque languidius fusco-annulatis.

Mas. Abdomen uberius nigrum, puncto uno alterove lateraliter circa lineolam sublanceolatam albido, et posterius circa apicem illius pluribus ejusmodi minutis adspersum; in dorso inter puncta seriata lateralia observantur lineolæ vel arcus transversales; latera abdominis subtiliter albido-punctata; interdum observatur vestigium vittæ mediæ dorsalis griseæ. Venter nigricans, obsolete albido-pubescens. Pedes pallidi vel olivaceo-testacei, immaculati, femoribus ultra medium circumcirca infuscatis, quo colore coxæ omnes

subtus (etiam posticæ semper?) pictæ sunt. Calcar vel spina in membro genitali quidem ut in *L. saccigera* adest, sed, magis adpressa, adhuc minus in lucem prominens, satis recta et apice obtusiuscula, colore nigricans nec rubicunda. Calcaris ipsa basis, ut in pluribus aliis, obvolvitur lamina convexa, e basi membri procurrente, et quæ, certo lumine inspecta, denticulum assimilat. Lamina ordinaria palporum ut in *L. saccigera* opaca, nec ut in *L. tarsali* nitida.

Habitat in locis montosis, solibus expositis, vulgatissima ad Gbg. In Scan., Hall., Blek., Bah., Gottl. et Upl., *Sundevall;* in Lapp. et ad Trondhjem Norvegiæ, *Boheman;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

10. **L. tarsalis** (Thorell): *Femina* thorace fusco, vitta marginali gemina et alia dorsali simplici pallidis, pube albida adspersis, hac quam diameter metatarsorum vix latiore; area inter oculos 4 posticos, in quam vitta dorsalis sæpissime producitur, pube brunneo-fusca seu fulva (haud flavida) vestita; clypeo cum suis angulis mandibulisque pallidis, seu flavo-olivaceis; abdomine vitta dorsali antice, utrinque juxta lineolam lanceolatam, unicolore, haud albedine ulla contaminata, colore brunneo-cinerea seu murina (non colore brunneo seu rubicundo mixta), punctis lateralibus albidis seriatis, ubi evidenter adsunt, minutis et inter se liberis, numquam in vittam flexuosam confluentibus; pedibus palpisque pallidis, femoribus olivaceo-tinctis, anterioribus, præter maculas superiores geminas, in latere antico linea, a basi ad medium vel ultra procurrente, colore nigris notatis; tibiis tarsisque anterioribus obsoletius, posterioribus interdum paullo evidentius fusco-annulatis.

Mas thorace nigro, vitta marginali pallida purius albido-pubescente, per fuscedinem mediam in duas vittas plerumque angustas, late separatas, parallelas divisa; non solum externa sed etiam interna fere semper remanente; palporum nigrorum medio colore pedum, lamina ordinaria et parte tibiali subnitidis, hac parte non evidenter

longiore quam crassiore; metatarsis tarsisque anticis crassioribus quam iidem articuli pedum succedentium.

L. (Pardosa) monticola KOCH XV, p. 42, T. 516, f. 1448; 1449 ♀?; Tab. 515, f. 1447, var.? (descriptio maris adulti, in pag. 45, lin. 5 etc., ad *L. monticolam* SUNDEV., secundum typum, in hujus collectione asservatum, referenda est; confer descriptionem nostram *L. monticolæ*). — *L. tarsalis* THORELL Rec. crit. p. 53.

Femina quam *L. monticola* vix minor. Thorax $2^{3}/_{4}$—3 mm. Pictura thoracis omnino ut in illa et partes nigro-fuscæ pube adpressa rufo-fusca adspersæ; pictura abdominis differt vitta dorsali quoad colorem in vivis olivaceo- in siccatis brunneo-cinerea, nec ut in illa rufo-brunnea; in sua antica parte laterali, juxta cincturam nigram, circa lineolam mediam sublanceolatam, illa numquam albedine ulla distincta contaminata est; series normalis, lateralis, e punctis albidis formata, si evidenter adsit, numquam (?) in vittam continuam flexuosam sive introrsum sinuatam transformata; tantum supra anum utrinque sæpe adest lineola albida, quasi e punctis posterioribus conflatis formata. Lineola lanceolata, nigro-marginata, quæ a vitta dorsali antice includitur, sensim basin versus albescit, in ipso apice basali lætius albida, posterius colore cinereo-albida, hic non ullo loco rubedine vel colore brunneo tincta; vitta dorsalis pone vittulam lanceolatam fere semper continua, non ut in variantibus *L. saccigeræ* macularis dicenda, an semper? — Ex hac vitta exeunt dentes vel arcus 5—6, qui plerumque cum pube laterum abdominis confluunt; quoque arcu sæpe puncto minuto albido, uno ab altero evidenter separato notato; puncta albida interdum per arcum transversum dorsalem ut in *L. monticola* et nonnullis aliis connexa. Venter languide albescit, utrinque umbra longitudinali et alia media geminata, satis obsoletis pictus. Femora in vivis pallido-olivacea, anterioribus ut in *L. monticola* in latere antico linea nigra, a basi ad medium extensa, et superne maculis geminis ejusdem coloris notatis, his plerumque ut in multis aliis per lineam subtilem abruptam separatis. Tibiæ et tarsi pallido-brunnea, in pedibus posterioribus, etiam in siccatis, inter-

dum annulis quibusdam fuscis notata, qua in nota, atque etiam colore clypei, mandibularum, vittarum thoracis et tibiarum haud tam læte viridi-olivaceo-tincto, præsentia vittæ nigræ anticæ in femoribus anterioribus, frontisque indumento fusco-brunneo nec lutescente cet. a femina *L. saccigeræ* facile distinguitur.

Mas a ♂ *L. monticolæ* differt thoracis linea marginali interna semper distincta, pube albida dense obtecta, et præterea adest linea talis in ipso margine; superficies palporum partis tibialis et laminæ subnitida. Intérvallum oculorum seriei primæ et secundæ ut in ♂ *L. saccigeræ* pilis decumbentibus albidis at parcius vestitum, et in margine supra os sæpeque in basi mandibularum pili tales adsunt. Femora non ut in *L. monticola* subtus nigricantia, sed tantum superne ad $^1/_2$ vel $^3/_4$ infuscata, subtus pallida, quo colore coxæ saltem posticæ subtus pictæ sunt. Nigror in femoribus constat e linea media abrupta, tenuissima, et e litura seu umbra, utrinque ducta, quæ pictura in siccatis in nigrorem diffusiorem confluit. Abdominis color niger; vitta dorsalis aut ut in ♀ distincta, aut plerumque obsoleta, in specimine uno, erga ignem indurato, in fundo rufo-fusca, remanente plerumque in dorso antice vittula sublanceolata pallida s. albida; latera juxta hanc vittulam interdum albo-irrorata, ut in *L. monticola;* in lateribus dorsi series punctorum albidorum distincta aut rudimentaria; punctis interdum fortiter expressis et inter se conflatis, proinde hæc varietas quoad hanc notam cum variantibus *L. monticolæ* confundi potest. Venter aut albidus dicendus, vitta laterali et media fusca, hac interdum striola media griseo-albida, aut fusco-nigricans dicendus, disco vittis 2 pallidis s. albidis, postice convergentibus notato. Palpi maxima parte nigri, parte femorali apice, et parte patellari et tibiali basi plus minus luteo-ferruginantibus. Si vittæ marginales thoracis forsan interdum detritæ viderentur, mas etiam hac in re certe facile cum ♂ *L. monticolæ* confunderetur, quare rogo ut superficiem subnitidam laminæ et partis præcedentis palporum, picturam femorum coxarumque posticarum, subtus lurido-

pallescentem (an umquam nigricantem?), præsentiam pilositatis albidi in fronte ut et vittarum in ventre, quæ rarius in *L. monticola* adesse solent, et præsertim ut robustitatem metatarsorum, nec non tarsorum anticorum bene inspicias; hæ partes in statu geniculato et ab antice inspectæ, utrinque satis evidenter plumato-pilosæ vel longitrorsum pilis sat densis patentibus indutæ; spina in membro genitali ut in *L. monticola* parum arcuata et apice obtusiuscula, evidenter in lucem prominens, nigro-fusca (non ut in *L. saccigera* rubicunda, neque apice acuminata).

Ad Gbg. in gramine et plantis siccatis ad ripas fluvii Göta Elf, et in pratis humidis adjacentibus copiosissime lecta. Saccus ovorum cinereus, diametro longit. 4 $^1/_4$ mm. In Upl. a *Thorell*, in Ostrog. a *v. Post* capta.

11. **L. lignaria** (Clerck): *Femina* nigricans, pube albida rudiore adspersa, pedibus annulis rufo-testaceis et nigris alternantibus, illis albido-pubescentibus, his quoquoversus articulos cingentibus, haud subtus interruptis; tibiis anterioribus in utroque latere, inferius, serie ex aculeis quatuor evidentioribus, quintoque apicali breviore minusque evidenter conspicuo.

Mas clypeo ad latera mandibulisque rufis, his apice nigris, a basi ultra medium longius albido-pubescentibus; palporum parte tibiali et lamina ordinaria nigris, nigro-pubescentibus, hac lata, pone medium abrupte attenuata; bulbo genitali semigloboso toto rufo-piceo, nitido, subtus non evidenter calcarato.

Ar. lignarius Clerck p. 90, Pl. 4, t. 4. — *Lycosa id.* Sund. A:o 1832, p. 174. — (*Lycosa (Leimonia) blanda* Koch XV, p. 21, T. 510, f. 1428—30, in multis similis speciei nostræ, at non certo huc referenda). — Thorell Rec. crit. p. 47.

Femina. Thorax longit. 3 $^3/_4$, pedes postici circiter 15, metatarsi et tarsi conjunctim 7—7 $^1/_2$ mm.; his duobus articulis pedum anticorum 4 $^1/_2$—5, metatarsis posticis 5—5 $^1/_2$ mm., proinde hæc species est maxima hujus *Sectionis*, saltem quoad pedes. Ab omnibus aliis speciebus (excepta *L. boreali*)

distinguitur aculeis in utroque latere tibiarum anticarum in illis haud pluribus quam tribus, excepto aculeo apicali; in nostra specie autem, excepto hoc aculeo, quatuor adsunt, quorum tertius in medio, quartus pone medium tibiæ situs est. Pubescentia thoracis versus margines non ullam lineam continuam format, plerumque punctatim sive maculatim congregata; dorsum posterius vitta albido-pubescente; in exemplis pube detritis restat fundus vittæ, instar maculæ rufo-testaceæ. Oculi quatuor posteriores spatium non multo brevius quam ¼ totius longitudinis dorsi occupant. Mandibulæ rufo-piceæ, extrorsum nigricantes. Palporum pars femoralis annulis nigris 2, pars tibialis et tarsalis annulo 1 basali. Abdominis latera dense griseo-albido-pubescentia, nigro-maculata, vel, si mavis, nigra dense griseo-albido-punctata vel striolata; dorsum antice penicillo vel arcu albido, qui in exemplis completis succeditur plaga griseo-albida, anterius maculam subhastatam nigro-marginatam includente, ut in pluribus aliis; pone hanc maculam, utrinque, etiam adest series ordinaria e punctis albidis. Hæc pubes (albida) tam in thorace quam in abdomine solito rudior quam in aliis mihi videtur. In nonnullis exemplis detritis, aut igne induratis, abdominis dorsum in fundo rubescit, præsertim posterius inter series duas punctorum albidorum. Pedum annuli nigri non ut in plerisque aliis maculatim interrupti, sed ubique cohærentes, etiam sub femoribus; annuli rufo-testacei vel ferruginei pube albida satis dense obtecti; annuli nigri etiam post exsiccationem pedum saturate remanent; saltem æque lati atque annuli rufi; plerumque latiores sunt. Venter et coxæ subtus rufo-brunnea; ille subtiliter vel obsolete pubescens. Genitale piceum, nitidum, antice carinulis 2 arcuatis, inter se contiguis, postice divergentibus instructum, dein transverse profunde impressum, postice tubercula tria relinquens, quorum medium apici epigynes, lateralia apicibus elevatis marginis aperturæ respondent.

Mas. Palporum pars femoralis et patellaris colore pedum, dense griseo-albido-pubescentes, non nigræ nigroque

pilosæ. Genæ et mandibulæ rufo-brunneæ, crebre griseo-albido-pubescentes. Thoracis vitta marginalis et dorsalis plerumque distinctæ, hæc antice ad oculos procurrens, sæpe hic quasi tridentata. Bulbus genitalis tubercula quædam brevissima emittit (2 vel 3). Verba in descriptione Dom. *Sundevalli*, loc. cit. p. 174, lin. 2, ab infra, "*articulo tibiali*" certissime sunt lapsus calami; lege *articulo genitali* (?). Hic articulus in nostra specie tubercula duo minora (non calcaria) repræsentat. Bulbus cochleæformis una cum apice inferiore laminæ piceo-testacei.

In silvis acerosis Scaniæ, Blekingiæ et Uplandiæ a *Sundevall*, in Westrog. ab *J. A. Carlsson*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell*, in Lapp. a *Boheman*, et in Ostrog. a *v. Post* inventa. Saccus ovorum diametro longit. 5—6 mm., colore cinereus, zona albida cinctus.

12. **L. borealis** (SUND.): *Femina* fusco-testacea, pedibus concoloribus, regulariter tenuius albido-annulatis. *Sundevall.*

SUND. A:o 1832, p. 180.

Descriptio Dom. *Sundevallii:* "unicam feminam, ad Wittangi Lapponiæ, d. 13 Junii 1821 sub lapide invenit Cel. Prof. *Zetterstedt*. Similis est *L. sylvicolæ* feminæ, sed major: long. thoracis ultra 3 mm. Frons depressior, mandibulis evidenter humilior. Pedes paullo robustiores, sub tibiis anticis aculeis pluribus et majoribus, quam in sp. præcedentibus, armati. Præterea annuli pedum et palporum notam præbent speciei propriam; sunt enim cinereo-albi, tenues, regulares, spatiis latioribus, saturate fusco-testaceis discreti. Thorax et mandibulæ fusco-testacei. (Color abdominis deperditus).

Mas ignotus."

Non nisi suspicarem araneam descriptam unam eandemque ac *L. lignaria* esse. Verba autem: "*similis est L. sylvicolæ*", a Dom. *Sundevall* pro *L. boreali* allata, cum habitu *L. lignariæ* non sunt consentanea, quare species (quæ non in collectione Dom. *Sundevallii* adest) satis dubia videtur. *L. lignaria*, a me descripta, similiter ac *L. borealis* ab omnibus aliis *Lycosis*, mihi cognitis, distinguitur aculeorum numero sub tibiis

anticis, de qua nota Dom. *Sundervall* pro illa specie nullam mentionem fecit.

13. **L. amentata** (Clerck): *Femina* fusca, thoracis vitta media et marginali, e pube cinerea compositis, obsoletius determinatis, illa plerumque posterius sensim pallidius proveniente, vel saltem apice plerumque albidescente, anterius dilatata, cum pube capitis diffusius confluente, vitta intramarginali rarius cinereo-albida et per umbras fuscas transversas maculatim interrupta; pictura normali abdominis, e pube plerumque brunneo-cinerea composita, sæpe satis male determinata; ventre luteo-brunneo, rarius albedine tincto; apertura sexuali postice foveam minorem repræsentante, toto margine anteriore, per pilos depressos circumstantes maxima parte abscondita; pedibus cum palpis fusco- vel brunneo-testaceis, femoribus et reliquis articulis evidenter nigro annulatis; abdomine et femoribus subtus dense longeque pilosis.

Var. a: thoracis et abdominis indumentum cinerascenti-fuscum; pedum colore ordinario sordide testaceo; totum animalculum, fugaciter inspectum, magis infumatum.

Var. b: thoracis et abdominis indumentum luteo-cinereum nec ut in *var. a* cinereo-fuscum; animalculum, fugaciter inspectum, magis brunneo-testaceum, etiam in pedibus, nec sordide infumatum. Exempla forsitan nuper explicata.

Mas: thorace nigro, vitta dorsali cinereo-albida, angusta, sæpe detrita, et tunc remanente ipso apice postico, instar maculæ vel puncti albidi; clypeo cum ejus angulis, mandibulis palpisque totis plerumque nigris, horum parte tibiali et lamina ordinaria nigro-pubescentibus, opacis nec nitidis, parte tibiali evidenter longiore quam pars patellaris, vel quam efficit latitudo apicis ipsius articuli; membro genitali cochleæformi, obscure piceo-nigricante, calcari cuspidato piceo-rufescente (non nigro et subrecto, neque apice obtuso) instructo; tibiis et tarsis obsolete, at femoribus distincte nigro-maculatis, maculis

plerumque confluentibus, unde femora, exceptis apicibus, subunicoloriter nigricant; tarsis anticis apicibus non evidenter late nigricantibus; juniores, qui secundum normam matrem assimilant, mandibulis et palpis brunneo-testaceis, fusco-maculatis, clava solida fusciore.

Ar. amentatus CLERCK p. 96, Pl. 4, T. 8, fig. 2 (fig. 1 omnino falsa). — *Lycosa amentata* SUND. A:o 1832, p. 177, 4. — *L. (Leimonia) paludicola* KOCH XV, p. 10, T. 507, f. 1421—22. — THORELL Om Clercks Original-Spindelsaml. p. 146, lin. 4 ab infra.

Femina a *L. arenaria* (4) differt pictura thoracis abdominisque fusciore, vitta media thoracis antice cum indumento capitis inter oculos 4 posterioribus confluente, sive limitibus anticis non fortiter seorsum expressa; apertura genitalis maxima parte e pube circumstante occultata. Cum locus aperturæ acu vel alio deteritur, exstat scutulum fuscum nitidum, parvum, quod non late excavatum sed medio costa minore præditum est, hæc postice paullulum dilatata, foveola minuta impressa, adjacente utrinque canalicula sive foveola. Ab *L. pullata* (15) distinguitur magnitudine majore, genitali non nudo, pedibusque, etiam in siccatis, evidenter fusco- seu nigro-maculatis. *L. paludicola* (14) ab illa differt vittis thoracis rufo-brunneis, non pube cinerascente obtectis, sed quasi ex ipsius cutis colore, in iis locis rufescenti-brunneo, formatis. Pedum color in *L. amentata* pallidior, et maculæ sive annuli nigricantes non solum in femoribus sed etiam in reliquis articulis distincti. Mandibulæ in *L. paludicola* totæ piceo-fuscæ, et maxillæ etiam eodem colore. Vitta dorsalis media thoracis ante canaliculam posticam sæpe ut in *L. arenaria* constricta, dein versus occiput amplificata, at in pubescentia capitis diffuse evanescente, nec hic in stilum subtilem fortiter expressum desinente. In amplificatione interdum lineolæ duæ juxta-positæ sitæ sunt. Vitta versus margines plerumque parum conspicua, non ut in *L. arenaria* nisi rarius in maculas subliberas evidentiores interrupta. Abdominis pictura ordinaria, quæ constat e vitta dorsali media maculari, antice maculam subhastatam, nigro-marginatam includente, sæpe obsoleta, remanente sem-

per in dorsi extremitate basali fasciculo albido; dorsum utrinque vitta ordinaria fusca notatum, hac in exemplis completis serie punctorum cinereo-albidorum ornata, ut in plerisque aliis. Latera abdominis in exemplis dense luteo-cinereo-pubescentibus evidentius fusco-punctata, quæ puncta minus evidenter proveniunt in exemplis indumento fusciore vestitis. Venter cinereus, colore luteo-brunneo tinctus, minus sæpe pube albidiore adspersus. Abdomen non ut in *L. arenaria* tam breviter pilosum, sed pilis ut in *L. paludicola* et *septentrionali* (1) non solum in ipsa basi sed etiam posterius longioribus, diametrum patellarum vel tibiarum posticarum attingentibus. Pili sub femoribus, ex. gr., posticis, longitrorsum sparsi una cum pilis in coxis numerosiores videntur; pubes adpressa, qua femora subtus crebre induta sunt, in *L. arenaria* purius albida, vel femora in illa quasi albido-pulverata, non autem in *L. amentata*, an semper? (Sub femoribus posticis in *L. arenaria* pili pauci et breviores sunt, et ii, qui tam longi sunt ac diameter femorum, non difficile numerari possunt; pili 2—3, versus basin siti, diametrum femorum superant. In *L. amentata* pili omnes, præter 2—3 versus basin longissimos, subæque longi et crebri sunt, vix numerandi, an id in omnibus exemplis?; præterea autem rogo ut hanc differentiam non ut constantem considerес). Quoad abdominis et pedum pubescentiam etiam a *L. pullata* distinguitur. Thorax longit. 3—3 $1/2$, pedes postice 13—14, patellæ et tibiæ conjunctim 4 mm. Annuli pedum saturate fusco-nigricantes, in femoribus saltem anterioribus etiam subtus connexi, in *var. b* minus saturate fusci. Saccus ovorum variat longit. diametri 3 $1/2$—5 mm.

Mas a ♂ *L. arenariæ* præcipue dignoscitur non solum calcari in membro genitali cuspidato et evidenter arcuato, nec obtuso et subrecto, sed etiam ejus colore potius rufescente quam nigricante; reliqua pars ipsius membri non ut, ex. gr., in *L. saccigera* (et, ni fallor, *L. paludicola*) rufescens, sed ut in nonnullis aliis nigricans. Palporum pars tibialis ut in *L. saccigera* (et *paludicola*) evidenter longior quam

efficit latitudo apicis, qua in nota etiam a ♂ *L. pullatæ* distinguitur. Thorax paullo minor quam in ♀, totus, præter vittam dorsalem, niger; hæc vitta angusta, in exemplis non detritis tota albicans, sæpe in detritis luteo-rufescens; semper remanere solet punctum vel lineola cinereo-albida postica. Clypeus et mandibulæ plerumque nigra, in varietatibus obscure brunnea, quo colore rarius (sive in junioribus tantum) palporum pars femoralis et duo insequentes tinctæ sunt. Pictura abdominis sæpius quoad formam inconspicua, ut in plerisque vittam dorsalem mediam et seriem lateralem e punctis cinereo-albidis figurans; macula ordinaria sublanceolata, quæ anterius a vitta dorsali includitur, interdum distincta et libera in illis exemplis, quorum dorsum uberius nigricat; interdum restat apex ipse illius maculæ, fasciculum albidum formans. Venter et plerumque latera nigricant, pube cinerea parum vestita. Annuli tibiarum et metatarsorum obsoleti; in femoribus vel distincti vel in nigrorem communem, ultra medium extensum confluentes. Pectus, coxæ subtus et femora ibi ultra medium jam brunneo-infuscata, jam saturate nigricantia. Tarsi antici non ut in *L. arenaria* extus nigricantes, sed tantum hoc colore in extimo apice, ubi ungues locati sunt, picti. Thorax long. 3, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 3 ½ mm.

In locis humidis et ad ripas fluviatiles circa Gothob. omnium vulgatissima. Ad litora maritima minus libenter quam ad aquas dulces versari videtur. In Scania, Bahus., Gottl. et Upl. a *Sundevall* capta. In Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

14. **L. paludicola** (Clerck): *Femina* thoracis vitta media et intramarginali rufo-brunneis, parum pubescentibus; clypei angulis, mandibulis, maxillis et coxis subtus ejusdem coloris; pedibus piceo-brunneis, exceptis femoribus, immaculatis; abdomine longius piloso; thoracis longitudine 3⅔—4 mm., illius vitta dorsali media anterius saltem æque lata ac femora antica.

Mas (?) pictura thoracis non evidenter expressa; loco postico, ubi vitta media in thorace apud ♀ evidentius adest, macula vel lineola albo-pubescente; coxis subtus rufo-brunneis; femoribus superne obsolete fusco-maculatis, subtus luridis, sive obsoletius infumatis (an semper?); membro genitali cum calcari acuto rufo-testaceis.

Ar. paludicolus CLERCK p. 94, Pl. 4, t. 7. — *Ar. fumigata* ID. p. 104, Pl. 5, t. 6 (?). — *Lycosa palyd.* SUND. A:o 1832, p. 179, 5 (excl. synon. *Ar. pullatæ Clerck*). — *L. (Leimonia) fumigata* KOCH XV, p. 16, T. 509, f. 1425—26 (?). — *L. paludicola* THORELL Rec. crit. p. 59 (conf. *L. fumigatam* ib. p. 65.)

Femina. Specimen unicum, quod ante plures annos ad Gbg. cepi, a femina *L. amentatæ* differt vittis thoracis rufo-brunneis, distincte expressis, parcissime pube fusca nec ulla cinerea vestitis, potius e colore ipsissimæ cutis quam ex indumento ullo formatis, pedibus colore brunneo tinctis, supra obsolete tantum fusco-maculatis, tibiis et tarsis unicoloribus, in vivis saltem multo obsoletius quam in illa specie maculatis. Thoracis vitta in summo dorso marginibus regulariter expressa, fere linearis, postice tamen in declivitate, ubi canalicula ordinaria sita est, angustata; antice fere latior, saltem æque lata ac femora antica; illa non inter oculos 4 posteriores producta videtur, saltem hic obscurius evanescit; vitta, quæ mox intra marginem lateralem sita est, etiam bene expressa, non latior quam tibiæ anticæ. Abdominis pictura in specimine lustrato (non bene conservato) vix ulla, restante fasciculo pilorum albidorum supra basin. Color clypei angulorum, mandibularum, maxillarum et præsertim coxarum subtus brunneus, qui color minus sæpe apud *L. amentatam* adest, et tunc magis sordidus nec tam lætus; an ita semper (?). Abdomen ut in illa crebre et longe pilosum. Femora subtus etiam pilis longis numerosis et simul pube brevissima albida, adpressa, parcissima nec ut in *L. arenaria* densiore irrorata. Apertura genitalis ut in *L. amentata* e pube circumstante obumbrata, propter inopiam exemplorum ad structuram non extricanda. Venter ut in illa luteo-brunneus, nec ut in nonnullis aliis albore pictus.

Mas, qui huc pertinere videtur, ægerrime a ♂ *L. amentatæ* distingui potest. Femora et coxæ subtus brunnea vel pallido-brunnea, non nigra sive infumata, an ita semper (?); femora superne obsoletius fusco- seu nigro-maculata. Thoracis color in specimine lustrato unicolor, sordide nigricans, sive minus pure ater quam in ♂ speciei allatæ. Palporum bulbus genitalis cum calcari arcuato, apice acuto, omnino ut in illo, at ipse bulbus, in quo calcar radicatum est, saturatius rufus, nec colore nigro-piceo tam infuscatus atque in illo, an ita semper (?).

Et ♂ et ♀ uberius et longius quam in *L. amentata* pilosi videntur; hæc differentia tamen vix nisi in ambabus speciebus, inter se simul comparatis, melius extricari potest. Ita videntur tibiæ et metatarsi postici, perpendiculariter inspecti, in *L. paludicola* pilis crebrioribus divaricantibus repræsentare, an id in omnibus exemplis (?). Abdomen, in eodem statu inspectum, posterius pilis paullo longioribus repræsentat. Illa paullo major videtur, et thorax, ut videtur, margine laterali minus circulariter arcuatus. Interim tamen rogare vellem, ut araneam descriptam examinationi ulteriori subjicias. Hujus et *L. amentatæ* femina hujus Sectionis fere solæ sunt, nisi *L. silvicolam* excipias, quarum apertura genitalis e pube circumstante maxima parte occultata est, unde, si structuram ejus lustrari velis, pubescentia segmine suberis vel alio deterenda est. Secundum Dom. *Thorell* (v. om Clercks Spindels. p. 147) *Ar. fumigata Clerck* non in collectione *Clerckii* est invenienda, unde non scimus quæ sit hæc araneæ; forsitan non nisi individuum decoloratum *L. amentatæ* vel *paludicolæ*.

15. **L. pullata** (Clerck): *Femina* fusca, thorace subnitido, longit. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{2}{3}$ mm. vitta media et marginali, abdominisque vitta media, antice maculam subhastatam vel lanceolatam includente, omnibus e pube luteo-brunnea facile deterenda compositis; ventre brunneo, pube adpressa grisea vestito; apertura genitali per scutum piceum, glabrum, nitidum clausa, non anterius per pubem circum-

stantem occultata, non late excavata, sed medio elevatione angusta, longitrorsum paullo excavata instructa; pedibus brunneo-testaceis, femoribus superne maculis geminis fusco-ferrugineis (non nigris), reliquisque articulis obsoletissime brunneo-annulatis, pedibus totis in siccatis sæpissime unicoloribus; nec abdomine supra, neque femoribus subtus longe et crebre pilosis. Tibiæ et patellæ posticæ conjunctim longit. $2^3/_4$ mm.

Mas thorace saturatius fusco, aut præsertim in siccatis nigricante, angulis clypei et mandibulis, ut in ♀, aut concoloribus aut ferrugineis; palpis ferrugineo-fuscis, parum infuscatis, lamina ordinaria superne breviter, sub apice una cum parte tibiali longius pilosa, ambabus cute nitida, haud per pubescentiam densiorem opacata; femoribus superne maculis obsoletioribus, plerumque umbra nigricante infuscatis, hac fuscedine aut basin versus locata, aut longius extensa, coxis et femoribus subtus fusco-ferrugineis, vix infuscatis; membro genitali nigro, nec rubicundo, calcari acuminato, fortiter (circulariter) arcuato, apice inflexo, ideoque minus evidenter in lucem porrecto.

Ar. pullatus CLERCK p. 104, Pl. 5, t. 7. — *Lycosa (Leimonia) pullata* KOCH XV, p. 25, T. 511, f. 1431—33, (exclus. synon. *Ar. lignarii* CLERCK et SUND.). — *L. paludicola* juniores SUND. A:o 1832, p. 179.

Femina. Exempla, quæ non detrita sunt, picturam ut in figura 1432, a *Koch* data, repræsentant; illa ad formam eadem est atque in *L. amentata* et pluribus aliis; omnis pictura e pube luteo-grisea seu murina constat, facile decidua, unde araneola sæpissime subunicolor evadit, colore in fundo obscure brunneo-fusco. Thorax minus dense pubescit, unde superficies nitidior evadit. Inter omnes *Lycosas* fere minima est, thorace longit. tantum $2^1/_2$—$2^2/_3$ mm.; pedes postici toti $8^1/_2$—9, patellæ et tibiæ conjunctim circiter $2^3/_4$—3 mm.; pedes antici circiter $6^1/_2$, patellæ et tibiæ conjunctim $2^1/_3$, metatarsi et tarsi postici conjunctim $3^1/_2$, ad summum 4 mm.

Pedes, erga lucem [illegible] ma-culis supra femora [illegible] ni-gris, duabus basin [illegible] antico plerumque [illegible] nulla sub articulis [illegible] siccatis maculæ eædem [illegible] sis, obsoletæ sunt: [illegible] un-quam evidentes sunt. [illegible] parte fe-morali languidæ, [illegible] omnino evanescentes. [illegible] pilis sat longis, de [illegible] tibus vestitum. Femora [illegible] nume-rose longeque pilosa, pilis [illegible] longi-tudinem diametri femorum [illegible] genica-lis elevatione longitudinali [illegible] ex-cavata, postice paullo [illegible] me-tatarsi postici, [illegible] adja-cente fovea sive canaliculo: [illegible] in *L. amentata* et *paludicola* [illegible] maxima parte obtecta.

Mas a maribus [illegible] differt, præter magnitudinem minorem, palporum lamina [illegible] e parte tibiali ut in *L. tarsali* evidenter [illegible]: colore palporum obscure fusco, haud [illegible]; lamina forsitan inter-dum paullo infuscata est, superne breviter pilosa, nec cute pube omnino obtecta, sub apice autem ut in plerisque aliis pilis longioribus vestita. Pars tibialis pilis longis rigidis haud densis induta. In membro genitali, toto nigro nec rufo, quidem observatur calcar subulatum, at in exemplis vivis lustratis satis adpressum videtur, apice inflexo minus evidenter in lucem proveniente, toto non ut in *L. saccigera*, *amentata* et *paludicola* leviter, sed fortiter vel fere circula-riter arcuato, erga lucem contemplato lumine sub calcaris arcuatione evidentius penetrante. Coxæ subtus obscure brunneæ, haud nigræ dicendæ. Femora subtus ferrugineo-fusca, non nigra; etiam minus crebre minusque longe pilosa, pilis plerisque longit. vix ultra $\frac{1}{2}$ diametri femorum, non-

nullis tamen, longitrorsum intermixtis, longioribus, vel diametrum horum attingentibus, facile numerandis.

In collibus et pratis, libentius in locis humidis et ad ripas aquarum versatur. Inter *Lycosas*, præter *L. amentatam*, prima est, quæ primo vere provenit, in gramine siccato currens. Circa Gothob. frequens. In Scan., Gottl. et Upl., *Sundevall;* in Upl., *Clerck* et *Thorell*. Saccus ovorum diametro plerumque 3 mm.

SECTIO II.

(Tarentulæ AUCT.)

Thoracis latera infra oculos 4 posteriores arcuatim ad marginem declivia. Spatium, ab oculis duobus posticis occupatum, evidenter brevius quam spatium transversum, quod a mandibulis conjunctim occupatur. Altitudo facialis insigniter brevior quam efficit longitudo mandibularum. Oculorum series antica non unquam brevior, interdum paullo longior quam secunda. Pedum proportio 4, 1, 2, 3; pedes magis robusti et breviores; patellæ pedum posticorum longitudine 1/2 tibiarum, vel sæpe longiores; aculei in tibiis anticis diametrum tibiarum vix vel paullulum tantum superant, saltem in feminis patellæ 4 posteriores supra apicem seta evidenter tenuiore quam aculei tibiarum, non nisi piliformi dicenda; supra basin pilus talis etiam adesse solet; pilus apicalis in L. piscatoria, piratica et uliginosa quoad suam crassitiem medium tenet inter aculeum et pilum. Motus non tam velox ut in speciebus Sect. I:mæ. Tarsi anteriores densius scopulati esse solent. Pleræque species cubiculum in terra sibi comparant, ubi magna parte diei versantur, præsertim dum saccum ovorum ibi asservant; ad prædas autem investigandas frequentius in gramine et foliis deciduis observantur, ut Lycosæ Sect. I:mæ. Saccus ovorum globosus nec lenticularis, zona pallidiore plus minus distincta cinctus.

16. **L. fabrilis** (Clerck): *Femina* cinereo-albida vel incana, thorace longit. 7—8 mm., vitta laterali fusca, pube cinerea plus minus contaminata, per vittam marginalem et alteram in summo dorso cinereo-albidas, regulares, bene limitata; vitta dorsali anterius lineis duabus longitudinalibus, parallelis, fuscis nigrisve, lineam subtilem cinereo-albidam includentibus notata; abdominis dorso vitta cinereo-albida, hac ante medium maculam subhastatam, utrinque bidentatam, nigram, dein seriem ex angulis seu arcubus transversis, vittam in maculas dividentibus, ejusdem coloris occupante; dorso ad latera hujus vittæ vitta nigricante signato, hac vitta serie e punctis 5—6 majusculis albidis ornata; ipsis lateribus abdominis nigricantibus, rude albo-punctatis; ventre atro; femoribus cinereo-albidis, patellis et reliquis articulis rufo-brunneis, omnibus nigro- seu fusco-maculatis.

Mas thorace abdomineque pube cinereo-albida uberius obductis, illius vitta laterali fusca haud in latera capitis procurrente, vel vitta dorsali incana ad latera capitis amplificata, nec hic quoad suos limites seorsum expressa, h. e: toto capite (sive parte cephalica) pube incana obducto; lineis parallelis fuscis antice in vitta dorsali fere semper non ullis, at in junioribus plerumque distinctis; abdomine pube lætius albido-cinerea dense obducto, lateribus obsolete vel vix fusco-punctatis; angulis transversis dorsalibus obsoletioribus aut nullis; macula antica subhastata plerumque satis distincta, interdum in disco pube cinerea irrorata; punctis seriatis albidis, utrinque in dorso sitis, colore nigro parciore circumdatis, plerumque antice arcu nigro cinctis; ventre ut in ♀ atro (in junioribus variantibus pube grisea mixto); palporum membro genitali spinula brevi nigra, evidenter in lucem prominente instructo; mandibulis ut in ♀ a basi ad medium pube luteo-cinerea vestitis.

Ar. fabrilis Clerck p. 86, Pl. 4, t. 2. — *L. melanogaster* Hahn die Ar. I, p. 102, T. 26, f. 76. — *L. fabrilis* Sund. A:o 1832, p. 182. — *Tarentula idem* Thorell Rec. crit. p. 40 (*L. Tarentula*

narbonensis WALCK. Apt. I, p. 282, 2, et KOCH XIV, p. 145, T. 493, f. 1375—76 subsimiles nostræ speciei, sed, teste Dom. *Koch* l. c., haud ad *L. fabrilem* CLERCK referendæ. Dom. *Walck.* non solum sub *L. T. narbonensi* sed etiam sub *L. captante*, l. c. p. 306, unum idemque synonymon *Hahnii* vel *L. melanogastrem* affert, quod erratum pro multis aliis araneis factum est. *L. narbonensis* potius quam *L. captans* ad nostram araneam pertinet. In Tom. XIV, p. 168, Die Arachn. a Dom. *Koch* species altera, vel *araneus inquilinus* CLERCK, sub nomine falso *fabrilis* describitur, et denique in pagina 168, sub nomine *L. inquilina*, ut mihi videtur, *L. barbipes* SUND. descripta est. Omnis hæc confusio synonymorum sane mirabilis est, præsertim quum figuræ *A. fabrilis* etiamque *L. inquilinæ*, a Dom. *Clerck* datæ, ad optimas sint numerandæ).

Femina. Thorax et abdomen conjunctim longitudinem usque 16—17 mm. attigunt; ille 7—8, pedes postici circiter 20—21, antici 16—17, metatarsi et tarsi postici conjunctim 8 $1/_2$—9, iidem articuli tertii ordinis 6 $1/_2$, tibiæ et patellæ anticæ conjunctim 5 $1/_2$—6 millim. — *L. barbipedi Sund.* (*inquilinæ Koch,* loc. cit.) satis similis, a qua autem, similiter ac ♂ facile distinguitur: ventre pure atro, nec murino: lineis duabus parallelis fuscis, antice in vitta dorsali thoracis sitis: angulo clypei (supra palpos) rufo-brunneo, evidenter murino- vel cinereo-pubescente, nec omnino degrabrato, neque glabritie, ubi hæc adest, superne arcu libero pure albido cincta. In *L. fabrili* arcus ejusmodi quidem adest, hic autem neutiquam liber sed cum thoracis vitta marginali continua, cinereo-albida, distincte expressa confluens; in *L. barbipede* hæc vitta obsoleta vel valde rudimentaria est. Quoad colorem ventris *L. inquilinæ* et *pinetorum* similis; ab illis distinguitur, similiter ac ♂, colore pubescentiæ maxime dominantis cinerascenti-albido, nec cervino vel luteo-brunnescente, thoracis vitta marginali lata cinereo-albida, macula pone basin abdominis hastata nigricante, serieque laterali e punctis cinereo-albidis bene expressis, cet. Femora nigro-maculata, reliqui articuli fusco-piceo-maculati. Ut nota, fere semper constans, observandæ sunt lineæ duæ parallelæ fuscæ in parte cephalica, lineam subtilem cinereo-albidam includentes.

Habitat minus frequens sub lapidibus et aliis, in collibus montosis, cet. Die rarius circumvagantem vidi. In Scan. et Gottl., *Sundevall;* in Upl., *Clerck* et *Thorell.*

Obs. Araneus aculeatus CLERCK pag. 87, Pl. 4, t. 3, femoribus fortius aculeatis, forsitan non nisi ut individuum monstrosum *Lycosæ fabrilis* aut *inquilinæ* (17) est considerandus.

17. **L. inquilina** (CLERCK): *Femina* rubicundo-cinerea, albore obsolete tincta, thoracis lateribus haud vitta ulla fusca seu nigra distincte limitata ornatis, sed tantum in limite inter partem cephalicam et thoracicam ut et in declivitate basali nigricantibus; abdomine pube cervina vel cinerea dense obducto, in lateribus non fusco-maculato; dorso vitta ordinaria obsoleta, e pube grisea designata, maculam anticam hastatam, utrinque bidentatam includente, hac quoad colorem discoidalem obsoletiore, remanente dente tantum laterali instar puncti nigri; angulis seu arcubus transversis, maculæ hastatæ succedentibus, brunneis, sæpe satis obsoletis; serie ordinaria laterali punctorum albidorum haud seorsum expressa (nisi tantum in exemplis non perfecte explicatis); abdominis summa basi ventreque atris; pedibus totis brunneo-testaceis, obsolete piceo-maculatis.

Varietates forsitan occurrunt, quæ, similiter ac varietates masculinæ, in thoracis lateribus pubescentiam sensim ad dorsum fuscescentem habent; efficit tamen hic color nullam vittam sublinearem, determinatam. Abdominis dorsum utrinque forsan etiam, ut in illis, serie e maculis nigris, vel umbra fusca, e nigrore basali emissa, pictum.

Mas paullo pallidior; dorso thoracis abdominisque albedine languida tincto, hoc anterius punctis 2 nigris notato; nigrore in abdominis extremitate basali aut vittam sive umbram retrorsum ad latera dorsi emittente, aut hac vitta in seriem punctorum nigrorum transformata; pubescentia cervino-cinerea in lateribus thoracis sæpe ad dorsum sensim fuscescente; mandibulis nigricantibus,

[illegible] ad basin vestitis [illegible] omnia haud ulla evi-[illegible] unicolori-[illegible] subtus vel [illegible] medium fuscis.

[illegible] — Ar. viralis Id. p. [illegible] p. 182, 8, [illegible] — [illegible] 1889, ♂ (f. [illegible] hac usque haud [illegible] Walcke-[illegible] Rec. crit. [illegible]

Femina. [illegible] mm.; thorax [illegible] 13—14. metatarsi et [illegible] metatarsi et [illegible] conj. 5 mm. [illegible] et trabali vitta [illegible] pubescentia cervina [illegible] marginalem et dor-[illegible] nigra sunt tantum [illegible] et declivi-[illegible] per umbram fu-[illegible] dorsalem magis [illegible] Angulus clypei supra palpos latius [illegible] nullo arcu [illegible] Regio lateralis, obli-[illegible] docta, inferne a [illegible] languidiore supra [illegible] dorsum ut caput [illegible] parallelis fuscis notatum. [illegible] dorso abdominis saepe re-[illegible] Latera abdominis, quae in *L.* [illegible] albido-punctata sunt, pube [illegible] puncto fusco adspersa. Series punctorum [illegible], in lateribus dorsi, quae in illa specie et *L.* [illegible] adsunt, haud distincta; locus illius

seriei forsitan in varietatibus junioribus vitta fusca vel serie punctorum nigrorum ut in masculis variantibus repletus.

Mas. Pubescentia dorsalis thoracis et abdominis pallidior, languide albicans. Abdominis macula subhastata omnino deleta, remanente utrinque puncto nigro distincto, quod denti laterali ejusdem maculæ in *L. fabrili* respondet. Mandibulæ nigræ, concolores, vel basi obsolete luteo-albido-pubescentes, an ita semper?. Membrum genitale non spinula ulla prominente instructum esse videtur.

In Scan., Blek. et Gottl. a *Sundevall*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell* capta; in silvis ad Gbg. ipse; in Ostrog., *v. Post.* Saccus ovorum diametro 7—8 mm., globosus, cinereus, zona albida cinctus; ova ad 150 numerata. Mense Septembri mares plures, ut videbatur nuper explicati, inter folia decidua in Slottskogen ad Gbg. capti.

18. **L. piscatorum** (Thorell): *Femina* brunneo-testacea, thoracis lateribus nigris, nigrore sensim versus margines pube brunnea obumbrato, dorso vitta lata brunneo-testacea; abdominis cute pube ejusdem coloris densissime obtecta, dorso antice angulo vel semiannulo cinereo-albido notato, succedentibus punctis nonnullis fuscis, parum perspicuis, in series duas vel tres digestis; ventre atro; pedibus obsolete fusco-maculatis, maculis sub femoribus, præsertim 4 anterioribus plerumque conflatis, unde hæc femora subtus et antice ultra medium infuscata evadunt; coxis omnibus fuscis seu infumatis. Thorax long. $4^1/_2$, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim $4^1/_2$, anticæ $3^3/_4$ mm.

Mas: thoracis lateribus uberius nigricantibus, summo margine vittaque dorsali cinereo-albidis; abdomine cinereo, parum cinereo-brunneo tincto; vitta laterali normali, e basi exeunte, nigra posterius punctatim abrupta, an semper?, vitta dorsali elongato-ovali, ab illis vittis inclusa, cinerea, antice cinereo-albido-marginata; ventre atro; pedibus non fusco-maculatis, femoribus 4 anterioribus nigris, insequentibus languide infuscatis; thorax

longit. 5, patellæ et tibiæ posticæ conjuntim 5, anticæ $4\frac{1}{2}$ mm.

Tarentula pinet. THORELL Rec. crit. Ar. p. 111.

Femina. Magnitudo *L. trabalis*, et paullo major quam *L. tæniata.* A ♀ *L. inquilinæ* distinguitur magnitudine minore, indumento abdominis et dorsi thoracis brunneo-testaceo, nec cervino; venter minus late nigricans, ita ut indumentum laterum abdominis brunneo-testaceum ad latera ventris observari potest, an semper ita?; femora 4, præsertim 2 anteriora subtus anticeque ultra medium evidenter infuscata, nitida, qua in nota, præter colorem abdominis et plures alias notas, etiam a *L. trabali* facile dignoscitur. In apice semiannuli albidi, in abdominis basi, fasciculus e pilis ochraceis observatur. Vitta lateralis normalis nigra nulla, restantibus posterius rudimentis illorum punctorum, in quæ vitta illa in ♂ et pluribus aliis *Lycosis* divulsa esse solet; abdominis latera brunneo-testacea concoloria, non fusco-variegata; maculæ fuscæ sub femoribus, præsertim anterioribus, in nigrorem diffusiorem confluunt; pedes de cetero obsoletissime fusco-maculati, unicolores dicendi; coxæ subtus fusco-piceæ.

Mas a ♂ *L. trabalis* et *tæniatæ* ægrius distingui potest nisi ventris colore nigro; abdominis vitta dorsalis, a vitta laterali nigra inclusa, non tam bene limitata, h. e. vitta nigra non continuata sed punctatim abrupta, vel vitta dorsalis media grisea quasi dentes laterales emittit, qui vittam nigram in maculas dividunt. A *L. barbipede* differt etiam colore ventrali, tibiisque anticis non incrassatis. A *L. pulverulenta* etiam colore ventris ut et magnitudine majore dignoscitur. Exempla plura lustrata tibiis anterioribus non ut in *L. tæniata* et nonnullis aliis nigricantibus. Coxæ subtus ut in ♀ fusco-piceæ, anticis fere infumatis.

Fem. junior similis adultæ, at venter non nigricans; mares certe ventre etiam concolore.

Ad Holmiam a *Thorell* inventa.

19. **L. barbipes** (SUND.): *Femina* brunneo, cinereo albidoque varia; thorace long. 5 mm., vitta dorsali media aut medio rufo-brunnea, albido-marginata, aut rarius tota, præsertim posterius griseo-albida; lateribus æqualiter rufo-fusco vel cinereo-pubescentibus, haud nisi interdum, præsertim in junioribus vitta lineolave intramarginali griseo-albida notatis, hac plerumque rudimentaria, relicto arcu albido, in illæsis continuo, supra clypei angulum deglabratum nitidum nigrum sito; abdomine in dorso vitta cinerea picto, hac antice macula subhastata, utrinque bidentata, fusca vel grisea, et dein serie ex angulis transversis fuscis, vittam in maculas dividentibus, notata; lateribus subtilius albido- seu cinereo-punctatis fuscoque nebulosis; dorso utrinque juxta vittam mediam umbra seu vitta fusca, hac serie punctorum albidorum minus distinctorum notata; ventre cinereo vel murino (haud atro); pedibus rufo-fuscis vel griseis, totis irregulariter fusco-annulatis.

Mas magis nigricans; abdominis lateribus densius cinereo-pubescentibus, vix vel obsolete fusco-nebulosis; dorsi vitta aut cinereo-albida aut olivaceo-brunnea; macula antica, ab illa inclusa, aut dente vel macula fusca laterali prædita, aut ad formam æquali, sublanceolata, interdum haud ad ejus limites expressa, sed cum colore ipsius vittæ conflata, marginibus vittæ hoc loco albidis; spatio succedente vittæ aut per arcus transversos fuscos in maculas diviso, aut unicolore; lateribus juxta vittam dorsalem vitta ordinaria nigra distinctiore, hac vitta serie e punctis albidis obsoletis vel sæpe vix ullis signata; pedibus obsolete fusco-maculatis, femoribus anticis subtus nigris; tibiis totis basique metatarsorum ejusdem ordinis etiam nigris; illis (tibiis) solito magis incrassatis, subtus dense nigro-barbatis (ad formam æqualibus, non ovato-incrassatis, neque impressione ulla utrinque præditis).

Var. ♀: lateribus thoracis haud fuscis sed una cum parte cephalica dense cinereo-albido-pubescentibus, vitta

[illegible] vel linea angusta intramarginali, cum arcu albidiore ad angulo clypei confluente, cinerea; vitta dorsali per margines griseo-albidos designata; abdomine [illegible] albido-variegato.

L. [illegible] Sund. Act. 1832, p. 184, 11. — *L. sabulosa* Hahn [illegible] p. 16, T. 4, f. 13. — *L. Tarantula, inquilina* Koch [illegible] p. 16, T. 497, f. 1386, ♀, (f. 1387, ♂ (?), structura tibiarum [illegible] non bene delineata; excl. syn. *Clerckii* et *Sundevallii*). — L. [illegible] Sund. Act. 1832, p. 185, 12 (vix propria species, sed [illegible] *L. barbipedis*).

Femina quoad picturam *L. fabrili* (16) satis similis. At illa tamen statim dignoscitur defectu linearum 2 fuscarum in sterno, colore ventrali cinereo vel murino, nec non arcu ad angulum clypei magis pure albicante, libero, [illegible] cum vitta ulla marginali conflato, quæ, si adsit, semper angustior, [illegible] nec incana est. Thorax in exemplis [illegible] longitudine numquam 5 mm. excedit (?). Pedes [illegible] 13—14, patellæ et tibiæ conjunctim 4½, metatarsus una cum tarso 6; hi duo articuli pedum 3-tii ordinis [illegible] mm. Puncta seriata albida, quæ in *L. fabrili* [illegible] in abdominis dorso semper majuscula sunt, plerumque [illegible] expressa, non nisi in junioribus et [illegible] variantibus lætius albidescentia et [illegible] magna apparentia. Macula, quam hastatam vocavimus, ut [illegible] *L. varia* et *inquilina* in medio laterum [illegible] directam emittit; hujus maculæ apex posticus [illegible] *L. varia* truncatus, utrinque dente secundo præditus. Mandibulæ aut rufo-piceæ, apice nigræ, aut nigræ, [illegible]. Maxillæ haud nigricantes, sed brunneæ, [illegible] semper?). Color vittæ dorsalis thoracis satis singularis, [illegible] quum vitta non ut in plerisque subsimilibus unicoloriter albida vel cinerea, sed in [illegible] marginibus tantum ita [illegible] evadat, medio rufo-brunnea; margines albidi instar duarum linearum, postice convergentium se [illegible].

Mas ab omnibus aliis maribus subsimilibus et huc usque cognitis dignoscitur tibiis anticis solito magis incrassatis et subtus nigro-barbatis, quæ pubescentia etiam

sub metatarsorum basin descendit. A ♂ *L. cuneatæ* (24) differt et magnitudine majore et articuli allati structura cylindracea, nec breviter oviformi sive inflata, neque est ille articulus utrinque cicatrice sive foveola oblonga impressus. Mandibulæ et maxillæ ut in ♀.

Habitat ad Gothob. in locis montosis, et libentius ubi crescit erica vulgaris; multo frequentior quam *L. fabrilis* et *inquilina*. In Scan., *Sundevall* et *Carlsson;* in Blek. et Gottl., *Sundevall*, in Upl., *Thorell*, in Ostrog., *v. Post.*

20. **L. trabalis** (Clerck): *Femina* thorace long. 5—5 ½ mm., fusco, dorso in medio vitta lata lineari, usque inter oculos 4 posticos procurrente, et ad marginem vitta altera inæquali, luteo-cinereis vel griseo-albidis notato, spatio laterali, eas interjacente, vittam fuscam, usque ad latera capitis extensam formante; abdomine luteo-cinereo, vitta laterali fusca ordinaria parum evidente, plerumque in seriem punctorum transformata; dorso in medio vitta luteo-cinerea aut griseo-albida, hac anterius maculam lanceolatam fusco-marginatam includente; ventre luteo- vel olivaceo-cinereo; pedibus testaceis, femoribus evidenter fusco-maculatis, tibiis tarsisque rufo-piceis, annulis fuscis parum distinctis, fere nullis.

Mas: thoracis lateribus nigris, vitta marginali, aut luteo-brunneo-tincta, aut tota, uti vitta dorsalis, albida, illa plerumque gemina, sive linea longitudinali fusca persecta; vitta dorsali in abdomine etiam albida, macula lanceolata nigro-marginata, ab illa inclusa, ut in ♀ luteo-cinerea vel subolivacescente; dorsi lateribus vitta magna, e basi exeunte, nigerrima, unicolore notatis; ipsis lateribus abdominis supra, juxta vittam nigram dorsalem, pube luteo-brunnea parce contaminatis, inferne una cum ventre albido-pubescentibus; pedibus brunneo-testaceis, femoribus tibiisque anterioribus sæpe superne piceis aut piceo-nigris; palpis aut maxima parte nigro-piceis aut plerumque in siccatis parte patellari, tibiali et lamina ordinaria rufo-piceis.

Var. a: vitta dorsali in thorace et abdomine griseo-albidis, hujus macula lanceolata, a vitta dorsali anterius inclusa, luteo-cinerea. *Fem. adulta.*

Var. b: vittis memoratis colore luteo-brunneo uberius tinctis, vitta abdominis tamen sæpe anterius circa maculam lanceolatam pube griseo-albida mixta. Plerumque *subadultæ et juniores*. Præsertim hæ in abdominis lateribus punctis, fere in arcus seriatis, nigris aut fuscis notatæ. *Femina* et *ambo sexus juniorum.*

Var. c: abdomine subunicoloriter luteo-cinereo, macula lanceolata ad limites fuscos obsolete designata, origine ejus antica per arcum griseo-albidum sæpe indicata; serie punctorum nigrorum ad latera dorsi aut subdistincta aut rudimentaria. *Femina.*

Ar. trabalis CLERCK p. 97, Pl. 4, t. 9; ibidem t. 10? (num hæc fig. ad *L. tæniatam* sit referenda). — *Ar. vorax* WALCK. F. par. II, p. 238. — *Lycosa idem* HAHN die Ar. I, p. 105, T. 26, f. 78. — *Lycosa vorax* SUND. A:o 1832, p. 188. — *L. trabalis* ID. p. 182 (♀, varietas vitta abdominis ad partem obsoleta; mas, secundum typum in ejus collectione asservatum, est mas *L. inquilinæ* CLERCK). — *L. vorax* WALCK. Apt. I, p. 318 (excl. omnibus syn. KOCHII et *L. pulverulentæ* CLERCK). — *L.* (Tarantula) *vorax* KOCH XIV, p. 178, T. 499, ff. 1393—4 (quam optima figura). — *Tarentula trabalis* THORELL Rec. crit. p. 61.

Femina. Quoad picturam *L. pulverulentæ* (23) ut et *cuneatæ* (24) valde similis. Ab utraque differt magnitudine majore. Pedes postici longit. circiter 17, patellæ et tibiæ conjunctim $5\frac{1}{2}$—6, metatarsi et tarsi conj. $6\frac{1}{2}$—7, metatarsi per se fere 5 mm.; pedes antici 13—14, patellæ et tibiæ conj. $4\frac{1}{2}$, metatarsi et tarsi conj. $4\frac{1}{2}$, metat. per se $2\frac{3}{4}$ mm. Vitta lateralis fusca in thorace propter vittam marginalem, lætius expressam, in margine externo saturatius limitata; vitta marginalis plerumque antice deglabrata, in fundo luteo-testacea, hic in arcum minorem finita, arcu haud ut in *L. barbipede* pube albida obducto. Mandibulæ nigro-piceæ, basi setis luteo-testaceis evidenter vestitæ. Pectus nigro-piceum (macula media testacea), pube rudiore luteo-grisea densius indutum; coxæ pube tenuiore etiam sat

dense vestitæ, quare cutis saturatior partium, præsertim pectoris quod nitorem multo magis illuminatur quam, ex. gr., in *L. pulverulenta*, in qua et pectus et coxæ minus evidenter pallido-pubescentia sunt. Latera abdominis interdum punctis aliquot fuscis subseriatis notata, præsertim in junioribus. Fuscedo circa maculam lanceolatam abdominis postice, ubi confluit, plerumque ut in *pulverulenta* in lineam subtilem plus minus recurvam continuata.

Mas. Venter evidenter albido-pubescens, nec ut in *L. pulverulenta* luteo-brunneus. A ♂ *L. herbigradæ*, cui magnitudine similis est, differt tibiis anticis mediocriter crassis, neque his subtus nigro-barbatis. A ♂ *L. pinetorum* (18) differt ventre non nigro, femoribus anterioribus et coxis non tam infuscatis, ut et thoracis vitta marginali brunnea seu grisea distincta.

In Scania, Blek. et Gotl., *Sundevall*: in *Lapp.*, *Boheman*; ad Särö Hallandiæ, ipse. Circa Gothob. haud nisi ad Qvillebäcken, in insula Hisingen, in collibus apricis, a me sæpe inventa. Mas ut plerique mense Majo capitur. In Upl., *Clerck* et *Thorell*.

21\. **L. tæniata** (Koch): *Femina* (in spir. vini asservata) fusca, thoracis lateribus totis æqualiter et parce luteogriseo-pubescentibus, dorso vitta lata luteo-albida; abdominis dorso vitta sensim angustata, luteo-brunnea, utrinque aut subæquali aut sinuata, anterius maculam plerumque ovatam fuscam includente; hac aut æquali aut in apice in lineolam vel arcum transversum finita; hoc arcu quibusdam aliis successo, unde vitta luteo-brunnea (in junioribus albidescente?) in maculas subsemilunatas vel obcordatas dividitur, vel utrinque dentata videtur; (illa in vivis certe non macularis); ventre, ut latera, luteo-brunneo; pedibus rufo-ferrugineis, immaculatis. Thorax longit. $4\frac{1}{2}$—5 mm., tibiis cum patellis posticis conjunctim $4\frac{3}{4}$ metatarsisque una cum tarsis $5\frac{2}{3}$—6 mm. Confer *L. cursorem* (22).

[illegible] Thorax [illegible]

[illegible] albidis.

[illegible] ac

[illegible] (Fam.

[illegible] vel albid[illegible]

[illegible] oppo-

[illegible] nota

[illegible] eviden[illegible]

[illegible] remo-

[illegible] pallido lo[illegible]

[illegible] maculati-

[illegible] punctatis,

[illegible]; thor[illegible]

L. *fabrili* et *barbipede*, qui arcus forsitan in
videnter proveniunt. Arcus tales in nonnullis
vini asservatis, ex. gr. *L. inquilina* ♀, obser-
militer atque una alterave pictura non in vivis
Dorsi latera juxta vittam mediam longitrorsum
tius infuscata, uti venter fusco-ferruginea vel
centia. Pedes, ut antea indicatur, breviores,
tiores esse apparent quam in *L. trabali*; fe-
obsoletissime fusco-maculata; toti pedes in
unicolores dicendi. A ♀ *L. pulverulentæ*, cui
est, constanter differt magnitudine thora-
antea indicata.

quoad colorem thoracis mari *L. pulverulentæ*
similis est, differt constanter magnitudine ma-
longit. 4½—5, metatarsi postici et tarsi con-
, tibiæ cum patellis 4½ mm.; illius latera ut
memoratæ pure nigricantia, tantum in summo
o-pubescentia; dorso vitta albida. Abdominis
in exemplis Lapponicis usque ad anum albida,
ovata vel lanceolata notata, quæ quoad mar-
obsolete expressa est; in specimine Gotho-
m vitta illa griseo-subtestacea est, antice al-
, maculaque, ab illa inclusa, lanceolata vel
fuscescens; dorsum ad latera vitta nigra, lata
unicolore nec ut in *L. pulverulenta* introrsum
arcubus pallidis contaminata; vittæ margo ex-
albedinem laterum in specimine Gothoburgensi
brunneo mixtus, similiter atque in *L. pulveru-*
ut in hac specie griseo-albido-pubescens, cu-
o-brunneo translucente.

n masculinum ad Gothob. captum; ambo sexus
Lapponiæ a *Boheman* inventi; in Upl., *Tho-*
g., *v. Post.*

(HAHN): *Subadulta* ferrugineo-fusca, thorace
dorso vitta cinerea, æque lata ac spatium in-
duos posticos; illo in lateribus saturate fusco,

Mas thoracis lateribus [illegible], margine angustissime albido-pubescente, dorso vitta media albida; abdomine lateribus albidis, dorso utrinque vitta lata nigra, et in medio vitta albida, hac [illegible], macula antica ovata vel hastata, quæ in femina adest, vix vel obsolete notata: pedibus [illegible], anticorum femoribus et tibiis nigricantibus. Specimen, ad Gothoburgum captum, vitta dorsali abdominis griseo-testacea, margine antico albida, macula [illegible] fusciore evidentiore, tibiis 4 anterioribus [illegible] infuscatis. Thorax longit. 4½—5, [illegible] conjunctim 5⅔—6, tibiæ cum patella 4½ mm.

L. (Tarantula) tæniata Koch XIV, p. 178, f. 1396—97 (exclus. syn. *Sundevallii*). — *L. meridiana* Hahn Die Ar. I. p. 20. T. V. f. 16? — *L. nivalis* Sund. A:o 1832, p. 184, 10 (excl. syn. *Clerckii*, *Aran. nivalis*, quæ aranea certe non alia est atque [illegible] maris [illegible] *L. inquilinæ*). — *L. trucidatoria* Walck. Apt. I. p. 311? — Conf. *Tarent. tæniatam* Thorell Rec. crit. p. 61.

Femina, exempla in spiritu vini asservata, a Dom. [illegible] mihi communicata, a *L. trabali* ægre distinguenda. [illegible] magnitudine paullo minore. Thoracis margo non [illegible] pallida (quæ plerumque per lineam fuscam a [illegible] marginali disjungitur) notatus, unde color fuscus [illegible] vittam utrinque limitatam format; an summo [illegible] in vivis albido, ut in figura *Kochii*, N:o 1397? — [illegible] partis cephalicæ (supra coxas anticas) non ut [illegible] et *inquilina* lineola vel arcus albidus adest; [illegible] observatur signatura ejusmodi luteo-testa[illegible] in *L. trabali* adest. Abdomen luteo-[illegible] testaceum; dorsum ut in ♀ *L. trabalis* [illegible] ornatur vitta media pallida; hac anterius [illegible] fusciore notata, quæ minus angu[illegible] non in lineam subtilem retrorsum [illegible] apex maculæ in arcum transversum fu[illegible] reliqua pars per arcus 3—4 trans[illegible] exstant maculæ transversæ, simi-

liter atque in *L. fabrili* et *barbipede*, qui arcus forsitan in vivis non evidenter proveniunt. Arcus tales in nonnullis aliis, in spir. vini asservatis, ex. gr. *L. inquilina* ♀, observantur, qui similiter atque una alterave pictura non in vivis proveniunt. Dorsi latera juxta vittam mediam longitrorsum vix vel obsoletius infuscata, uti venter fusco-ferruginea vel luteo-brunnescentia. Pedes, ut antea indicatur, breviores, proinde robustiores esse apparent quam in *L. trabali*; femora superne obsoletissime fusco-maculata; toti pedes in siccatis subunicolores dicendi. A ♀ *L. pulverulentæ*, cui valde propinqua est, constanter differt magnitudine thoracis et pedum, antea indicata.

Mas, qui quoad colorem thoracis mari *L. pulverulentæ* etiam valde similis est, differt constanter magnitudine majore. Thorax longit. $4\frac{1}{2}$—5, metatarsi postici et tarsi conjunctim $5\frac{2}{3}$—6, tibiæ cum patellis $4\frac{1}{2}$ mm.; illius latera ut in ♂ speciei memoratæ pure nigricantia, tantum in summo margine albido-pubescentia; dorso vitta albida. Abdominis vitta media in exemplis Lapponicis usque ad anum albida, antice macula ovata vel lanceolata notata, quæ quoad marginem suum obsolete expressa est; in specimine Gothoburgensi autem vitta illa griseo-subtestacea est, antice albido-marginata, maculaque, ab illa inclusa, lanceolata vel subhastata, fuscescens; dorsum ad latera vitta nigra, lata notatum, hac unicolore nec ut in *L. pulverulenta* introrsum punctis vel arcubus pallidis contaminata; vittæ margo externus juxta albedinem laterum in specimine Gothoburgensi colore luteo-brunneo mixtus, similiter atque in *L. pulverulenta*. Venter ut in hac specie griseo-albido-pubescens, cutis colore rufo-brunneo translucente.

Specimen masculinum ad Gothob. captum; ambo sexus ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* inventi; in Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post.*

22. **L. cursor** (HAHN): *Subadulta* ferrugineo-fusca, thorace in summo dorso vitta cinerea, æque lata ac spatium inter oculos duos posticos; illo in lateribus saturate fusco,

unicolore; abdomine vitta dorsali media cinereo-albida notato, hac antice signaturam normalem lanceolatam nigro-marginatam includente, dein in maculas 5—6 deinceps minores formata, harum anticis plerumque geminatis, succedentibus 3—4 simplicibus, circumcirca regulariter limitatis; pedibus ferrugineo-rufescentibus, non distincte fusco-maculatis, attamen femoribus 4 anterioribus subtus in ♂ nigricantibus.

HAHN die Ar. I, p. 17, T. V, f. 14 (an eadem species ac *L. tæniata* KOCH (21)).

Exempla lustrata, subadulta, thoracis longit. 4 mm., ille cum abdomine conjunctim 9—10 mm., vel magnitudine fere *L. pulverulentæ* et *cuneatæ* ♀. Ab exemplis rufo-ferrugineis *L. pulverulentæ* differt pedibus non fusco-maculatis, abdominisque vitta dorsali media saltem pone maculam lanceolatam in maculas liberas divisa, nec continua, colore cinereo-albida vel incana, nec brunnea. Thorax ut in illa in lateribus saturatius fuscus et marginem versus concolor, nec ut in quibusdam aliis linea neque simplici neque gemina, e pube pallidiore formata, signatus. Abdominis vitta media antice, ubi hæc maculam lanceolatam includit, in plerisque exemplis in lineolam obliquam, juxta apicem illius maculæ sitam, abrupta; macula mox succedens etiam sæpe gemina, vel per colorem fuscum, postice intervenientem bipartita; maculæ 4 dein succedentes plerumque simplices, transversaliter parum dilatatæ, antice lateraliterque regulariter limitatæ, ibi fere circulares, nec ut in pluribus aliis speciebus angulatis et transversaliter magis dilatatæ, simulque extus sensim quoad colorem evanescentes sæpeque invicem confluentes. Hæc vitta in uno specimine rubedine tincta ut in figura, a *Hahn* delineata. Venter cum lateribus abdominis in fundo ferrugineo-rubicunda, his obsoletius fusco-punctatis. Pedes pallidius ferrugineo-rufescentes, immaculati, maris tamen femora 4 anteriora subtus infuscata vel nigricantia. Pectus nigro-piceum, nitidum, pube cinereo-albida rariore adpressa vestitum. Genæ et basis mandibularum fuscarum ferrugineæ.

Uterque sexus, non perfecte explicatus, ad Upsaliam Uplandiæ a *Thorell* inventus.

Obs. Aranea, supra descripta, forsitan non nisi ut individuum junius ad *L. tæniatam* KOCH est consideranda, quam ob rem, et si experientia ulterior hanc opinionem affirmatura erit, nomen veterius "*cursor*", a Dom. HAHN datum, loco "*teniatæ*" KOCH, erit retinendum.

23. **L. pulverulenta** (CLERCK): *Femina* luteo-brunnea seu fusca; thorace long. 3½—4, metatarsis et tarsis posticis conjunctim 4⅔—5, iisdem articulis pedum anticorum 3½ mm.; illo abdomineque vitta media luteo-fusca; hujus vitta sensim attenuata, antice maculam lanceolatam (utrinque ad medium angulatam sive unidentatam), nigro-marginatam includente; dorsi laleribus vitta nigra, aut continua aut in seriem punctorum transformata, interstitiis punctorum aut brunneis aut instar seriei punctorum albidorum se repræsentantibus; abdominis lateribus cum ventre luteo-brunneis; pectore parum evidenter luteo-pubescente.

Var. b: abdominis lateribus parcius luteo-brunneis, abundantius fusco- seu nigro-variis, maculaque dorsali antica lanceolata saturatius fusca seu nigra. Præsertim in hac varietate abdominis latera ornantur aut arcubus continuis nigris, transverse oblique ductis, aut seriebus e punctis nigris, simili modo pictis.

Mas thoracis dorso vitta albida; lateribus fere totis nigro-fuscis; abdominis vitta dorsali laterali nigra lata, aut unicolore aut a dentibus, e vitta dorsali media luteo-brunnea exeuntibus, contaminata; vitta dorsali media sæpe, ut in ♀, circa maculam lanceolatam albidescente, dein tamen plerumque luteo-brunnea; femoribus anticis vel 4 anterioribus una cum tibiis piceis vel piceo-nigris.

Ar. pulverulentus CLERCK p. 98, Pl. 4, t. 6. — *Lycosa id.* SUND. A:o 1832, p. 186. — *L. (Tarantula) cuneata* KOCH XIV, p. 183, T. 501, f. 1399 et 1400 = *var. a* (optimæ figuræ). — *L. (Tarantula) Gasteinensis* ID. ib. p. 187, T. 501, f. 1402, ♀, (valde similis *var. b* nostræ). — *L. graminicola* WALCK. Apt. I, p. 312. — *Tarentula pulverulenta* THORELL Rec. crit. p. 57.

[illegible] magnitudine [illegible] 3 mm. Li-[illegible] [illegible]-brunnea, non [illegible] fuscus in-[illegible] minus linea-[illegible] pube pallida [illegible] lanceolata, in antica [illegible] dente [illegible] macule, [illegible] lineam subtilio-[illegible] pars po-[illegible] transversis griseo-albi-[illegible] ordi-[illegible] quae in illa [illegible] coeunt, [illegible] sed puncta [illegible] praesertim in [illegible] etiam in [illegible]-brunnea, [illegible] verius dicam, [illegible] semper [illegible] abdomi-[illegible] vestita. [illegible] magis breviter [illegible]-ovatum; [illegible] pube luteo-[illegible] a dentibus [illegible] supra [illegible] emissis, con-[illegible] sem-[illegible] L. cavata [illegible] ab hac hujus [illegible] scilicet [illegible] et lineribus [illegible] dispersis. [illegible] po-[illegible]

Habitat in locis silvaticis ad Gothob. In Scania et Blek., *Sundevall;* in Upl. *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.* Saccus ovorum diametro 5 mm., globosus, albidus, languide grisescens, zona albidiore cinctus.

24. **L. cuneata** (CLERCK): *Mas* thoracis dorso vitta lata albida, lateribus nigro-fuscis, margine griseo; abdominis lateribus ventreque griseo-albidis, dorso utrinque vitta nigra et in medio altera albida; hac sensim attenuata, anterius maculam lanceolatam luteo-brunneam, nigromarginatam includente, posterius utrinque dentes 4—6 in vittam lateralem nigram emittente (dentibus forsitan interdum a vitta disjunctis, et tunc seriem longitudinalem punctorum albidorum formantibus); tibiis anticis crassissimis, ovatis, utrinque impressione obliqua præditis.

Femina: vide infra.

Ar. cuneatus CLERCK p. 99, Pl. 4, t. 11. — *Lycosa (Tarantula) clavipes* KOCH in Herrich Schæff. Deutschl. Ins. fasc. 122, t. 19, 20. — *L. cuneata* SUND. A:o 1832, p. 187. — *L. armillata* WALCK. Apt. I, p. 317, 24 (exclus. syn. *A. barbipedis* SUND.). — *L. (Tarantula) clavipes* KOCH die Ar. XIV, p. 190, T. 502, f. 1403—4. — *Tarentula cuneata* THORELL Rec. crit. p. 62, et Om Clercks Original-Spindelsaml. p. 146, lin. 9 et 38.

Mas. Thorax longit. 3, pedes postici toti circiter 9—10, metatarsi et tarsi conjunctim $3^2/_3$ mm. Impressio lateralis tibiarum anticarum rufo-picea, erga lucem contemplata quasi subdiaphana, saltem in exemplis siccatis; articuli de cetero nigricant.

Femina vix minor quam *L. pulverulenta.* Metatarsi et tarsi postici conj. long. $4^1/_2$—$4^2/_3$, iidem articuli antici 3 mm. Thoracis vitta dorsalis et lateralis griseo-albidæ, quarum hæc magis evidenter quam in specie allata provenit. Abdominis vitta dorsalis non solum circa anticam partem signaturæ lanceolatæ, quæ antice ab illa includitur, sed secundum totam extensionem usque ad anum albidescens, quo colore ipsa latera et venter languidius picta sunt. In *L. pulverulenta* color illius vittæ, maxime dominans, luteo-brun-

neus est. Apertura sexualis foveam rotundiusculam repræsentat, non longiorem quam efficit latitudo baseos metatarsorum posticorum, et non latior quam efficit latitudo apicis horum, (an id recte a me visum?).

Ad Gubbero prope Gothob. a me capta mense Majo; in Scan. a *Sundevall* et *J. A. Carlsson;* in Upl. a *Clerck* et *Thorell* inventa. Multo minus frequens quam *L. pulverulenta,* saltem circa Gothob. In Ostrog. a *v. Post* inventa.

25. **L. leopardus** (Sund.): *Femina* thorace in dorso tantum pube luteo-testacea pilisque erectis nigris parce adsperso, nitido, quasi polito, mandibulisque nigris; abdomine dense murino-pubescente, dorso maculis nonnullis seriatis nigris; vitta normali antica lanceolata vel hastata non evidenter expressa; ventre luteo-brunneo; pedibus pallidis, saturate nigro-annulatis seu maculatis.

Mas: abdominis lateribus late nigris, dorso vitta, ex angulis transversalibus composita, luteo-testacea, antice pube densiore albida ornata; ad latera hujus vittæ serie punctorum albidorum; palpis gracilibus, parte femorali et duabus insequentibus parum vel vix crassioribus quam basis metatarsorum anticorum, lamina ordinaria parum crassiore quam pars tibialis, sive non crassiore quam apex tibiarum anticarum; tibiis et insequentibus articulis dense verticillato-pilosis; maculis nigris præsertim in femoribus 4 anterioribus subtus anticeque diffuse confluentibus.

Sund. A:o 1832, p. 189.

Femina: thorax longit. 4 mm., ad latera nudus, dorso, præsertim in parte cephalica, pube lutescente adpressa, parum densa induto; ubique nitidus; altitudo facialis parum major quam $1/3$ mandibularum; hæ elongato-conicæ, paullo crassiores quam femora antica, nitidiusculæ, nigræ, basi concolores simulque hic non indumento alio quam pilis nigris parce vestitæ. Abdomen ubique pube adpressa dense obductum, dorso pilis erectis vestito; pictura ordinaria in specimine lustrato, siccato, valde indistincta; e macula sub-

hastata, ad basin dorsi sita, non nisi punctum unum utrinque, lineolaque vel arcus brevis, mox succedens restant; hæc puncta denti laterali, et arcus apici postico maculæ memoratæ respondent, quæ ex. gr. in *L. fabrili* et *barbipede* evidentius adest; ex arcubus transversalibus in dorso restant rudimenta, quæ una cum serie utrinque in lateribus dorsi, e punctis formata, series tres longitudinales macularum fuscarum repræsentant; intervalla arcuum et punctorum lateralium pube albido-grisea parce adspersa; in specimine juniore observantur arcus nonnulli transversales fusci, posterius siti. Venter griseo-murinus vel luteo-brunneus. Pedes pallido-testacei, femoribus annulis 3—4, sive 3 distinctioribus, continuis, et 1 apicali obsoletiore, vel qui tantum superne remanet, tibiis et metatarsis annulis 2 nigris, etiam in exemplis siccatis evidenter remanentibus; annuli in his duobus articulis subtus vix continui; femorum annuli bini, basin versus locati, subtus vel in latere antico conflati, maculam magnam formant; femora omnia subtus pilis mollibus patentibus sat dense vestita, quo indumento etiam reliqui articuli quoquoversus sat evidenter induti sunt. Patellæ et tibiæ anticæ conjunctim longit. $3\frac{1}{3}$, metatarsi $2\frac{1}{4}$, hi una cum tarsis $3\frac{2}{3}$ mm., iidem articuli pedum posticorum long. $3\frac{2}{3}$, metatarsi 3, hi una cum tarsis $4\frac{1}{2}$ mm.

Mas: tibiæ et patellæ anticæ conjunctim $3\frac{1}{2}$, posticæ $3\frac{3}{4}$ mm. In structura palporum, fere eadem atque in *L. picta*, facile distinguitur a plerisque aliis *Lycosis*. In specimine lustrato adest etiam punctum griseo-albidum in sinu arcuum dorsalium abdominis. Glabrities thoracis etiam ut nota essentialis est consideranda.

Ad Gothob., et inter fucos e mare rejectos prope Sölvitsborg in Scania a Dom. *Sundevall*, in urbe Lund a *Dahlbom*, in Gottl. a *D. S. Högberg*, et ad Holmiam a *Thorell* inventa.

26. **L. cinerea** (Fabr.): *Femina* thorace longit 7 mm., cinereo, vitta laterali undulata fusca; mandibulis fusco-nigricantibus, ubique dense longeque pilosis, evidenter cras-

sioribus quam femora antica; abdomine cinereo, dorso utrinque serie macularum albidarum, harum anticis majoribus; ventre pallide cinereo; pedibus testaceo-pallidis, fusco-maculatis.

Ar. cinerea FABR. Ent. S. II, p. 23, N:o 60. — *Lycosa cinerea* SUND. A:o 1832, p. 190. — *Arctosa cinerea* KOCH XIV, p. 123, T. 488, f. 1358. — *L. allodroma* WALCK. Apt. I, p. 330?

Femina (corrugata). Pedes postici toti longit. 22, patellæ et tibiæ, simul sumtæ, 7 $1/2$, metatarsi una cum tarsis 9, pedes antici 18, patellæ una cum tibiis 7, metatarsi una cum tarsis 7 $1/2$ mm. Thoracis cutis pube cinerea, adpressa, et pars cephalica pilis erectis fuscis, longiusculis vestitæ; latera ornantur vitta utrinque sinuata fusca, sinu quoque externo macula marginali luteo-testacea, lætius colorata repleto; clypeus in angulo laterali et supra os luteo-testaceus; oculi laterales antici evidenter minores quam duo intermedii; mandibulæ valde robustæ, fere æque longæ ac tibiæ anticæ, et amplitudine ultra 1 $1/2$ majore quam femora antica, ubique pilis nigris et cinereis longis densius vestitæ. Abdominis pictura secundum descriptionem Dom. *Sundevallii* et *Kochii* e serie macularum albidarum, utrinque digesta constat; secundum Dom. *Koch* macula prima maxima est, antice fusco-cincta, et dorsum posterius arcubus transversis albidis ornatum. Pectus densissime griseo-albido-pubescens. Femora ornantur superne maculis 2 fusco-nigricantibus, patellæ basi annulo, vel potius macula supera, dimidiam partem articuli occupante; tibiæ et metatarsi annulo maculave supera basali et anteapicali, et hi articuli præterea apice fuscescentes; femora subtus et præterea toti pedes pilis subtilioribus, mollibus, sat densis et longis induti; pilis præsertim sub tibiis et metatarsis anticis erectis, extus flexis. Palpi colore pedum, parte femorali superne obsolete fusco-maculata, parte ultima apice piceo-fuscescente.

In Scan., Blek., Oel. et Gottl., ad litora maris et in campis arenosis a *Sundevall* capta. *Femina* descripta a *Thorell* mihi dono data, cujus speciminis locus natalis ei ignotus erat.

27. **L. picta** (HAHN): *Mas* thorace ubique pube grisea adpressa vestito; abdominis dorso luteo-albido, hoc colore utrinque per maculas nigras in maculas albidescentes diviso, exstantibus macula antica majore, per fuscedinem in medio dorsi a macula opposita disjuncta, tum macula secunda minore, et denique macula majore supraanali; spatio dorsali inter medium et anum arcubus nonnullis transversis obscurioribus notato; pedibus brunneo-testaceis, evidenter fusco-annulatis, annulo basali tibiarum latiore, saturatius expresso (anne subtus semper cohærente?); præsertim tibiis tarsisque anterioribus crebre verticillato-pilosis. Thorax long. 3 ½, patellæ cum tibiis posticis conjunctim 4 mm., tibiis per se 2 ⅔ mm.

Femina longit. thoracis 5 ½—6, patellarum una cum tibiis pedum posticorum 6 ½, tibiis per se 4 mm.; ventre cinereo (haud nigricante); femoribus et præsertim tibiis, et ad partem metatarsis anterioribus subtus pilis mollibus, extus flexis, albidis indutis; pectore pube adpressa griseo-albida omnino tecto.

L. picta HAHN die Ar. I, p. 106, T. 27, f. 79. — *Arctosa picta* KOCH ib. XIV, p, 130, T. 489, f. 1362—63.

Mas. Thorax pube grisea ubique indutus, pube in genis vel sub oculis 4 posterioribus in maculam vel arcum densius griseo-albidum congesta; mandibulæ nigro-piceæ, vix crassiores quam femora antica, duplo longiores quam efficit altitudo facialis. Palpi graciles colore pedum, parte femorali maculis 2, parte tibiali annulo basali, nigris; lamina ordinaria parum latiore quam pars tibialis, concolore; membro genitali nigropiceo. Abdominis latera posterius punctis nonnullis nigris seu fuscis adspersa; venter in exemplis, in spiritu vini asservatis, in fundo nigro-fuscus, at in siccatis forsitan e pube grisea magis pallescens; pone maculam, utrinque juxta basin dorsi sitam, insequitur aut macula simplex aut arcus duo minores nigri, qui punctum albidum includunt; tum insequitur macula albida, quam secundam vocavi, majuscula, hæc postice puncto vel arcu nigro cincta; dein succeditur macula tertia, magna; maculæ vel arcus nigri non alii sunt quam vitta

normalis nigra, quæ, in plærisque speciebus utrinque e nigredine basali exiens, in latera dorsi producta esse solet, cujus color autem per albedinem dorsalem diffusiorem obliteratur. Pedes pilis subtilibus, sat crebris vestiti; tibiæ et insequentes articuli pilis verticalibus induti. Pectus nigro-fuscum, pilis tantum erectis fusco-cinereis, haud simul pube griseo-albida adpressa vestitum; illius superficie (ut etiam sub femoribus et coxis) nitidiuscula. Patellæ et tibiæ anticæ conjunctim longit. 3 ½ mm., tibiæ per se 2 ½ mm.

Femina (certe huc referenda) pictura abdominis minus læta, an etiam in vivis?; thorax ut in *L. cinerea* pube densa griseo-albida tectus, et dorso cum lateribus fusco-undulatis, vel his vitta sinuata fusca notatis; in exemplis lustratis margo thoracis non signatus erat maculis semilunatis, lutescentibus, quæ in *L. cinerea* adsunt, et quibus sinus vittæ fuscæ implentur. Thorax longit. 5 ½—6, femora postica 5, patellæ cum tibiis conjunctim 6 ½, metatarsi una cum tarsis 8 mm., vel toti pedes circiter 19—20 mm.; femora antica long. 4 ¾, patellæ una cum tibiis 5 ⅔—6, metatarsi una cum tarsis 6 mm. Venter cinereo-albidus. Pectus in fundo fuscum, at cutis pube adpressa densa, griseo-albida omnino tecta, opaca, non nitida; coxæ et femora subtus etiam opaca et pube grisea adpressa, prætereaque uti toti pedes pilis mollibus erectis albidis vestita, his pilis præsertim sub tibiis et metatarsis pedum anteriorum evidentioribus, apiceque flexis, omnino ut in *L. cinerea*. Annulus medius fuscus in metatarsis evidentior, at annulus basalis tibiarum languidior quam in ♂. Mandibulæ paullo robustiores, vel quam femora antica paullo crassiores, piceo-nigræ, dense griseo-pilosæ.

In Blek. a *Boheman* capta.

28. **L. ruricola** (*De Géer?* Koch): *Femina* testaceo-fusca, thorace, longit. 6 mm., vitta marginali angustiore, aliaque dorsali, a basi ad frontem sensim dilatata, brunneo-grisescentibus, hac antice lineolas 2 longitudinales parallelas fuscas includente; abdomine griseo-brunneo, in

vivis sæpe olivaceo-tincto, lateribus fuscedine parum mixtis, sæpe obsoletius luteo- vel testaceo-punctatis, spatio medio dorsi antice linea lanceolata, ad medium extensa, testaceo-grisea notato, dorso dein plerumque unicolore sive nullis maculis vel arcubus transversis determinatis signato; pedibus testaceo-olivaceis, languidius fusco-maculatis; anticorum patellis et tibiis longit. conjunctim $4\frac{1}{4}$, metatarsis et tarsis conjunctim $4\frac{1}{2}$ mm., oculorum serie antica evidenter longiore quam secunda.

Mas: thorace abdomineque fuscioribus; vittis thoracis lineaque antica abdominis griseo-albidis, abdominis dorso pone illam lineam serie ex arcubus cinereis vel griseis et fuscis alternantibus, interdum tantum vitta subcontinua grisea, a vitta laterali normali fusca seu nigra (quæ e basi utrinque exire solet) inclusa signato; vitta fusca serie punctorum albidorum notata; tibiis, metatarsis tarsisque anticis piceis seu infuscatis, metatarsis iisdem regulariter sensim attenuatis, ubique angustioribus quam palporum pars tibialis, et quam metatarsi succedentes non crassioribus; patellis et tibiis anticis conjunctim longit. 4, metatarsis et tarsis conjunctim $4\frac{3}{4}$—5 mm.; palporum lamina ordinaria semper (?) fusciore quam articulus præcedens, sive colore fusco-brunnea.

Trochosa ruricola Koch XIV, p. 138, T. 491, f. 1369—70. — *Ar. ruricola* De Géer VII, p. 282, pl. 17, f. 1. et pl. 11, f. 13? — *Lycosa idem* Latr. Gen. Cr. & Ins. I, p. 120? — Sund. A:o 1832, p. 192, 18. — *L. agretyca* Walck. Apt. I, p. 308, 17, et *Aranea idem* Faun. Fr. II, p. 238 (?).

Femina a ♀ insequentis differt, præter magnitudinem majorem, colore vittarum thoracis, qui medium tenet inter griseum et brunneum, nec ut in hac magis ad ferrugineo-testaceum transit; pedes in hac etiam e colore testaceo saturatius tinguntur. Vitta fusca lateralis thoracis, quæ inter vittam marginalem et dorsalem griseo-olivaceas jacet, in *L. ruricola* pube hujusmodi coloris evidentius contaminata, hac pubescentia propter impressiones obliquas normales, fuscas, radios, quasi e vitta marginali emissos, formante (vitta illa

magis opaca, at in *L. terricola* e cute translucente subnitidior videtur); abdominis dorsum pone lineam basalem lanceolatam in permultis exemplis, a me lustratis, nulla pictura tam evidente atque in *L. terricola* signatum; arcus transversi tamen interdum rudimentarii; dorsi latera, ubi vitta fusca normalis adesse solet, plerumque unicoloria, restante sæpe serie e punctis fuscis, adjacente puncto cinereo vel griseo. Abdominis latera minus crebre fusco-nebulosa, at plerumque satis distincte pallido-punctata. Nigror, qui lineam basalem cingit, angustus, simplex, non dentem lateralem tam evidentem atque in *L. terricola* emittens. Animalculi viventis abdomen, obiter inspectum, plerumque languide olivaceum splendet. Pedes pallidius testaceo-olivacei, leviter griseo- vel fusco-maculati; tibiæ et præsertim tarsi colore ferrugineo tincti. Thoracis vitta marginalis ut in *L. terricola* versus summum marginem umbra fusca longitudinaliter persecta, hac umbra sæpe sat lata, unde vitta illa angustior evadit, intramarginalis dicenda, remanente summo margine pallido. Patellæ et tibiæ posticæ conjunctim longit. $4\frac{1}{2}$—5, metatarsi et tarsi conjunctim $5\frac{1}{2}$—6 mm. — Vitta dorsalis thoracis ut in *L. terricola, piratica* et *uliginosa* propter lineolas duas parallelas fuscas, in occipite ab illa inclusas, satis characteristica. Oculorum series antica quam secunda evidentius longior videtur, at in *L. terricola* non longior est, quantum videre possum.

Mas a ♂ insequentis differt vittis thoracis albo-grisescentibus, nec in colorem brunneum transeuntibus, una cum linea basali abdominis semper magis pallescentibus quam in ♀ huc pertinente et quam in utroque sexu *L. terricolæ*. Vittam intramarginalem ut in ♂ *L. terricolæ* in maculas liberas sæpius divisam non hactenus vidi. Pedum anticorum non solum tibiæ et metatarsi sed etiam tarsi nigropicei; in ♂ *L. terricolæ* autem art. tarsalis non aliter coloratus est ac reliquorum pedum tarsi, vel colore testaceo, semper abrupte pallidior quam metatarsi et tibiæ. Palporum lamina ordinaria fusco-picea, vel saturatius colorata quam articulus præcedens; in ♂ *L. terricolæ* lamina vix fuscior

occurrit, an semper? Nota quam maxime characteristica consistit in structura regulari, nec subfusiformi metatarsorum anticorum. Thorax longit. 4 1/2, patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 4 1/2, metatarsi una cum tarsis 5 1/2 mm.

Fine Maji feminæ, saccum ovorum gerentes, ad Gbg. captæ; hic globosus, albus, diametro 4—5 mm., ova 118 usque 160 continebat. In Scania usque ad Norrlandia a *Sundevall* inventa; in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

29. **L. terricola** (Thorell): *Femina* brunneo-testacea, thorace, longit. 5 mm., vitta marginali et dorsali ferrugineo-rufescentibus, hac antice lineolas duas parallelas fuscas includente; abdomine fusco, ad latera crebrius fusco-variegato et crebre pallido-punctato, dorso antice macula subhastata cinerea vel fusca, nigro-marginata, spatio inter illam et anum in fundo fusco-nigricante, maculis arcubusque cinereis notato; pedibus et patellis anticis conjunctim 3 1/2 mm.; metatarsis una cum tarsis fere eadem longitudine, (oculorum serie antica non evidenter longiore quam secunda).

Mas thorace abdomineque fuscioribus, illius vitta marginali plerumque in maculas dissoluta; abdomine in dorso uberius fuscescente, linea basali lanceolata griseo-albida seu cinerea signato; vitta normali laterali nigra serie punctorum pallidorum notata, his punctis vel liberis vel cum maculis, sive arcubus dorsalibus, minus læte albicantibus cohærentibus; pedibus brunneo-testaceis, anticorum tibiis articuloque metatarsali piceis vel infuscatis, hoc medium versus paullo incrassato, paulloque crassiore quam palporum pars tibialis, saltem non angustiore; quam metatarsi pedum succedentium evidenter crassiore; patellis et tibiis anticis conjunctim longit. 2 1/2—3, metatarsis una cum tarsis 2 2/3—3 mm.

Trochosa trabalis Koch XIV, p. 141, T. 492, f. 1371—74. — *Trochosa terricola* Thorell Rec. crit. p. 101.

A *L. ruricola* differt magnitudine minore; thoracis vitta dorsalis et marginalis non cinereæ, sed ferrugineo-

rufescentes; spatium inter vittas magis infuscatum, vel non propter indumentum ullum cinereum evidenter contaminatum (an semper?); illud fere subnitidum vel minus opacum videtur. Abdominis spatium dorsale pone lineam hastatam vel lanceolatam evidenter in maculas divisum; hæ maculæ interdum subobcordatæ, vel per fuscedinem, postice intervenientem, excisæ, vel interdum quasi lineolas duas obliquas antice convergentes referunt; inter singulam maculam observatur arcus griseus, cujus apex utrinque sæpe in punctum abruptus est, et tunc exstat series lateralis punctorum pallidorum, quæ a vitta laterali nigra, ut antea dicitur, excipiuntur; interdum est spatium illud tantum serie ex arcubus simplicibus signatum; latera abdominis diffusius infuscata, crebre pallido-punctata; linea basalis lanceolata e nigrore diffusius circumdata, hac nigredine plerumque in dentem lateralem producta, ut in nonnullis aliis speciebus, ex. gr. *L. fabrili* et *barbipede*. Pectus, exceptis pilis erectis nigris, nulla pube evidentiore grisea adpressa indutum, quæ in *L. ruricola*, ut mihi videtur, magis perspicua est. *Maris* mandibulæ, lamina ordinaria palporum et tarsus pedum anticorum non fusciora quam, ex. gr., femora; palporum pars tibialis non ut in *L. ruricola* tam evidenter longior (?) quam pars patellaris mihi videtur; metatarsi antici quasi elongato-ovales, at medio tantum leviter incrassati, quam metatarsi succedentes evidenter crassiores et quam palporum pars tibialis paullo crassiores (?), saltem non angustiores, qua in nota per se ♂ a ♂ *L. ruricolæ* statim dignoscitur. Oculorum series antica neutiquam longior quam secunda.

Ad Gothob. frequenter inventa, sub lapidibus et aliis vitam degens, similiter ac *L. ruricola*. In Upl., *Thorell*; in Ostrog., *v. Post*.

30. **L. piscatoria** (Clerck): *Femina* thorace longit. 5—5 ½ mm., saturate brunneo-fusco, nigro-pubescente pilosoque, subopaco, margine latius niveo-pubescente; abdomine

fusco, lateribus luteo-punctatis; mandibulis colore thoracis; pedibus fusco-luteo-olivaceis, immaculatis.

Ar. piscatorius Clerck p. 108, Pl. 5, T. 5. — *Potamia piscatoria* Thorell Rec. crit. p. 64.

Femina siccata nullam aliam picturam in abdomine quam puncta quædam dorsalia albida, in seriem utrinque digesta, hic illic remanentia repræsentat; latera abdominis punctis crebris luteis adspersa (an in vivis et ante fecundationem albedine mixtis?). Thoracis et reliquarum partium magnitudo eam ab *L. piratica* mox distinguit; ille et abdomen conjunctim longit. circiter 11 mm. attingunt, an ultra in vivis? — Color thoracis fuscus, in fundo quasi olivaceus; hujus cutis pube depressa pilisque erectis nigris tam dense obtecta, ut illa ubique satis opaca videatur, vel ut inter pubem et pilos parum nitida transluceat; thoracis fimbria nivea medio fere æque lata ac patellæ pedum, margine interno magis recta, nec excavata, sive hic non ut in *L. piratica* maxima parte paralleliter cum ipso margine thoracis ducta, sed antice posticeque acuminata (an id semper?). Pedes, erga lucem contemplati, quam in illa fusciores et minus pallide olivaceo-pellucidi; postici longit. 15 mm., femora per se 4, patellæ et tibiæ conjunctim 5, metatarsi et tarsi conj. 6, metat. per se $4^1/_3$ mm.; pedum anticorum patellæ et tibiæ conj. circiter 4, metat. et tarsi conj. $4^1/_4$, metat. per se $2^2/_3$ mm. Oculi intermedii antici a lateralibus anticis vix brevius quam inter se distant. Angulus clypei et mandibulæ fuscæ nitidiora. Pedes ut in *L. piratica* pilis subtilioribus dense vestiti, et pilis verticalibus paucis, supra longitrorsum sparsis, etiam ut in illa haud insigniter longis, ita ut, ex. gr., illi in tibiis anticis diametrum tibiarum non superare videantur. Abdomen in exemplis lustratis detritum esse videtur; an in completis exemplis indumento quodam niveo laterali vestitum. In dorso posterius restant series duæ e punctis 3—4 niveis. Tibiæ et insequentes articuli fusciores quam femora.

Seniores in Upl. a *Clerck*, et in Westrog. a *Thorell*, juniores in Ostrog. a *v. Post* inventi.

31. **L. piratica** (CLERCK): *Femina* thorace breviter pilosulo, nitidiusculo, fusco-olivaceo, linea dorsali, antice tricuspidata, vittaque marginali flavescentibus, hac extrorsum pube albida nitente obducta; abdomine colore thoracis, dorso antice macula lanceolata lutea, fusco-marginata, hoc margine iterum utrinque albido-marginato, albedine postice confluente et sæpe dein in seriem punctorum continuata; dorso posterius utrinque serie e punctis 3—5, lateribusque punctis et striolis crebris, colore albidis nitentibus ornatis; mandibulis, palpis pedibusque immaculatis, luteo-olivaceis.

Ar. piraticus CLERCK p. 102, pl. 5, t. 4. — *Aranea piratica* WALCK. Fn. Par. II, p. 239. — *Lyc. idem* ID. Tabl. d. Ar. p. 14, — HAHN die Ar. I, p. 107, T. 27, f. 80. — SUND. A:o 1832, p. 193. — WALCK. Apt. I, p. 339. — *L. (Potamia) id* KOCH XV, p. 1, T. 505, f. 1413—14.

Speciei insequenti valde similis. Ab hac differt colore thoracis, mandibularum et pedum minus fusco, his non evidenter fusco-maculatis. Ut mihi videtur sunt oculi laterales antici ab intermediis magis evidenter brevius quam hi inter se separati, intervallo longitudine vix diametrum illorum oculorum attingente, an id in exemplis siccatis tantum?; prætereaque forsan hæc differentia inter *L. piraticam* et insequentem, ut ægre observanda, non ut constans sit consideranda. E pube albida in *L. uliginosa* vix ulla alia adest quam series e punctis 3—4 in utroque latere abdominis dorsi; magnitudo in hac paullo minor. Thorax longit. $3\frac{1}{3}$ mm.; ille paullo nitidior apparet. Pedes postici longit. 11—12, patellæ et tibiæ conjunctim $3\frac{1}{2}$, metatarsi et tarsi conj. $4\frac{1}{3}$ mm. Mandibulæ et maxillæ cum pectore luteo-olivaceæ, hoc unicolor, an interdum ut in *L. uliginosa* utrinque fuscescens (?). Saccus ovorum globosus albidus, diametro longit. 4 mm.

Habitat ad Gbg. ad ripas lacuum, ad stagna aliasque aquas. In Scan., Blek., Bah. et Upl. a *Sundevall*, in Jemtl. et Lapp. a *Boheman*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell* capta.

32. **L. uliginosa** (THORELL): *Femina* thorace fusco, parum olivaceo-tincto, margine summo nigricante (non pube nivea obducto), vitta intramarginali et media flavescentibus, hac antice tricuspidata; abdomine saturatius fusco, vitta media maculari luteo-testacea, et utrinque pone medium serie e punctis 3—4 niveis; pedibus olivaceis, evidenter fusco-annulatis, etiam in siccatis (oculis lateralibus anticis ab intermediis anticis vix evidenter brevius quam hi duo inter se distantibus, intervallo illorum long. diametrum oculorum evidentius attingente).

Var.? tibiis anterioribus infuscatis; abdominis latera unicoloria, in pullo punctis sparsis albidis.

Potamia uliginosa THORELL Rec. crit. p. 111.

Femina, præsertim varietatis supra memoratæ, simillima *L. pallustri* KOCH XV, p. 4, T. 505, f. 1416, at thoracis margo niger non pube nivea obtectus; superficies ejus non maxima parte nigra, neque deficit linea dorsalis flavescens, antice tricuspidata. *Varietas* illa, ad Holmiam a Dom. *T. Thorell* inventa, tibiis præsertim 2 anticis infuscatis, mihi huc usque non obvia, sed sine dubio non nisi ad nostram arаream referenda est. Thorax longit. 3 mm., patellæ et tibiæ posticæ conjunctim 3 1/4 mm., ille paullo densius quam in *L. piratica* pilosus, undeque minus nitidus videtur (?). Linea intramarginalis flavo-olivacea evidenter adest, at margo summus certe numquam pube nivea tectus, sed nudus, niger; pictura reliqua thoracis similis atque in *L. piratica*. Mandibulæ rufo-brunneæ, minus evidenter colore olivaceo tinctæ. Maxillæ fere eodem colore. Pectus fuscum, vittula media flavo-olivacea notatum. Abdominis dorsum in exemplis completis ornatur vitta luteo-testacea, quæ antice quasi furcata est, hic maculam fuscam circumdans; inter hanc et anum in maculas 3—4 deinceps minores continuata; macula antica, inter furcam jacens, forsitan sæpe in disco luteo-testacea, sive hic lineola sublanceolata notata, ut in figura N:o 1419, a Dom. *Koch* in T. 506 Partis XV, pag. 6 pro *L. piscatoria* data; maculæ insequentes quasi giminatæ, ut in figura allata, forsitan interdum in lineam vel vittam con-

fluentes. Exempla, in spiritu vini asservata, picturam abdominis lætiorem repræsentant. Latera abdominis unicoloria, nisi striolis nonnullis pallidis ornata, neutiquam ut in *L. piratica* densius albido-pubescentia. Intervallum oculorum 2 intermediorum seriei anticæ vix ut in *L. piratica* diametrum oculorum paullo superat, immo vix attingit; quam ob causam oculi intermedii a lateralibus non vel parum evidenter brevius quam inter se distare videntur; si intervallum inter oculos intermedios et laterales bene inspicias, illud tibi æque longum ac diameter horum oculorum videbitur, vix autem ita in *L. piratica.* Hæc differentia forsitan in vivis minus perspicua est, quare rogare vellem ut reliquas notas ut magis constantes consideres.

Varietas feminina paullo minor, non differt nisi pedibus extrorsum lurido-infuscatis; hic color præsertim in tibiis et tarsis anterioribus evidentior est.

In fossis aquaticis exsiccatis, inter plantas altiores, in silva Rya in insula Hisingen, prope Gothob., feminæ, saccos ovorum gerentes, captæ; saccus diametro 3—3 ½ mm., globosus, albidus; ova 50—60. Ad Holmiam in Upl. a *Thorell* inventa.

II. DOLOMEDES Walck.

Thorax minus alte carinatus, vel dorso subæqualiter convexus, hoc pone medium canalicula magis lata impresso; pars cephalica obsolete distincta, fronte in ♀ paullo latiore, in ♂ angustiore quam ½ thoracis latitudinis mediæ; spatium faciale ad os sensim declive, non perpendiculare. Oculi ut in *Lycosa* in series tres transversas dispositi, vel ordine 4, 2, 2, at series antica evidenter longior quam secunda, a margine clypei evidenter longius quam a serie secunda sita; oculi hujus seriei et oculi seriei tertiæ in lineam communem retrorsum arcuatam dispositi esse dici queant, vel postici inter se fere ultra duplo longius quam secundi separati et ab his perparum longius quam hi ab anticis distantes. Abdomen ut in *Lycosa.* Pedes similiter constructi et aculeati

atque in illius generis *Sectione II:da*, at aculeus supra apicem patellarum 4 posteriorum adest ut in *Sect. I*, hoc aculeo vix longiore quam diameter patellæ; pilus supra basin autem non ut in *Lycosis* utriusque Sectionis adest; pili verticales pauci, qui longitrorsum supra tibias et tarsos in *Lycosis* et pluribus aliis sparsi sunt, parum manifesti, breviores quam diameter tibiarum.

Habitatio ad paludes et alia loca aquatica præsertim nemorum.

1. **D. fimbriatus** (Clerck): thorace vel fusco vel in varietatibus luteo-brunneo, in junioribus sæpe olivaceo, linea intramarginali albida notato, hac in exemplis fuscioribus sæpe plus minus pube detrita, restante fundo lineæ, colore lutescente; abdomine fusco vel olivacescente, vitta laterali albida.

Ar. fimbriatus Clerck p. 106, Pl. 5, t. 9; *Ar. undatus* ibidem, p. 100, Pl. 5, t. 1, et *Ar. plantarius* ibidem, p. 105, Pl. 5, t. 8. — *Ar. fimbriata* Linn. Fn. Sv. Ed. 2, p. 489, 2012; *Ar. virescens* ibidem p. 491, 2022. — *Ar. paludosa* De Géer VII, p. 278, pl. 16, f. 9—12 — *Ar. marginata* ibidem p. 281, pl. 16, f. 13 & 14. — *Ar. fimbriata* Fabr. Ent. S. p. 421, 53. — *Dol. marginatus* Walck. Tabl. d. Ar. p. 16, 1, et *Dol. fimbratus* p. 16, 2. — Hahn die Ar. I, p. 14, T. 4, f. 10. — *Dol. limbatus* ibidem, p. 15, f. 11. — *Dol. marginatus* ibidem, f. 12. — *Dol. riparius* ibidem, II, p. 59, T. 64, f. 148; *Dol. plantarius* ibidem, p. 60, T. 64, f. 149. — *Dol. fimbriatus* Sund. A:o 1832, p. 194, 1. — Walck. Apt. I, p. 345. — Koch XIV, p. 116, T. 485, f. 1352—53.

Fem. et *Mas.* *Femina* thorax longit. 7, pedes postici circiter 25, antici 22, patellæ et tibiæ posticæ conj. 9—10, hi ambo articuli pedum anticorum 8 mm. Abdomen antice plerumque linea lanceolata vel subhastata luteo-brunnea; inter illam et vittam lateralem albidam incipit series, ad anum decurrens, e punctis 6—7, et pone apicem lineæ lanceolatæ adsunt series duæ parallelæ e punctis 3—4 niveis, uno alterove sæpe detrito. Abdominis vitta lateralis albida in exemplis non fecundatis plerumque quasi gemina, sive in medio longitrorsum maculis punctisve congestis adspersa,

fere lineam fuscam referentibus; in exemplis, ovis distentis, latera abdominis potius albido-marmorata dicenda. Pedes olivaceo-brunnei, femoribus subtus infumatis. Specimen masculinum, in Uplandia a Dom. *T. Thorell* inventum, thorace pedibusque testaceo-luteis, area, ab oculis occupata nigricante; rudimentis vittæ intramarginalis albidæ, femoribus subtus concoloribus, fronte angustiore, vel vix $\frac{1}{2}$ thoracis lutitudinis mediæ attingente, marginibusque magis circularibus; pedibus posticis longit. usque 29—30 mm., patellis et tibiis ejusdem ordinis conjunctim 10 mm. In utroque sexu oculi postici setulis erectis, antrorsum flexis postice cinguntur. Mas, in Lapponia captus, multo minor quam specimen supra descriptum; thorax longit. 5, pedes postici circiter 21 mm., scilicet: femora 6, tibiæ et patellæ conjunctim 7, metatarsi $4\frac{1}{2}$, tarsi $3\frac{1}{2}$ mm.; pedum anticorum tibiæ et patellæ conjunctim 6, metatarsi 4 mm.; color thoracis etiam luteo-testaceus seu ferrugineus; vitta marginalis albida distincta. Maris palporum pars tibialis apice spinulis quibusdam instructa, quarum una sat longa, calcariformi, in latere exteriore sita, membroque genitali apice stilo extus uncato instructo.

Habitat præsertim in silvis, inter plantas aquaticas lacuum et paludum. Mense Augusto plures feminæ juxta saccos ovorum, plantis affixos, inveni; saccus globosus, sordide luteo-cinereus, diametro 10 mm., intrinsecus lana albida obductus; 20 Augusti pulluli exclusi, in sacco singulo ad 350 numerati. Exempla plura ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* et *N. J. Andersson* inventa. In Scan., Gottl., Smol., Ostrog. et Upl., *Sundevall;* in Upl. etiam a *Clerck* et *Thorell* captus.

III. OCYALE Savigny.

Thorax posterius humilis, leviter convexus, canalicula media angusta longiuscula impressus; parte cephalica alte convexa, lateraliter distincta, præsertim supra insertionem palporum, a quo loco genæ in directionem rectam, immo

paullo divergentem procurrunt; spatium faciale, præsertim clypeus omnino perpendicularis. Oculi dispositione fere ut in *Dolomede;* oculi 2 postici tamen ab oculis 2 secundis nulla discrepantia longius quam hi a 4 primis distant; omnes 8 minuti dicendi. Abdomen elongato-ovatum, subconicum. Pedes proportione 4, 2, 1, 3, femoribus secundis nonnihil longioribus quam prima; pedes sat graciles, et unde etiam longiusculi videntur; tibiæ anticæ triplo longiores quam patellæ; posticæ adhuc longiores; femora superne parum arcuata. Pedum aculeorum numerus fere idem atque in *Lycosa* et *Dolomede;* longiusculi ut in *Lycosarum Sectione I;* patellæ 4 posteriores supra apicem aculeo et supra basin pilo singulo; in laterum medio autem non ut in *Lycosa* et *Dolomede* aculeo ullo instructæ; tibiæ et tarsi superne ut in *Dolomede* pilis gracillimis, verticalibus, vix nisi brevibus vestita. Feminæ palporum articulus ultimus evidenter longior quam duo præcedentes, simul sumti (ille articulus in *Lycosa* et *Dolomede* hanc proportionem aut æquat aut illi cedit).

1. **O. mirabilis** (CLERCK): thorace abdomineque supra aut fusco aut griseo, aut luteo-cinnamoneo, illo linea media angusta albida seu luteo-albida, genisque dense albidis; abdomine conico, area dorsali, a vitta laterali albida inclusa, fusca, grisea vel luteo-brunnea, marginibus irregulariter sinuata; ventre lineolis vel punctis albidis notato. Præsertim juniores pictura valde variant.

Ar. mirabilis CLERCK p. 108, Pl. 5, t. 10 (oculi male delineati). — *Ar. rufo-fasciata* DE GÉER VII, p. 269, Pl. 16, f. 1—3. — *Aranea mirabilis* WALCK. F. par. p. 236, et *Dolomedes id.* Tabl. d. ar. d. 16. — LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 117. — *Ocyale mirabilis* SUND .A:o 1832, p. 193. — *Dol. mirabilis* HAHN die Ar. II, p. 35, T. 51, f. 120. — WALCK. Apt. I, p. 356, 9. — *Ocyale id.* KOCH die Ar. XIV, p. 107, T. 482, f. 1346. — *O. rufofasciata* ib. p. 110, T. 482, f. 1347.

Femina thorax longit. 4½—5, pedes postici 22, metatarsi cum tarsis conjunctim usque 8—9 mm. Saccus ovorum globosus, albidus vel languide lutescens, diametro long.

7—8 mm. Pulluli 17 Julii exclusi, ad 190 numerati. *Mas* palporum pars tibialis in apicis latere externo spina acuminata, extus nonnihil flexa, hac in basi superne penicillo vestita; illa propter adpressionem ad bulbum ægrius nisi tantum quoad apicem uncatum discernenda; membrum genitale globosum, una cum lamina pyriformi duplo ampliora quam femora antica, illud haud spinulis quibusdam insignibus ininstructum. Uterque sexus pedibus gracilibus, aculeis in tibiis anticis diametro articuli duplo longioribus. Frons cum clypeo trapezoidaliter a pube albida genarum inclusa; præsertim hic et mandibulæ quasi polita, nitida. Pectus dense pubescens, pube sæpe in lineam mediam longitudinalem densius conglomerata. Margo thoracis aut subnudus aut late albidopubescens. In una varietate observatur lineola longitudinalis in troque latere occipitis, ut in figura *Kochii* (f. 1346), et præterea est pubescentia intramarginalis plerumque lineatim digesta; linea dorsali media usque ad frontem procurrens; in altera pulcherrima varietate (*O. rufofasciata* Koch) observatur, loco lineæ mediæ angustæ thoracis, vitta æque lata vel latior quam femora, colore luteo ochracea; in abdomine vitta ejusmodi adest, quæ secundum totum dorsum ducta est. Inter has varietates aliæ occurrunt. quarum alia in aliam sensim transit; hæ varietates præsertim apud juniores occurrunt.

Habitat in locis silvaticis, etiam in montosis ad Gothob.; sæpe in ramulis ericæ pulluli congregati, textura globosa, ab iis ipsis comparata, circumdati mox post exclusionem inveniuntur. In Scan. et Norrlandia, *Sundevall*; in Blek., *Boheman*; in Upl., *Clerck* et *Thorell*.

IV. SPHASUS Walck.

Thorax altus, semicylindricus; parte cephalica tam alta, ut ambitus, ab antice contemplatus, haud exacte semicircularis sed fere semiellipticus videatur; altitudo facialis eam ob causam paullo major quam latitudo clypei evadit. Oculi longitrorsum per paria dispositi, vel ordine 2, 2, 2, 2,

duo secundi majores, una cum anticis, qui minimi sunt, in trapezium dispositi; iidem (secundi) una cum oculis 4 succedentibus, qui paullo minores sunt, aream hexagonam satis æquilateram occupantes, ideoque sunt tertii paris inter se maxime distantes. Clypeus una cum spatio, ad oculos serei 2:dæ directo, perpendicularia. Mandibulæ tenues, subconicæ, non crassiores (potius paullo angustiores?) quam femora antica et non longiores, sed potius paullo breviores quam spatium faciale. Maxillæ lineares, paralleliter porrectæ, satis elongatæ, vel apicem mandibularum attingunt. Abdomen inæqualiter ovatum, vel antice latum, posterius abrupte angustatum. Pedes graciles, proportione 1, 2, 4, 3, primi et secundi subæqualiter longi, utriusque, saltem primi paris tibiæ et metatarsi evidenter longiores quam iidem articuli pedum posticorum; aculei pedum longiores sunt, in tibiis anticis 3:plo longiores quam diameter articuli; aculeis numerosis armati; patellæ omnes supra apicem aculeo æque longo atque aculei tibiarum; præterea aculeo basali paullo breviore et graciliore. Secundum Dom. *Walckenaer Sphasus* inter folia pro cura progeniei nidificat; num aliter atque *Ocyale* et *Dolomedes?*, qui saccum ovorum versus exclusionem pullulorum in ramulo quodam vel plantis affigunt.

1. **Sph. lineatus** (LATR.): *Femina* (in spiritu vini asservata, pube ad partem detrita) rufo-picea, capite thoracisque lateribus infuscatis, vitta gemina pone medium dorsi, e pube albida formata, rudimentaria; abdomine macula oblonga basali nigra, præsertim anterius rufo-pallido-marginata; lateribus lineis 2—3 obliquis dorsoque in medio pone maculam oblongam nigram arcubus angustis transversis, in seriem dispositis, pallido-rufis (hac pictura certe in illæsis pube albida ad partem tecta); lateribus inferius ad ventrem pube densa albida; pedibus rufo-brunneis; femoribus, excepta basi posticorum, fere totis piceis, tibiis metatarsisque in basi, medio et apice puncto utrinque piceo-nigro, his punctis, obiter inspectis, instar annulorum se repræsentantibus.

Oxyopes lineatus LATR. Gen. Cr. et Ins. I, p. 117, spec. 2, T. 5, f. 5, et T. 4, f. 9. – *Sphasus* idem KOCH III, p. 12, T. 77, f. 171—72. – WALCK. Apt. I, p. 375, 8.

Thorax longit. $2^3/_4$ mm. Spatium faciale fere altius quam latius, unde ambitus partis cephalicæ semicirculum paraboloideum describit, h. e., si thorax postice æque altus atque antice esset, tunc ille quam semicylindrus altior videretur. Oculi duo primi in medio vel potius paullo supra medium spatii facialis siti, vel ab ore tam longe dissiti atque efficit longitudo saltem 5:plo diametri unius oculi; inter omnes minimi, inter se æque longe dissiti atque efficit longitudo dupla diametri unius oculi; oculi seriei secundæ maximi, distantiores quam primi, vel una cum his in trapezium dispositi; distantia inter illos et hos vix tam longa atque inter hos duos invicem; oculi seriei tertiæ distantissimi, similiter atque oculi ultimi paullo minores quam oculi seriei secundæ, una cum illis et his aream hexagonam, satis æquilateram occupantes. Clypeus una cum fronte, ab antice et in directione horizontali contemplata, oculos 6 anteriores evidenter repræsentant; oculi 4:ti, in illo statu ægre discernendi, in summo vertice siti. — Color thoracis rufo-piceus, vertice lateribusque infuscatis, superficie hic illic pube rariore albida, forsitan in exemplis non detritis densiore obducta; clypeus linea verticali media pallido-rufa, pube albida densiore tecta notatus, quo indumento genæ et præsertim vittæ duæ dorsales, basin versus sitæ investiuntur (ut in figura, a Dom. *Koch* data). Abdomen antice latum, pone medium ad anum citius angustatum, subpyriforme, in specimine detrito rufo-piceum; cinctura maculæ nigræ basalis, lineolæ 2—3 utrinque in lateribus ut et series dorsalis pone maculam nigram, ex arcubus transversis formata, rufo-testaceæ sunt, sine dubio in illæsis pube albida densius obtectæ, ut demonstrat figura Dom. *Kochii*. Pedes proportione ut mihi videtur, 1, 2, 4, 3, secundum *Latreille* 1, 4, 2, 3; secundi et quarti parum discrepant, in specimine lustrato, forsitan juniore, deinceps 9, $7^1/_2$, $6^1/_2$, 7 mm. longi; patellæ anticæ paullo breviores quam $^1/_2$ tibia-

rum; femora præsertim anteriora non ubique infuscata, potius longitrorsum fusco-lineata dicenda, ita ut lineæ, præsertim singula inferior rufa relinquatur; femora postica a basi saltem ad $^1/_3$ rufo-pallida vel pallida; apex patellarum et reliqui duo articuli in basi, medio et apice puncto utrinque nigro notati, vix annulis continuis cincti, quod melius observatur in pedibus subtus, ubi annuli haud coire videntur, saltem non in tibiis anterioribus; tibiæ et reliqui articuli longe aculeati, illæ in ipso apice aculeo utrinque haud ullo distincto armatæ, quem aculeum autem figura Dom. *Kochii* adesse demonstrat. Aculei in tibiis anticis et fere in metatarsis evidenter triplo longiores sunt quam diameter tibiarum. Tarsi subtus scopulis carent. Pectus, coxæ et femora subtus pube albida vestita, hoc indumento, bene inspecto, ad partem quasi e squamulis tenuibus adpressis constante; pili erecti non tam pure albidi ac squamulæ. Pectus præsertim indumentum squamulæforme repræsentat. Venter longitrorsum fuscus, utrinque dense albido-pubescens, pube in specimine lustrato juxta ventrem magis congesta, lineam saturatiorem longitudinalem formante.

Femina unica, in spiritu vini asservata, in Lapp. capta, a Dom. *Boheman* benevole mihi dono data est. Nescio an specimen descriptum perfecte explicatum sit, quod mihi haud contigit extricare.

Obs. Oculi seriei 3:tiæ non alii sunt quam qui lateralibus seriei 1:mæ in congeneribus respondent, et qui in *Sphaso* longe ad latera frontis pone seriem 2:dam retracti sunt. Oculi seriei 2:dæ et 4:tæ oculis seriei 2:dæ et 3:tiæ in iisdem araneis respondent; in quadratum fere exactum, nec in trapezium evidens dispositi.

FAM. VI. ATTIDAE SUND. (*Saltigradae* LATR.).

I. SALTICUS LATR.

Descriptio Dom. Sundevallii: "Cephalo-thoracis pars thoracica minor quam pars cephalica, conica; usque a sutura verticis sensim declivis et attenuata. Pars cephalica abrupte altior quam thoracica, subcubica, lateribus perpendicularibus et vertice quadrato planis. Oculi 8: omnes marginem verticis anticum et lateralem cingentes, aream quadratam (nec transversam) delineantes: anteriores medii maximi, approximati; anteriores laterales minores, in angulis verticis anticis; 2 postici adhuc paullo minores, in angulis verticis posticis dispositi; reliqui 2 (= posteriores medii reliquarum aranearum) minimi, intra planum horizontale verticis siti, sursum spectant; ceteri autem omnes 6, in parte verticali capitis dispositi, circumspiciunt. Corpus angustum, nudum. Pedes thorace plus duplo longiores, tenues; tarso parum tenuiore quam reliqui articuli; patella duplo breviore quam tibiæ. Mamillæ textoriæ minutæ, non prominulæ."

1. **S. formicarius** (DE GÉER): thorace pedibusque rufis, vertice nigro, abdomine piceo, in ♀ albo-maculato.

Lister tit. 34? — *Ar. formicaria* DE GÉER VII, p. 293, pl. 18, f. 1, 2. — WALCK. F. par. N:o 110. — *Attus form.* WALCK. Tab. p. 26; Apt. I, p. 470. — *Salticus form.* KOCH XIII, p, 38, T. 438, f. 1101 & 1102.

Secundum Dom. *Sundevall:* "maris thorax longit. 2 "mm., latitudine duplo longior et parum humilior; oculis "posticis exacte ad medium totius longitudinis. Mandibulæ "longit. ²/₃ thoracis, et simul sumtæ eo parum angustiores,

"fere porrectæ, arcte conniventes, rectæ, superne planæ, "apice angustatæ et truncatæ; unguis ipsa mandibula parum "brevior. Palpi longit. mandibularum, simplices, clava ovata, "acuminata, parum pilosa. Pedes proportione 4, 1, 2, 3, "setis paucis brevibus armati; antici reliquis paullulum cras-"siores, postici thorace duplo et dimidio longiores. Abdo-"men oblongum, thorace multo minus, in individuis siccatis "sat durum, lævissimum, nitidum.

"Color rufus, thoracis parte cephalica superne nigra. "Mandibulæ et abdomen picea, apicem versus nigra. Palpi "nigri, parte basali et femorali rufis. Pedes pallidius rufi, "anticorum femora et metatarso, lineisque reliquorum nigris.

"*Femina* (secundum *De Géer*) similis mari, sed differt "mandibulis brevioribus (longit. circiter 1/4 thoracis?), tere-"tibus, fere perpendicularibus. Abdomen thorace majus, "maculis 2 albis pone medium dorsi oppositis. Femora an-"tica non distincte nigra. Palpi etiam in femina extrorsum "dilatati.

"Rarius inventus: in litore maris insulæ Fogelen "prope Upland. (*De Géer*), et in pratis Gottlandiæ ad Far-"dum (ipse). Celeriter currit salitque, plerumque autem "latet in nido oblongo, dense sericeo, albo, utrinque aperto, "sub lapide quodam constructo. (Vide Sund. A:o 1832, p. 199).

II. ATTUS Walck.

Thorax parte thoracica major quam cephalica, postice ambitu semielliptico, nec basin versus sensim angustata, in plerisque superficie pube adpressa, opaca, sericea vel metallico-micante vestita, pone medium dorsi canalicula obsoleta, sæpe indumento occultata. Frons truncata plerumque parum argustior, quam efficit latitudo media thoracis, antice ultra marginem clypei porrecta, vel hoc in directione sua introrsum ad basin mandibularum directo. Oculi aream parum latiorem quam longiorem, fere quadratam occupant, ut in *Saltico* in formam ferri equini dispositi; oculi duo intermedii antici, qui maximi sunt, certo lumine in vi-

[illegible] ... tendent.
[illegible] ... in mare
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ... quam
[illegible]
[illegible]
[illegible] ... praeterea
[illegible] ... endente:
[illegible]
[illegible] ... insignia ...
[illegible] ... praedas ...
[illegible]
[illegible] ... interpositis ...
[illegible] ... manus ...
[illegible] ... subsistunt, et ...
[illegible] ... tectum. Libentius
[illegible] ... plantis, arbo-
[illegible]

[illegible]

[illegible] ... paucis sed simul
[illegible] ... obductum, pi-
[illegible] ... in Sect. II

e colore ipsius cutis, inter pilos translucentis, pendet. Species nonnullas dubias, non determinandas, vide sub Sect. III.

A) Tibiæ et metatarsi anteriores non aculeis ullis distinctis armata; iidem articuli pedum posteriorum etiam inermes. (Pictura albida potius e squamulis adpressis quam e setulis formata).

1. **A. histrionicus** (KOCH): *Femina* abdomine nigro, supra dense adpresso-fusco-pubescente, fascia basali, linea seu arcu laterali, uno ante unoque pone medium, et plerumque tertio minore juxta anum, oblique positis, albidis notato, intervallis arcuum nigris deorsum longe infra latera abdominis descendentibus, apicibus inferioribus arcuum albidorum aut in ♂ subliberis aut in ♀ cum pubescentia ventrali laterali albida confluentibus; ipso ventre vitta lata pure nigra. Thorax longit. $2^2/_3$—3 mm., fascia transversa sive macula supra oculos medios anticos, et altera utrinque pone oculos seriei tertiæ, albidis. *Mas:* mandibulis horumque unguibus vix brevioribus quam thorax; palpis jam totis nigris, jam parte patellari et tibiali fusco-testaceis; partis tibialis apice in spinam calcariformem (apice cuspidato introrsum curvatam nec totam rectam) producto.

Ar. scenicus CLERCK Pl. 5, t. 18 (at descriptio p. 117 indicat *Clerckium* exempla *Atti scenici* (N:o 2, infra descripti) etiam ante oculos habuisse; vide synonyma sub N:o 2 infra). — *Ar. albo-fasciata* DE GÉER VII, p. 287, pl. 17, f. 8—10 (ad partem). — *Attus scenicus* HAHN Mon. Ar. IV, pl. 1, f. A et B, et *Salticus idem* die Ar. I, p. 57, T. XV, f. 43 et 44 (?). — *Attus scenicus* SUND. A:o 1832, p. 202. — *Calliethera histrionica* KOCH XIII, p. 42, T. 439, f. 1110—11. — THORELL Rec. critica p. 68, et Om Clercks Original-Spindels. p. 147, lin. 5 et 26, et p. 149, lin. 11 ab infra.

Fem. et *Mas.* Femina thoracis longit. $2^2/_3$, interdum usque 3 mm.; ille ut in *A. scenico* in margine et clypeo albido-pubescens; mox pone oculos 4 anticos aut fascia transversa aut maculis 3, transversim positis, harum præsertim media magna et semper remanente, et in medio dorsi signatura X-formi notatus, colore albidis; hujus signaturæ furca an-

tica albissima, plerumque in maculas duas oblongas, mox pone oculos posticos oblique positas partita, furcaque postica potius ex orichalceo et cupreo-micans, sæpe obsoleta. Spatium inter fasciam sive maculam majorem, pone oculos medios anticos sitam, et signaturam allatam numquam ut sæpe in *A. scenico* squamulis orichalceo- vel æneo-albidis repletum (?). Intervalla nigra inter arcus laterales abdominis fere secundum totam extensionem ad ventrem læte expressa, h. e. illa non e squamulis albidis s. griseis contaminata sunt, quæ pubescentia (albida) nón prius quam prope latera ventris observatur, ubi vittam, in ♂ angustiorem, in ♀ latiorem format, et utrinque vittam ventralem nigram includit; vitta ventralis nigra distinctissima, unicolor, interdum tantum una vel altera squamula albida, inter se remotis adspersa, nec ut in *A. scenico* squamulis ejusmodi creberrimis obducta. *Mas* quoad picturam ventralem a ♂ *A. scenico* ægrius dignoscendus; ille ab hoc constanter differt palporum partis tibialis productione calcariformi, h. e. ipse apex hujus introrsum curvatus est; in specie allata illa productio spinam sensim et cuneatim acuminatam, rectam, sive dentem format; membrum genitale, quod a lamina ordinaria obvolvitur, dimidiato-pyriforme, vel basi tumidum, dein attenuatum, longitrorsum laminæ adnexum, apice non longe ab apice laminæ retracto; mandibulæ sæpe piceæ, extus nigricantes, vix breviores quam thorax. Pedes pallidi variant femoribus, patellis et tibiis aut maxima parte nigris aut istis in apice, illis et his ad partem nigris.

In fenestris et parietibus exterioribus domuum, sole radiatis, ad Gbg. frequentissimus; etiam in plantis, sub lapidibus sæpium et alibi versatur. In Scan., *Sundevall*, in Lapp., Dovrefjell et ad Trondhjem, *Boheman*, in Ostrog., *v. Post.* In Upl. multo rarior est quam *A. scenicus*, teste *Thorell.*

2. **A. scenicus** (Clerck): *Mas var. a.* thorace longit. 2 mm.; mandibulis horumque unguibus vix evidenter brevioribus quam thorax; palporum partis tibialis apice in spi-

nam acuminatam sive dentem rectam (non apice introrsum curvatam) producto; parte genitali tota sat tumida, nitida, ad formam regulariter dimidiato-ovali, ubique æqualiter convexa, apice longe intra laminæ ordinariæ apicem retracto, qui evidenter deorsum curvatus est; abdomine nigro, fascia basali, lineisque duabus lateralibus albidis.

Var. b. (*Callietherа zebranea* Koch?) forte non nisi individua subadulta, mandibulis horumque unguibus longitudinem thoracis vix ultra $^3/_4$ attingentibus, palporum parte tibiali ut in *var. a.* fere constructa, at spina apicali (extus rufo-testacea, nec nigra) non regulariter sive cuneatim acuminata, sed utrinque paullo dilatata, sive ovato-acuminata; articulo genitali minus tumido, an post mortem reciduo?, apice non longe intra laminæ ordinariæ apicem retracto, qui minus evidenter deorsum curvatus est.

Femina: vide infra.

Ar. scenicus Clerck p. 117, Pl. 5, t. 13 (secundum typum in collectione *Clerkiana*, teste Dom. *Thorell*, at descriptio et præsertim figura indicat, *Clerkium* exempla *A. histrionici* etiam ante oculos habuisse, quæ autem sub centum annis post ætatem *Clerckii* sine dubio ut diversæ aliæ species in hujus collectione deperdita fuerunt; vide Thorell Om Clercks Original-Spindelsaml. p. 148 etc.) — *Ar. scenica* Linn. Faun. Sv. Ed. 2, p. 490. — Fabr. Ent. S. II, p. 422, 57. — *Ar. albo-fasciata* De Geer, p. 287, pl. 17. f. 8—10 (ad partem). — *Attus cordicalis* Hahn Mon. Ar. IV, pl. 2, f. C. — *Attus lineolatus* Sund. A:o 1832, p. 203. — *Callietherа scenica* Koch XIII, p. 87, T. 439, f. 1106—7 (*C. zebranea* Idem p. 40, T. 439, f. 1108—9, *C. tenera* Idem p. 43, T. 440, f. 1112—13, *C. varia* ib. p. 46, T. 440, f. 1114; an modo varietates juniores *A. scenici?*, quod autem non sine jure experientiæ ulteriori subjiciendum est). — *Call. scenica* Thorell Rec. crit. p. 68, et Om Clercks Original-Spindels. p. 147, lin. 5, et p. 149, lin. 11 ab infra.

Femina. Thoracis planum dorsale in illæsis dense albido-squamulosum, sæpe anterius squamulis argenteo-cupreis immixtis vestitum, hic sæpe macula nudiore nigra; pubescentia postice plerumque furcata vel excisa, et tunc dorsum signatura cruciformi notatum esse videtur; in exemplis

indetritis (*Call. zebraneæ*) adest ante et pone oculos posticos, in declivitate perpendiculari laterum, lineola s. punctum albidum. Palpi toti albidi ut in *A. histrionico*. Abdominis latera et venter uberius albido squamulosa, hic in varietatibus vix vestigio ullo vittæ mediæ nigræ; in *var. a*, in Uplandia inventa, specimine unico lustrato, adest vitta angusta nigra, an fortuito denudata, in *var. b* est venter plerumque una cum lateribus albido-squamulosa, an tantum in illis individuis, quæ nuper exuvias deposuerunt; abdominis arcus albidi plerumque inferne cum pubescentia laterali ventrali confluentes; interdum (in *C. zebranea*) hæc pubescentia in ipsum dorsum tam longe extensa est, ut hujus color niger quoad dentes vel lobos, qui inter lineas laterales albidas descendunt, valde ab illa occupatus evadat, ut in figuris 1108, 1109, 1112, 1113 et 1114, a *Koch* datis, proinde color niger quam color albidus minus dominat; quam ob rem abdomen albido-pubescens, dorso vitta nigra, profunde utrinque tridentata notatum esse dici potest. Pictura nigra non ut in *A. histrionico* unicolor, sed in medio dorsi inter arcus albidos angulo minore griseo-albido, ut in fig. citata N:o 1107, qui arcus interdum, ubi arcus albidi in medio dorsi non coeunt, per lineam percurrentem decussantur, ut in fig. 1108, 1112 et 1113. In plerisque exemplis adultis lineæ seu arcus albidi in summo dorso confluunt, in aliis ibi aperti ut in *A. histrionico;* in junioribus color niger inter arcus albidos propter horum et arcuum minorum amplitudinem ad partem deletus, restantibus arcubus minoribus nigris, ut in fig. citatis 1109, 1112, 1113 et 1114.

Mas. Abdomen uberius nigrum, ventre plerumque vitta laterali griseo-albida, languidiore, et arcubus lateralibus albidis inferne liberis ut in *A. histrionico*. Exempla, quæ ad *var. b* retuli, fascia basali abdominis non ut in *var. a*. squamulis fusco-cupreis mixta. In masculis senioribus mandibulæ, in directionem magis sursum flexæ, $^1/_3$—$^1/_4$ breviores quam thorax videntur.

Exempla paullo majora in Upland. a *Thorell*, minora (*var. b*) in parietibus, sole radiatis, ad Gbg. et ad prædium

Sårö Hallandiæ a me inventa; in Ostrog., *v. Post.* Juniores feminæ in Scania a *Sundevall* captæ.

B) Tibiæ antice subtus utrinque aculeis 2—3, rarius 4 (in *A. muscoso* et *strigipede*); metatarsi ejusdem ordinis ibi aculeis 2.

a) Metatarsi et tibiæ pedum posticorum, exceptis aculeis circa apicem, haud aliis aculeis distinctioribus, nisi rarius in tibiis, excepto aculeo 1, subtus utrinque prope apicem sito, aculeo altero, inter basin et medium, subterius vel ad latus posticum sito, armatis, sæpius hic non ullo aculeo; numquam utrinque aculeis 3 (quorum 1 juxta basin, medium et apicem, prætereaque sæpe nonnullis superne locatis).

Cave ne huc referas *A. cupreum* (28) et *flavipedem* (24), qui in tibiis posticis aculeis gracilibus et brevibus instructi sunt, in illius varietatibus, pedibus nigro-lineatis, ægrius observandi; item *A. frontalem* ♀ (26), quæ in illo loco non evidenter aculeata est (oculis posticis fere in medio lateris dorsi thoracis sitis, pictura abdominis nigra e pigmento, sub epidermide nuda sita pendente, thorace abdomineque in fundo sordide luteis facile ab aliis dignoscenda).

* Thorax humilis, vix altior quam efficit dimidia latitudo dorsi, hoc a fronte longe ad basin vel ad ³/₄—⁵/₆ deplanatum, declivitate postica brevi, abrupte nec sensim declivi, vel thorax, a latere inspectus, non fornicatus. Oculi laterales antici marginibus superioribus non altius quam oculi intermedii siti, h. e: si linea transversa per margines superiores oculorum omnium quatuor duceretur, tunc hæc linea recta nec plus minus recurvata tibi videretur.

3. **A. muscosus** (Clerck): thoracis dorso fere toto depresso, plano, duplo latiore quam altiore; *femina* abdomine supra cinereo-rubicundo, fusco-punctato, vitta media albida vel luteo-albida, utrinque tridentata, nigro-marginata; *mas* abdomine supra griseo-albido, subunicolore, fasciis transversis tribus nigris, angustis; metatarsis anticis in utroque sexu dimidio longioribus quam tarsi.

Ar. muscosus Clerck p. 116, Pl. 5, t. 12. — *Ar. Rumpfii* Scop. Ent. Carn. p. 401, 1110 (?) — *Ar. tardigrada* Walck. F . par. II, p. 244. — *Attus tardigr.* Walck. Tabl. p. 25. — *Salticus Rumpfii* Latr. Gen. Cr. & Ins. I, p. 124. — Hahn die Ar. I, p. 56, T. XV, f. 42. — *Attus striatus* Sund. A:o 1832, p. 204 (excl. syn. *Clerckii*). — *Att. tardigradus* Walck. Apt. I, p. 461. — *Marpissa muscosa* Koch XIII, p. 63, T. 443, f. 1129 et 1130.

Mas et *Fem.* *Femina:* thorax long. $3\frac{1}{2}$—4, latit. $2\frac{1}{2}$, abdomen 7—9 mm.; *mas* minor est. Thoracis dorsum maxima parte planum, superne pube cinerea, brunnea et albida variegatum. Abdominis latera in ♀ plerumque fusco-cinerea, in ♂ nigricantia; vitta dorsalis in ♀ semper colore pallidiore designata, longitrorsum plerumque umbra fusca notata; ab angulis duobus anterioribus et e basi vittæ exeunt striolæ retrorsum arcuatæ, e punctis vel undulis albidis formatæ, sinubus undularum nigredine repletis; apex vittæ supra anum in maculam cuneatam vel subrhombicam finitus; dorsum in ♂ plerumque vitta media obsoletiore, et in hujus loco tantum linea media longitudinali nigricans adest, quæ utrinque lineas tres nigras emittit. Venter in ♀ pallidus vel lutescens, in ♂ cinerascens, vel parum luteo tinctus, punctis fuscis adspersus, aut rarius lineis 2 parallelis ejusdem coloris notatus. Pedes antici robusti, tibiis subtus utrinque aculeis 4 metatarsisque 2, brevibus vel non longitudinem diametri tibiarum attingentibus, primo in metatarsis suo apice haud apicem articuli attingente. Clypeus in ♀ rubicundo-luteo-, in ♂ griseo-villosus. Palpi ut et pedes anteriores in illa setis albidis patentibus dense vestiti, maris palporum pars tibialis in latere externo spina robusta hamata instructa; clava majuscula; lamina ordinaria breviter ovata, convexa, rufo-brunnea, fere latior quam femora antica; ipso membro genitali bulbum magnum, retrorsum vergentem repræsentante. Maxillæ in ♂ in angulo externo apicis dente minuto instructæ. Pedes rufo-brunnei, fusco-annulati, femoribus abundantius fuscedine coloratis, præsertim in ♂. Pedes antici duplo crassiores quam reliqui. Tibiæ posticæ subtus prope basin, versus latus externum, aculeo solitario, et in apice duobus.

Ad Gothob. et forsitan alibi, ubi sæpimenta e lapidibus extructa usitantur, animalculum copiose capitur sub lapidibus superioribus, ubi in textura albida, densa, tota æstate versatur. Non alte saltitare potest, saltibus tamen crebris, usque dum aranea tandem inter lapides effugit, vel in solum decidit. In Scan., *Sundevall;* in Upl., *Clerck* et *Thorell.*

4. **A. strigipes**: *Femina* junior (corpore detrito) thorace parum fornicato, dorso maxima parte depresso, humili, vel altitudine vix majore quam dimidia latitudo, margine linea gemina albida, margineque supra os dense longeque piloso, palpis albidis, articulis superne nigro-maculatis; abdomine elongato-ovato, nigro, dorso vitta dentata albida; pedibus pallidis nigro-lineatis, anticis robustis, tibiis ejusdem ordinis utrinque seriei ex aculeis 4.

Specimen unicum lustratum, in spiritu vini asservatum, thorace abdomineque valde detritum signaturis insequentibus, in ipsa cute, sub epidermide sitis, notatum erat, scilicet: dorsum thoracis posterius macula stellata, vel lineolis 6, quarum tribus in utroque latere, oblique retrorsum ductis: latera, juxta marginem, vitta albida, longitrorsum per umbram fuscam vel nigram bipartita, parte superiore antrorsum circa clypeum producta, hic e pube longiore albida obtecta: abdominis dorsum serie longitudinali gemina e lineolis oblique positis, quæ forsitan interdum intus confluunt et tunc angulos formant; hi anguli vel lineolæ geminatæ anterius diffuse confluunt, maculam nigram includentes, et antice in lineolam versus extremitatem basalem productæ. In specimine lustrato restant in dorso abdominis setulæ vel squamulæ quædam fulvæ et albidæ, quo indumento certo exempla viva in signaturis memoratis induta sunt; nonne dorsum vitta sinuata fulvo-albida tunc ornatum est? — Pictura nigra pedum constat, in femoribus patellis et tibiis, e lineola supera et laterali, simul 3, his in femoribus anterioribus magis diffusis, unde illi articuli uberius nigri videntur; lineola supera in patellis abrupta, punctum minutum in basi, et extus lineolam brevem reliquens; hæc lineola cum arcu vel annulo apicali transverso confluit et formam litteræ T vel ancoræ repræsentat; linea lateralis in patellis et tibiis hic illic abbreviata, vel in puncta dissoluta; illa in tibiarum basi, præsertim pedum posteriorum, cum basi lineolæ superæ confluit, et cum hac quasi arcum format; præsertim metatarsi posteriores utrinque ad basin macula vel lineola nigra notati. Tibiæ anticæ ut in *A. muscoso*

utrinque serie ex aculeis 4, aculeo tertio paullo altius quam reliqui locato; quæ nota (quoad numerum aculeorum) ut valde essentialis est consideranda; metatarsi anteriores utriusque aculeis 2; aculeis illis et his robustis et vix diametrum tibiarum attingentibus; tibiæ et metatarsi posteriores etiam ut in illa specie haud evidenter aculeata; in medio tibiæ tantum observatur aculeus lateralis, tenuis, et in apice utriusque articuli aculei nonnulli. Thorax in dorso etiam maxima parte planus, declivitate postica brevi; dorsum, a latere inspectum, leviter fornicatum. Ex indumento non aliud restat in thorace nisi pubescentia longior, albida, in margine supra os. Palpi pube albida longa vestiti. Mandibulæ piceo-nigræ, glabræ, haud transversim rugulosæ. Maxillæ pallidæ. Oculi laterales antici suis marginibus superioribus vix altius quam oculi intermedii retracti. Long. thoracis $2^{3}/_{4}$—3 mm., una cum abdomine 6 mm.; pedes antici long. circiter $6^{1}/_{2}$ mm. Ex indumento pedum restant sub femoribus et tibiis pili longiusculi albidi.

In Scania a Dom. *Boheman* capta.

5. **A. brevipes** (Hahn): *Femina* cinerea, thorace humiliore, dorso maxima parte plano, abdomine basi lineis duabus parallelis cinereis vel cervinis, his apicibus aut rectis aut intus geniculatis, et tunc aream lanceolatam nigromarginatam includentibus; medio dorsi utrinque aut macula libera, aut lunula majore nigra, dein arcubus nonnullis transversis, aut circumflexibus oppositis, anum versus deinceps minoribus, cinereis, cum arcubus angustis nigricantibus alternantibus notato; ventre nigricante, obsolete cinereo-albido-pubescente; pedibus pallidis, femoribus, patellis tibiisque anticis maxima parte laterali, insequentibus hic angustius, tarsisque apicibus nigris; palpis nigris, articulis duobus ultimis pallido-albidis; oculis serie secundæ multo propius ad laterales anticos quam ad posticos sitis.

Salticus brevipes Hahn die Ar. I, p. 75, T. 18, f. 56. — *Attus annulipes* Walck. Apt. I, p. 417, 20? — *Marpissa brevipes* Koch XIII, p. 58, T. 442, f. 1126.

Femina. Thorax longit. $1^2/_3$ mm., ut abdomen griseo vel cinereo-pubescens, interdum umbra longitudinali media lateralique, lituras duas paralellas longitudinales in medio dorsi includentibus notatus; dorso ab apice longe ultra medium usque ad $^5/_6$ longitudinis thoracis deplanato, basi abrupte declivi. Oculi 4 antici suis marginibus superioribus æqualiter alte locati; series postica fere 2:plo longius a serie intermedia quam hæc ab antica sita, h. e: oculi seriei secundæ solito propius ad anticos locati, quam in ulla alia speciei, a me cognita, quæ nota ut valde essentialis est consideranda. Abdominis pictura versus basin lanceolata, nigro-marginata, simul cum lunula majore utrinque, ei mox succedente, signaturæ arcoræformi non dissimilis, præsertim in exemplis magis detritis, in quibus lunula plerumque extus fuscedine alia adaugetur, et tunc in uncum majorem transformatur; pone maculam vel lunulam nigram, in qua foveola ordinaria secunda observatur, insequuntur arcus transversi vel circumflexus oppositi, intus angulatim connexi, præsertim 2 distinctiores et majusculi, cinerei vel cervini, his plerumque suis apicibus arcuatim in latera descendentibus. Pedes breviusculi, pallidi; patellæ et tibiæ anticæ conj. long. 1 mm.; nigra sunt: latera femorum, patellarum et tibiarum pedum anticorum: macula vel vitta apicalis antica et præterea lineola postica femorum secundi paris: linea obliqua in latere antico femorum quatuor posteriorum: linea ejusmodi in latere antico tibiarum 2 et 3, postica nulla, et ejusmodi in latere postico patellarum secundi ordinis: linea ejusmodi in latere antico patellarum 3 et 4: tunc macula supera vel annulus in basi tibiarum et metatarsorum posticorum, et denique sunt tota pars femoralis et patellaris palporum eodem colore pictæ; hic color nigerrimus et pulchre designatus est. Palporum articuli 2 ultimi quam tarsi pedum purius albidi. Apex femorum et totæ patellæ cum tibiis pedum anticorum superne sæpe rufescentia, præsertim patellæ, et ibi pube albida induta; patellæ cum tibiis anticis crassiusculæ, hæ subtus a basi ad apicem sensim attenuatæ, ibique satis dense pilosæ, uti metatarsi eorundem

pedum aculeis utrinque duobus, per paria dispositis munitæ; aculei sub tibiis propter pilositatem ægre observandi, illi sub metatarsis evidentiores; horum ille, qui versus basin situs est, suo apice evidenter apicem ipsius articuli attingit, immo superat; aculeus apicalis medium articuli tarsalis attingit; tibiæ et metatarsi postici aculeis nullis evidentibus armata. Oculorum dispositio et amplitudo tibiarum anticarum, subtus decrescens, ut notæ valde singulares sunt considerandæ.

Mense Majo in Slottskogen, prope Gothoburg., a me ipse, et ad Foss Bahusiæ a *Thorell* capta.

6. **A. vulpinus**: *Femina* thorace abdomineque obscure rufo-brunneis, pedibus pallide luteo-rufescentibus, geniculis fuscis.

Sub nomine *Attus vulpinus* in collectione Dom. *Sundevallii* asservatus, sine dubio post editionem operis ejus detectus; quod nomen retinui.

Dendryphantes auratus Koch die Ar. XIII, p. 92, T. 447, f. 1154?

Specimen unicum, abdomine corrugatum, in thorace et abdomine pube adpressa rufo-brunnea seu umbrina dense vestitum, omnino immaculatum; pubescentia setulis brevibus griseis, æqualiter adspersis mixta, his nec in margine summo laterali nec in clypeo lineatim condensatis; orbitæ oculorum pube fulva anguste circumdatæ. Thoracis forma ut in *A. brevipede*; dorso maxima parte plano, perpendiculariter inspecto posterius latiore, tum antrorsum sensim et leviter angustato. Oculi intermedii laterales ad anticos vix propius quam ad posticos siti, antici suis marginibus superioribus haud altius quam oculi 2 intermedii antici retracti, omnino ut in *A. muscoso, strigipede* et *brevipede*. Palpi pallidius quam pedes luteo-rufescentes, hi fere unicolores, nisi in ipsis geniculis fuscescentes. Tibiæ et metatarsi anteriores subtus utrinque aculeis duobus, primo in metatarsis vix apicem articuli excedente; tibiæ et metatarsi posteriores inter basin et apicem haud aculeo ullo distincto instructa, omnino ut in speciebus

allatis. Longitudo thoracis $1\frac{1}{2}$, patellarum posticarum cum tibiis conjunctim vix $1\frac{1}{2}$ millimetrorum.

7. **A. petrensis** (KOCH?): *Mas* clypeo toto usque ad os, una cum orbitis oculorum 4 anticorum pube rufo-fulvescente vel cinnabarina dense vestitis; mandibulis luteo-brunneis; palpis ad partem nigris, vel parte femorali basi, patellari et tibiali totis luteo-brunneis, hac extus setis albidis, supra basin laminæ ordinariæ porrectis vestita; pedibus subgracilibus, nitidis, nigris, tarsis anterioribus maxima parte rufo-brunneis, patellis cum reliquis articulis pedum posteriorum ad partem nigris, annulo rufo-brunneo cinctis.

A. petrensis KOCH XIV, p. 49, T. 475, f. 1807 ♀?

Mas. Totum animalculum longit. $2\frac{1}{2}$, thorax vix ultra 1 mm.; hic humilis, sive non altior quam efficit dimidia latitudo dorsalis, dorso maxima parte deplanato, declivitate postica pone $\frac{3}{4}$ spatii dorsalis inchoata, dorso dehinc ad oculos anticos quam levissime fornicato, fere omnino plano. Frons neque angustior neque latior quam latitudo partis thoracicæ. Area, ab oculis occupata, pube obscurius fulva vel luteo-brunnea adpressa induta. Non solum orbitæ oculorum anticorum, ut in *A. crucigero* (17) et *frontali* (26), sed totus clypeus pube læte rufo-fulva vel cinnabarina ornatus; thoracis margo lateralis, ut in *A. frontali*, unicolor, neque hic neque ut in *A. crucifero* supra os linea tenui e pube condensata albida ornatus; thoracis dorsum ad latera, ut in *A. falcato* (20), vitta longitudinali, in fundo luteo-brunnea, pube albida rariore vestita ornatum. Mandibulæ et maxillæ luteo-brunnescentes vel fuscæ, quo colore palporum pars femoralis introrsum, pars patellaris, tibialis et lamina ordinaria ubique coloratæ sunt; ipsum membrum genitale et apex partis femoralis nigricant. Forma apicis partis tibialis propter setas albidas, eam obtegentes, haud extricari potest; tamen videtur apex in latere interno esse in lobum productus, in cujus margine usque ad articuli ba-

sin externam setulæ albidæ dispersæ sunt et ad partem laminæ basin supertegunt. Nec pars patellaris, ut in *A. frontali*, nec simul apex partis femoralis, ut in *A. crucigero*, pube albida indutæ. Coxæ subtus colore maxillarum, vel fusco-brunneæ. Abdominis pictura in specimine solitario lustrato haud certo extricanda; totum dorsum, ut area oculorum, pube rufo-fulva fusciore vestitum; quod indumentum in arcus vel lineolas oppositas, in medio dorsi longitrorsum seriatas congregatur, omnino ut in figura feminæ, a Dom. *Koch* l. c. data. Pedes anteriores ut in *A. frontali* mediocriter incrassati, toti nigri, præter articulum tarsalem, qui fusco-brunneus est (haud ut in *A. frontali* niveus); pedes posteriores in basi patellarum et tibiarum, eorumque metatarsi et tarsi potius in medio annulo luteo-brunneo cincti. Aculei duo utrinque sub tibiis et metatarsis anterioribus tenues, inter setulas ordinarias ægrius discernendi, (primo in metatarsis basin insequentis attingente, hoc, prope apicem sito, medium articuli tarsalis attingente?); tibiæ posticæ haud ullos aculeos evidentes repræsentant (?), metatarsi autem saltem aculeo 1 juxta medium, et uno in apice, utrinque, evidentius instructi esse videntur.

In Upl., ad Upsaliam, a *Thorell* inventus.

** Thorax altus, altitudine saltem æque magna ac $^3/_4$ latitudinis dorsalis, declivitate postica longa, magis sensim nec abrupte declivi; pars cephalica plus minus declivis, proinde dorsum totum, a latere inspectum, evidentius fornicatum videtur. Aculei in tibiis et metatarsis anticis evidenter breviores quam diameter tibiarum.

8. **A. hastatus** (Clerck): *Femina* olivaceo-grisescens; clypeo pube densissima, thoracisque lateribus pube parciore albida vestitus; abdominis dorso utrinque vitta longitudinali infuscato, posticeque supra anum utrinque macula lunata griseo-albida notato; lateribus immaculatis; tibiis anticis robustis, subtus utrinque aculeis tantum 3, quorum 1 paullo ante medium, duobusque alteris pone medium sitis, omnibus brevibus, vel dimidiam longitudinem diametri ipsius tibiæ vix superantibus.

Ar. hastatus CLERCK p. 115, pl. 5, t. 11. — *Ar. Pini* DE GÉER VII, p. 285, Pl. 17, f. 3—7. — *Salticus Pini* HAHN die Ar. I, p. 59, T. XVI, f. 45. — *Dendryphantes hastatus* KOCH XIII, p. 81, T. 445, f. 1146. — *Attus muscosus* SUND. A:o 1832, p. 208, *var. b.* — *A. lunulatus* WALCK. Apt. I, p. 416.

Femina (corrugata): thorax longit. $2^{2}/_{3}$—3, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $2^{1}/_{2}$—$3^{3}/_{4}$ mm. Orbitæ oculorum anticorum indumento haud alio colore quam clypei cinguntur; hoc indumentum densissimum, albidius; thoracis summus margo lateralis pube albida adpressa densa anguste cinctus; dorsum præsertim circa basin pilis sparsis longiusculis griseis, at in capite pilis fuscis vestitum; de cetero est tota superficies, ut in abdomine, indumento adpresso denso olivaceo-griseo obtecta. Coxæ et pedes, excepta pube adpressa albida (hac in femoribus fere squamulæformi), pilis erectis albidis et nonnullis fuscis vestita. Abdomen ut caput, excepto indumento adpresso, pilis verticalibus fuscis sparsis induta, his longitudinem tarsorum fere attingentibus. Pedes rufo-testacei; apex femorum, patellarum et tibiarum macula vel annulo fusco notatus. Mandibulæ rufo-brunneæ vel piceæ, transversim rugulosæ. Palpi colore pedum, non evidenter fusco-annulati, albido-pubescentes, pilis nigris nonnullis erectis intermixtis vestiti; ipse apex e pilis vel setulis densioribus nigris infuscatus. Abdominis pictura in specimine lustrato haud alia est quam macula lunata griseo-albida, prope anum utrinque sita; ante hanc maculam puncta 2 et 2 griseo-albida a Dom. *Koch* adesse dicuntur. Oculi laterales intermedii non exacte in medio inter anticos laterales et posticos, sed differentia capillari propius illos siti sunt; laterales antici, thorace horizontaliter inspecto, paullo altius quam intermedii antici locati. Thoracis dorsum alte convexum, spatio ab oculis posticis ad 4 anticos decliviter descendente. Tibiæ et metatarsi postici, exceptis aculeis apicalibus, aculeo ne unico instructa, nisi tibiæ aculeo parum perspicuo, subtus pone basin locato armatæ.

Mas secundum Dom. *Koch* abdominis dorso longitrorsum lutescente. Specimen unicum, in Lapponia a Dom.

Boheman captum, certe ad *A. medium* (9) est referendum. Hic, ut *A. muscosus* dente minuto in angulo externo maxillarum præditus est, quæ armatura forsitan etiam in *A. hastato* adest?

Femina descripta, in Lapp. capta, et a Dom. *Sundevall* mihi benevole data est. In Upl., *Clerck, De Géer, Sundevall & Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

9. **A. medius** (KOCH): *Femina* (in spiritu vini asservata) olivaceo-pubescens, abdominis dorso vittis duabus subparallelis nigricantibus, his ante medium linea obliqua vel puncto, dein punctis 3—4 seriatis albidis notatis; abdominis margine antico et laterali griseo-albidis, nigrovariegatis; ventre cinereo-albido, hoc colore fuscedine longitudinali ad latera limitato, ipso medio ventris linea longitudinali fusca signato.

Mas? maxillis in angulo apicali externo productis, sive dente minuto instructis.

Dendryphantes medius KOCH XIII, p. 77, T. 445, f. 1142. — *Attus rudis* SUND. A:o 1832, p. 205, N:o 5, *A. muscosus* ID. p. 208 *var. a* (excl. syn. *Clerckii*).

Femina: thorax longit. vix ultra $2 \frac{1}{4}$, patellæ et tibiæ anticæ conjunctim 2 mm. Abdominis vitta dorsalis, in utroque latere sita, nigra, in specimine lustrato ante medium per colorem olivaceum intervenientem in lineolam vel punctum liberum abrupta, cui succedit punctum vel potius lineola, oblique posita, albida; dein continuatur vitta nigra, quæ punctis 3—4 albidis seriatis ornatur. Exempla forsitan occurrunt, quæ propter indumentum olivaceum, uberius, picturam habent obsoletam, quod videri potest in exemplis nonnullis, in spir. vini asservatis. Abdominis basis griseo-albida; hæc pictura fusco-variegata vel undulata; latera in fundo longitrorsum nigricantia, transversim oblique griseo-albido-undulata, vel quasi fasciis duabus ejusdem coloris, uno latere a fuscedine intrante divulsis, picta. Pilositas reliqua abdominis, thoracis et pedum, horum articulorum structura pedumque armatura omnino ut in *A. hastato*. Dor-

sum thoracis ut in illo satis fornicatum, vel regione capitali ad clypeum evidentius decliviter descendente; thoracis altitudo maxima latitudini frontali vix cedit. Tibiæ et metatarsi posteriores ut in speciebus præcedentibus aculeis lateralibus haud ullis armata; tamen tibiæ, ut in *A. hastato*, subterius infra basin, versus latus externum, aculeo singulo, exceptis 2 apicalibus. Oculi 4 antici omnino ut in *A. hastato*, h. est: si linea transversalis per margines superiores oculorum duceretur, hæc linea leviter recurvata videretur.

In Lapp. a *Boheman* inventus. In Scan., *Sundevall;* in Upl., *Thorell.*

b) **Metatarsi et tibiæ pedum posticorum evidenter aculeata; tibiæ plerumque aculeis 2—3, utrinque positis; metatarsi subtus saltem aculeo 1, inter basin et medium locato; plerumque hic aculeo 1 basali et 1 submedio, simulque sunt uterque articulus, præsertim metatarsi, etiam aculeis apicalibus armati. Thorax altior quam efficit dimidia latitudo dorsalis, plerumque $^{3}/_{4}$ hujus vel ultra attingens; dorsum plus minus fornicatum, vel basi longius et parte cephalica plus minus declivibus.**

† **Oculi laterales seriei anticæ marginibus superioribus plus minus altius quam oculi intermedii retracti, vel, si linea transversa super margines superiores ducta esset, tunc hæc linea plus minus sursum curvata videretur; vel, si linea per margines superiores oculorum intermediorum ad oculos laterales duceretur, tunc hæc linea quartam vel dimidiam partem horum oculorum desecare videretur. (*A. striatus Clerck* (14) sine dubio huc referendus est).**

10. **A. V-insignitus** (Clerck): *Mas* thorace nigro, arcubus duobus frontalibus parallelis, retrorsum curvatis, in interstitio medio confluentibus, albido-rubicundis; oculis seriei intermediæ evidenter propius ad posticos quam ad anticos lateriales sitis; abdomine subtus et ad latera griseo-albido, superne pure nigro, etiam in extremitate basali, dorso vitta media, antice plerumque abbreviata, albida vel roseo-albida; pedibus nigris, femoribus albido-pilosis, horum anticis fere totis, palpisque superne flavescenti-albidis; tarsis anticis haud brevioribus quam metatarsi.

Femina arcubus frontalibus plerumque minus evidenter per interstitium nigrum limitatis, vel hoc pube griseo-rubicunda ad partem adsperso; abdomine subtus et circa extremitatem basalem superne griseo-rubicundo-pubescente, hic nigro-punctato; arcu pone medium laterum,ex indumento laterali exeunte et versus dorsum adscendente, albido vel albido-rubicundo, fusco-punctato, vittaque media in dorso, fere ad basin producta, ejusdem coloris notato; hac vitta plerumque longitrorsum medio subrosea, utrinque albido-dentata, interdum ibi deleta, relictis ipsis dentibus, qui series duas parallelas e punctis vel lineolis 6—7 repræsentant; pedibus regulariter pallido- et fusco-annulatis.

Ar. V-insignitus CLERCK p. 121, Pl. 5, t. 16 = ♂. — *Ar. V-notatus* ID. p. 123, pl. 5, t. 17 = ♀. — *Ar. litterata* WALCK. Fn. Par. II, p. 247, 129. — *Attus quinquepartitus* ID. Tabl. p. 25. — *Attus insignitus* SUND. A:o 1832, p. 211. — *Salticus 5-partitus* HAHN die Ar. II, p. 41, T. 55, f. 126. — *Attus 5-partitus* WALCK. Apt. I, p. 403, 1. — *Euophrys 5-partita* KOCH XIV, p. 27, T. 473, f. 1296 ♂ (f. 1297 femina vix huc referenda; saltem est figura male delineata). — *Attus V-insignitus* THORELL Rec. crit. p. 70.

Thorax longit. 3 mm. dorso fornicato, in medio æque alto atque efficit latitudo frontis. Sub oculis lateralibus anticis in ♀ lineola albida adest, in ♂ est hic locus non aliter pictus ac frons infra oculos, sive in clypeo, qui fulvus et multo densius quam in ♀ pubescens est. Linea albida vel rubicunda in dorso abdominis in ♂ utrinque vix vel obsolete dentata; latera abdominis in illo griseo-rubicunda vix fusco-maculata, versus dorsum lobum, minorem quam in ♀, plerumque emittens. Pedes tertii ordinis in ♂ paullo longiores quam quarti ordinis; in ♀ quatuor posteriores subæqualiter longi sunt. Metatarsi antici in utroque sexu haud longiores, nonne in ♀ paullo breviores quam tarsi?; quæ nota una cum dispositione oculorum intermediorum lateralium et quatuor anticorum, ut et aliis notis, in diagnosi allatis, specimen facile ab aliis distinguunt. Si linea recta inter centra oculorum lateralium anticorum ducta esset, tunc hæc linea evidenter in marginem superiorem oculorum in-

termediorum incidere, immo potius illum transgredi videretur. Tarsi antici sub apice dense scopulati, unde illi ibi magis incrassati videntur, præsertim in ♀.

Mense Junio in infimis montibus, sole radiatis, ad Gbg. copiose inventus; altissime saltitans. In Blek., Smol., Gottl., Upl., *Sundevall;* in Upl., *Clerck* et *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

11. **A. pubescens** (Koch): *Femina* thorace abdomineque nigris, pube albida cum fulva s. rufo-brunnea immixta variegatis; illo linea media longitudinali obsoletiore, in medio abrupta, plerumque antice inter oculos posticos punctum pure albidum, posticeque lineolam rufo-brunneam relinquente; puncto albido cum lineola altera rufo-brunnea, utrinque sita, obliqua, parce albido-mixta connexo, simulque cum his lineolis litteram H aut interdum V præposterum assimilantibus; sinu postico hujus signaturæ atro-subholosericeo, vix albedine distincta persecto, interdum tamen puncto minore hujus coloris signato; abdomine utrinque rufo-brunneo nigroque maculato, simulque ad latera punctis purius albidis, e pube dense congesta compositis variegato, dorso vitta media tenuiore rufo-brunnea, hac ante medium punctis lateralibus 2 minoribus signata, posticeque dentes vel lineolas, oblique positas, plerumque 3 emittente; his dentibus extrorsum albidis, obiter inspectis antico punctum majus, insequentibus puncta 2 minora assimilantibus; ano superne signatura furcata sive angulo, apicibus antrorsum verso, punctoque succedente albidis notato; orbitis oculorum anticorum albidis; palpis pedibusque nigro-annulatis.

Mas thorace paullo altiore quam in ♀, vel evidentius æque alto ac efficit thoracis longitudo dimidia, dorso etiam ad oculos anticos arcuatim descendente; oculis seriei secundæ differentia capillari propius posticos quam anticos laterales locatis, his oculis marginibus superioribus altius quam margo anticorum intermediorum retractis, tamen non tam alte ut, si linea transversa recta per centrum eorum ducta esset, hæc linea ut in *A. V-insignito* paullo supra

marginem, sed in ipsum marginem superiorem intermediorum incidere videretur (?); palpis nigris, superne pube longiuscula decumbente albida vestitis, parte tibiali in latere externo lamina ovata, apice obtusa, nigra, nitida munita; abdominis pictura eadem atque in ♀, etiam in limbo dorsali, cujus color niger, ut in illa, pube adpressa rubicunda contaminatur, nec ut in ♂ speciei insequentis purius atro-holocericeus est; orbitis oculorum anticorum albidis; clypeo pubescentia non ulla lineatim congesta vestito.

Euophrys pubescens KOCH XIV, p. 9, T. 470, f. 1278—9. — *Aran. rupestris* LINN. Fn. Sv. Ed. 2, p. 491, 2019?

Mas et *Fem.* a specie insequente (12) differunt thoracis vitta media angustiore, in medio abrupta, postice juxta dorsi declivitatem posticam albido-rubicunda, nec pure albida; abdominis pictura pube rufo-fulva s. rufo-brunnea et in lateribus et in dorso uberius mixta, at in *A. terebrato* vix nisi unicoloriter albida est; pictura albida in abdominis lateribus in *A. pubescente* instar punctorum, e pube densissime congestorum se repræsentat, nec ut in *A. terebrato* æqualiter distributa est. Mas facile distinguitur forma laminæ, in basi palporum partis tibialis locatæ, quæ ovata et mytiliformis apiceque obtusa nec uncinatim flexa est; abdominis color dorsalis niger in ♂ *A. terebrati* purior, et vitta media albidior et latior. Thoracis longitudo ut in *A. terebrato* $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ mm.; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim $1\frac{3}{4}$, eædem partes pedum posticorum 2 mm.; thoracis pictura in ♂ seniore magis detrita, relicto fere semper puncto albido inter oculos posticos, et præterea punctis nonnullis rufobrunneis, e signatura ejusdem coloris, litteræ H- vel V præpostero simili, remanentibus; præsertim in exemplis femineis illæsis in thorace sæpe observatur arcus rubicundo-albidus, ad latus sub oculis intermediis et posticis, vel inter illos et hos locatus, oblique positus, et præterea ante punctum albidum, inter oculos posticos situm, lineola subtilior, versus interstitium oculorum intermediorum anticorum ducta; lineolæ obliquæ rubicundæ, quæ columellas laterales signaturæ H vel interdum V præposteri (Λ) constituunt, plerumque

postice in colorem albidescentem transeunt; sinus posticus signaturæ atro-holosericeus, interdum puncto minuto rubicundo vel rubicundo-albido contaminatus, at numquam, quod viderim, hoc colore ita persectus, ut punctum albidum antejacens cum lineola rubicundo-albida versus declivitatem posticam in vittam communem connexa videantur; lineola juxta declivitatem ad latus cum pubescentia latiore in lateribus thoracis albida interdum obsoletius confluit; hæc pubescentia in ♀ usque a margine satis alte in lateribus dorsi adscendit, superius pube rubicunda parciore contaminata; anterius sub oculis lateralibus anticis pubescentia magis densa est; a medio ad genas per umbram longitudinalem fuscam plerumque partita, inferne restante ipso margine thoracis anguste albido; mas lateribus, præter locum sub illis oculis, plerumque deglabratus. Abdomen propter puncta laterum, circa partem superiorem vel in extremitate limbi dorsalis adspersa, et propter puncta dorsalia satis crebre albido-punctatum videtur; color dorsalis niger propter pubescentiam, et lateralem et mediam, una cum punctis seriatis minus quam in *A. terebrato* prædominat, apud quem ille color pure niger evadit et utrinque vittam valde sinuatam repræsentat; vitta media rubicunda, nec pure albida est, angusta, anterius sat languida, posterius lineolas utrinque tres angustas emittens, vel, si mavis, in arcus 3 transversos conformata, extremitate cujusque arcus in colorem albidum finita, apice arcus antici punctum majus, arcuum insequentium puncta minora assimilantibus; in utroque latere vittæ, ante medium vel arcum primum, adsunt puncta 2 minora albida, et supra anum locatur punctum, cui antejacet signatura semicircularis aut angularis, apicibus antrorsum versa, ejusdem coloris; dentes vel arcus tres (quatuorve?) interdum pube albida uberius contaminati, ita ut maxima parte albidi evadant; venter breviter griseo-pubescens, sæpe umbra fusca longitudinali tinctus. Pedes pallido-testacei, annulo versus apicem femorum, in medio patellarum, in basi et apice reliquorum articulorum piceo-nigricantibus signati; annulorum intervalla angustiora, pube densiuscula griseo-albida vestita. Palpi in ♀ colore et pictura pedum, in ♂ nigricantes, pilis

[illegible] lamina ordinaria in [illegible] pubescens. Acu- [illegible] in *A. V-insignito* [illegible] et aculeus apicalis di- [illegible] tibiæ et metatarsi [illegible] seriatis evidenter armati. [illegible] superne pube dorsali ru- [illegible] in ♂ sat nudus, sub [illegible] porrectis nigris vestitus.

[illegible] et in infimis montibus [illegible] In Ostrog., *v. Post.*

[illegible] *Femina* nigra, griseo-albido- [illegible] albida, a basi ad [illegible] producta, apice antico [illegible] antice confluen- [illegible] anteresso, lateribus in- [illegible] abdominis dorso ni- [illegible] in medio vitta [illegible] inæqualiter sinuata s. [illegible] et versus anum mino- [illegible] lobo singulo majore; [illegible] cum lobis (sive denti- [illegible] connexo, conjun- [illegible] nigrum includentibus; [illegible] æqualiter distributa, [illegible] e pube magis congesta forma- [illegible]

Mas: abdominis dorso usque ad latera nigerrimo, unde vitta media quasi latius albida se repræsentat; palporum parte tibiali in baseos latere externo in laminam angustatam producta, hac extus acuminata, latitudine parte femorali triplo angustiore, calcariformi, vel apice curvata.

Araneus terebratus Clerck p. 130. Pl. 5, t. 13. — *Ar. truncorum* Linn. Faun. Sv. Ed. 2. p. 491, 2018 (?). — *Euophrys terebrata* Koch XIV, p. 12, T. 470. f. 1280—81. — *Att. Psyllus* Walck. Apt. I, p. 407.

Femina. Magnitudine et omnibus partibus ut in *A. pubescente* instructa; thorax tamen paullo humilior esse videtur. Thoracis vitta media albida unicolor, in exemplis illæsis semper continua, apice antico in centro areæ ocularis haud ut in *A. pubescente* in punctum liberum abrupta, æque lata ac femorum anticorum apex, saltem ac tibiæ; vitta antice interdum lineola media subtilissima longitudinali fusca notata; lineola utrinque ante apicem vittæ rubicundo-albida ut in *A. pubescente* adest, hac una cum vitta quasi furcam formantibus, aut sunt ambæ lineolæ antice conflatæ, et tunc angulum aut arcum formant; (linea arcuata sub oculis intermediis et posticis albida rudimentaria); latera inferius ut in specie allata sat abundanter griseo-albido-pubescentia; hæc pubescentia etiam superius pube rufo-brunnea parciore mixta. Abdominis pubescentia albida lateralis non in puncta aliquot majora congesta, sed tota magis tenuiter sparsa, ut in illa specie punctis s. lineolis fuscis variegata. Vitta in medio dorsi longitrorsum latius expressa, et tota albida s. incana. Pectus etiam ut in illa nigricans, pube albida parce adspersum, et mandibulæ glabræ, haud ut in nonnullis aliis transverse rugulosæ. Venter pube tenui griseo-albida æqualiter denseque adspersus.

Mas abdominis dorso in utroque latere vittæ lobatæ latius et purius atro, quasi subholosericeo, thoracisque lateribus deglabratis saturatius nigricantibus, unde vittæ albidæ in illis partibus lætius expressæ esse videntur. Dentes s. lobi laterales in anteriore parte vittæ abdominis interdum a vitta disjuncti, puncta 2 libera relinquentes; lobus utrinque pone medium vittæ interdum etiam a vitta disjunctus, vel albore vittæ, cum quo cohærere solet, detrito sive infuscato. A ♂ *A. pubescentis* facile dignoscitur palporum lamina allata calcariformi s. acuminata, nec æque lata ac pars femoralis, neque subregulariter ovali. Orbitæ oculorum anticorum albidæ. Clypeus sat evidenter griseo-pubescens, pubescentia marginali fusco-tincta.

Mense Junio ad Alingsås Westrogothiæ a me ipse, ad Lidköping a *G. A. Gahm*, et in Lapp. a *Boheman* captus.

longis decumbentibus albidis induti; lamina ordinaria in hoc nigra, vix nisi in summa basi albido-pubescens. Aculeus pone basin metatarsorum anticor. ut in *A. V-insignito* apicem articuli attingit vel superat, et aculeus apicalis dimidiam partem articuli tarsalis attingit; tibiæ et metatarsi postici in utroque latere aculeis 3 seriatis evidenter armati. Orbitæ oculorum albidæ, interdum superne pube dorsali rubicunda nonnihil contaminatæ; clypeus in ♂ sat nudus, sub oculis mediis anticis pilis nonnullis porrectis nigris vestitus.

In parietibus externis domuum et in infimis montibus mense Julio et Aug. ad Gbg. captus. In Ostrog., *v. Post.*

12. **A. terebratus** (Clerck): *Femina* nigra, griseo-albido-pubescens, thoracis vitta media latiore albida, a basi ad centrum areæ ocularis continuate producta, apice antico sæpe utrinque a lineola aut (his lineolis antice confluentibus) ab arcu rubicundo-albido antecesso, lateribus inferius et clypeo albo-pubescentibus; abdominis dorso nigro, limbo cum lateribus albo-punctatis, in medio vitta griseo-albida s. incana, utrinque inæqualiter sinuata s. lobata, lobis aliquot ante medium et versus anum minoribus, pone medium et supra anum lobo singulo majore; lobo majore pone medium sæpe cum lobis (sive dentibus) minoribus succedentibus ad latus connexo, conjunctim utrinque maculam s. punctum nigrum includentibus; abdominis pubescentia laterali albida æqualiter distributa, nec punctis lætius albidis, e pube magis congesta formatis mixta.

Mas: abdominis dorso usque ad latera nigerrimo, unde vitta media quasi lætius albida se repræsentat; palporum parte tibiali in baseos latere externo in laminam angustatam producta, hac extus acuminata, latitudine parte femorali triplo angustiore, calcariformi, vel apice curvata.

Araneus terebratus Clerck p. 120, Pl. 5, t. 15. — *Ar. truncorum* Linn. Faun. Sv. Ed. 2, p. 491, 2018 (?). — *Euophrys terebrata* Koch XIV, p. 12, T. 470, f. 1280—81. — *Att. Psyllus* Walck. Apt. I, p. 407.

Femina. Magnitudine et omnibus partibus ut in *A. pubescente* instructa; thorax tamen paullo humilior esse videtur. Thoracis vitta media albida unicolor, in exemplis illæsis semper continua, apice antico in centro areæ ocularis haud ut in *A. pubescente* in punctum liberum abrupta, æque lata ac femorum anticorum apex, saltem ac tibiæ; vitta antice interdum lineola media subtilissima longitudinali fusca notata; lineola utrinque ante apicem vittæ rubicundo-albida ut in *A. pubescente* adest, hac una cum vitta quasi furcam formantibus, aut sunt ambæ lineolæ antice conflatæ, et tunc angulum aut arcum formant; (linea arcuata sub oculis intermediis et posticis albida rudimentaria); latera inferius ut in specie allata sat abundanter griseo-albido-pubescentia; hæc pubescentia etiam superius pube rufo-brunnea parciore mixta. Abdominis pubescentia albida lateralis non in puncta aliquot majora congesta, sed tota magis tenuiter sparsa, ut in illa specie punctis s. lineolis fuscis variegata. Vitta in medio dorsi longitrorsum latius expressa, et tota albida s. incana. Pectus etiam ut in illa nigricans, pube albida parce adspersum, et mandibulæ glabræ, haud ut in nonnullis aliis transverse rugulosæ. Venter pube tenui griseo-albida æqualiter denseque adspersus.

Mas abdominis dorso in utroque latere vittæ lobatæ latius et purius atro, quasi subholosericeo, thoracisque lateribus deglabratis saturatius nigricantibus, unde vittæ albidæ in illis partibus lætius expressæ esse videntur. Dentes s. lobi laterales in anteriore parte vittæ abdominis interdum a vitta disjuncti, puncta 2 libera relinquentes; lobus utrinque pone medium vittæ interdum etiam a vitta disjunctus, vel albore vittæ, cum quo cohærere solet, detrito sive infuscato. A ♂ *A. pubescentis* facile dignoscitur palporum lamina allata calcariformi s. acuminata, nec æque lata ac pars femoralis, neque subregulariter ovali. Orbitæ oculorum anticorum albidæ. Clypeus sat evidenter griseo-pubescens, pubescentia marginali fusco-tincta.

Mense Junio ad Alingsås Westrogothiæ a me ipse, ad Lidköping a *G. A. Gahm*, et in Lapp. a *Boheman* captus.

spersus. Venter luteo-testaceus, genitali pallidiore, foveam utrinque repræsentante.

Ad Upsaliam a Dom. *T. Thorell* inventus; femina, pictura evidentiore, in Ostrog. a *v. Post* capta.

14. **A. striatus** (Clerck): rufescenti-cinereus, cephalothorace inter oculos quatuor posticos linea hastata nigra, alba macula in medio interrupta, abdominis dorso in lateribus nigro, lineolis obliquis albis notato.

Ar. striatus Clerck p. 128, Pl. 5, t. 17. — *Attus id.* Walck. Apt. I, p. 422? — Thorell Om Clercks Original-Spindels. p. 151.

Descriptio secundum Dom. Thorell. Femina adulta, cephalothorax 2 1/4 mm. longus, latitudine vix dimidio longior, antice parum angustatus, dorsi fornicati lateribus subrectis. Oculi quatuor antici inter se subcontigui, in seriem postice concavam dispositi; medii eorum maximi, laterales antici paullulo majores quam oculi duo postici; oculi medii minimi, ab anticis lateralibus et a posticis æque distantes. Mandibulæ parvæ, conicæ. Pedum proportio 4, 1, 2, 3 esse videtur; paria tria antica eadem fere sunt longitudine, quarti paris (5 1/2 mm.) cephalothorace fere 2 1/2 longiores sunt, tertii paris plus dimidio (4 mm.). Abdomen obovatum, versus mamillas subacuminatum.

Cephalothorax e pilis densis, adpressis rufescenti-cinereus, fronte albicanti-pilosa; inter oculos quatuor posticos lineam vel maculam longam, nigram, subtriangulam, postice emarginatam, in medio lunula albissima interruptam exhibet, maculamque parvam, albicantem utrinque pone oculum posticum; postice, ante declivitatem posticam, adest cuneus vel linea media abbreviata cinerea. Oculi cerasini, medii antici fusciores, superciliis rufescentibus. Palpi fusci, albicanti-pilosi, subannulati. Pedes picei, cinereo-pilosi, femoribus fusco-testaceis, apice fuscis, reliquis internodiis annulis cinereis, e pilis formatis, circumdatis. Abdominis dorsum antice et in medio rufescenti-cinereum, in lateribus nigrum et lineolis parvis, obliquis, albidis utrinque notatum. Latera abdominis rufescenti-cinerea; venter cinereus.

Secundum exemplum, quod unum tantum continet thesaurus *Clerckii*, descriptus. Figura hujus araneæ in libro *Clerckii* pessima ea quidem est, descriptio vero optima. *Attus striatus Walck.* huic fortasse subjiciendus: bene saltem quadrant, quæ de colore abdominis dicuntur. Sed descriptio pedum cet. in *Clerckii* araneam parum convenit; nec mentionem ullam de peculiari illa cephalothoracis pictura facit *Walck.* — *Attus striatus Sund.* idem est atque *Ar. muscosus Clerck.* — *Euophrys striata Koch* (Die Arachn. XIV, p. 1, f. 1272—1273) plane alia est species, in Svecia, quantum scio, nondum inventa.

†† Oculi laterales seriei anticæ marginibus superioribus haud altius quam oculi intermedii retracti, vel, si linea transversa super margines oculorum ducta esset, tunc hæc linea omnino recta tibi videretur (nonne in nonnullis paullulum deorsum curvata?).

15. **A. sanguinolentus** (Linn.): *Mas* abdomine cinnabarino, vitta dorsali anoque nigris, thorace pedibusque nigris, his ad partem rufo-brunneo-annulatis, annulis pube cinereo-albida obductis.

Ar. sanguinolenta Linn. S. N. Ed. 12, p. 1032, 18. — *Ar. Sloanii* Scop. Ent. Carn. p. 401, 1108. — *Attus sangu.* Walck. Tabl. p. 24, N:o 29. — *Att. Sloanii* Latr. Gen. Cr. et Ins. I, p. 128, 2. — *Salticus sangu.* Hahn die Ar. I, p. 51, T. 14, f. 39, ♀. — *Attus id.* Walck. Apt. I, p. 473, 133. — *Philia id.* Koch XIII, p. 56, T. 442, f. 1124, ♂.

Pulcherrima hæc aranea mihi dono data est a Dom. *Thorell*, qui eam a Dom. *Marklin* obtinuit, et secundum hujus testem aut in Svecia aut in Norvegia capta fuisset; sed nondum haud ab ullo alio in Svecia inventa est hæc aranea, ut videtur rarissime occurrens. — Thorax, paullo læsus, nullo indumento, nisi macula e pube cinereo-albida inter oculos intermedios anticos superne indutus. Oculi laterales antici marginibus superioribus haud altius quam intermedii locati. Mandibulæ æque longæ ac tibiæ anticæ vel atque efficit latitudo frontalis; supra transverse rugulosæ et paullo

excavatæ, nigro-piceæ. Palpi a medio partis femoralis usque ad eorum apicem supra cinereo-albido-pubescentes; membrum genitale in basi in laminam pallidam productum; hæc lamina spinam vel lobum rectum et setam spiraliter flexam piceam emittit; lamina una cum seta retrorsum ad partem tibialem producta, ita ut hæc pars, subtus inspecta, maxima parte præumbrata evadat; lamina ordinaria elongato-ovata, in latere externo ante apicem emarginata. Femora nigra, anteriora extus, posteriora maxima parte supra cinereo-pubescentia, quo indumento apex et latera patellarum, medium et apex tibiarum induta sunt; metatarsi cum tarsis rufo-brunnei, apicibus nigris. Secundum plures scriptores tibiæ et tarsi anteriores variant maxima parte colore luteo-rufescente, apicibus fuscis. Tibiæ et tarsi, et anteriores et posteriores, evidenter aculeati; tibiæ posticæ scilicet utrinque aculeis 2—3 instructæ. Abdomen indumento cinnabarino dense tectum, vitta dorsali anoque nigris. Thorax longit. 3 mm.; patellæ et tibiæ anticæ conjunctim eadem longitudine.

16. **A. arcuatus** (Clerck): *Mas* niger, metatarsis tarsisque luteo-ferrugineis, illis sæpe apicibus fuscis; clypeo in ipso margine et infra oculos anticos arcu transverso angusto, et infra oculos laterales anticos linea obliqua, e pube albida formatis notato; pedibus anticis crassis, tibiis subtus barbatis, his evidenter longioribus quam patellæ, et una cum his conjunctim evidenter longioribus quam femora ejusdem ordinis, longitudine thoracis non insigniter brevioribus.

Ar. arcuatus Clerck p. 125, Pl. 6, t. 1. — *Ar. grossipes* De Géer VII, p. 290, pl. 17, f. 11—14. — *Salticus grossipes* Hahn die Ar. I, p. 53, T. XIV, f. 40. — *Attus grossipes* Walck. Apt. I, p. 424. — *Euophrys arcuata* Koch Die Ar. XIV, p. 80, T. 478, f. 1298.

Quoad colorem præsertim mari *A. fasciati* simillimus. Thorax longitudine $2^3/_4$—3, latitudine 2 millim., vel non ultra dimidio longior quam efficit latitudo maxima; alte fornicatus; colore nigro vel nigro-piceo, parce

griseo-pubescens, etiam in margine laterali, similiter atque in *A. fasciato;* an ita semper?; latera capitis satis evidenter pubescentia. Ab omnibus aliis speciebus, mihi cognitis, constanter differt pictura insigniore clypei; pubes albida scilicet, quæ in pluribus aliis speciebus in clypeo æqualiter distributa occurrit, in *A. arcuato* in arcus duos congesta, quorum unus in ipso margine, alter mox infra oculos 4 anticos situs est. Oculi laterales antici marginibus superioribus perparum altius quam oculi medii locati; intermedii laterales magis exacte in medio inter anticos et posticos siti esse videntur. Palporum lamina ordinaria et mandibulæ nigropiceæ, vel minus læte rufo-ferrugineæ quam in *A. fasciato;* hæ paullo longiores quam spatium, quod ab oculis 2 mediis anticis occupatur. Abdomen pube adpressa grisea et luteobrunnea, quasi metallico-nitente (?) aut sericeo vestitum. Pedes anteriores crassiores quam in *A. fasciato,* præsertim sunt femora et tibiæ pedum anticorum insigniter incrassata; tibiæ subtus densius nigro pilosæ; unde aculei, ibi locati, ægrius videri possunt, undeque articuli fortasse solito crassiores apparentur; tibiæ anticæ evidentius longiores quam patellæ; triplo longiores quam efficit latitudo saltem apicalis. Metatarsorum anticorum aculeus primus haud apicem articuli attingit, secundus $^1/_3$ tarsorum paullo excedit; tibiæ et metatarsi posteriores aculeis pluribus longis instructa. Metatarsi antici obscurius ferruginei, ut reliqui apicibus infuscati; tarsi omnes et metatarsi posteriores luteo-ferruginei. Tibiæ anticæ et patellæ conjunctim longit. $2^1/_2$, saltem evidenter $2^1/_4$ mm. Thorax ut in *A. fasciato* $2^3/_4$—3 mm. longus, latitudine autem $1^3/_4$—2, nec tantum $1^1/_3$—$1^1/_2$ mm.

In Lapp. a *N. J. Andersson* inventus. In Upl., *Clerck* et *Thorell.*

17. **A. crucigerus** (Walck.): thorace longit. $2^1/_2$—$2^3/_4$ mm., abdomine subtus et ad latera cinereo-albido, dorso aut pure nigro (♂), aut pube fusca crebre adsperso (♀), linea media longitudinali albida, plerumque pone medium in puncta abrupta et hic per arcum transversum ejus-

dem coloris decussata; ♂ orbitis oculorum anticorum rufo-fulvis seu cinnabarinis, clypeoque in summo margine supra os niveo-marginato; ♀ illis cum toto clypeo æqualiter albido-pubescentibus; ♂ pedibus maxima parte nigricantibus, ♀ iis pallidis, nigro seu fusco-annulatis, uterque sexus basi tibiarum anticarum luteo-rufescente; palpis in ♀ totis pallidis, in ♂ nigris, parte femorali et patellari superne albido-pubescentibus.

WALCK. Ar. de France p. 59, 28. *A. crucifer* SUND. A:o 1832, p. 215. — *Salticus crux* HAHN die Ar. I, p. 69, T. XVII, f. 52. — *A. crucigerus* WALCK. Apt. I, p. 420. — *Euophrys crucifera* KOCH XIII, p. 226, T. 468, f. 1270, 71. — *A. rufifrons* SUND. l. c. p. 216 (est ♂ adultus, secundum typum in ejus collectione asservatum).

Mas paullo brevior quam ♀, vel thorace longit. 2⅓—2½ mm. Palporum pars femoralis et patellaris superne dense albido-pubescentes; lamina ordinaria in latere externo quasi bisinuata, vel ibi dentibus 2—3 instructa. Planum thoracis pube adpressa fulvo-lutescente nitida parcius vestitum, lineolaque albida pone oculos posticos, forsitan sæpe detrita signatum. Pubescentia nivea in margine supra os ad marginem lateralem thoracis continuata et hic summum marginem instar lineæ tenuioris cingit; ipsa latera thoracis nigra haud ut in ♀ pube albida rariore induta. Abdominis pubescentia lateralis cinereo-albida lobos vel dentes 2 sursum emittit, quorum posticus, pone medium situs, plerumque cum arcu transverso dorsali confluit. Hic arcus interdum, præsertim in ♀, apicibus liber, simulque quasi e punctis tribus transversis contiguis constat, quorum medium punctis 2—3, inter crucem et anum seriatis succeditur, et quæ apicem lineæ longitudinalis formant. Pictura dorsalis certo lumine argenteo-splendens. Pedes antici robustissimi; aculei in tibiis anticis multo breviores quam diameter articuli; aculeus primus in metatarsis suo apice vix basin aculei secundi attingit, saltem longius ab apice ipsius articuli retractus; tibiæ et metatarsi postici in lateribus et subtus, utrinque, serie ex aculeis 3 instructa. Patellæ et tibiæ anticæ subtus sat dense pilosæ. Mandibulæ nigræ,

rugulosæ, non ut in nonnullis aliis speciebus evidenter excavatæ.

Fem. Latera thoracis pube griseo-albida rariore adspersa, ipso margine nudo, lineam subtilem nigram repræsentante. Palpi pallidi seu albidi, ipso apice pilis nigris brevibus infuscato. Mandibulæ ut in ♂ transverse rugulosæ, nigræ, in basi albido-pubescentes. Femora antica basi angustius, reliqua deinceps latius pallida; tibiæ anticæ ut in ♂ in basi rufo-testaceæ; tibiæ succedentes obsoletius similiter coloratæ, maxima parte fusciores; metatarsi et tarsi pallidi, apicibus plus minus distincte infuscatis. Abdominis dorsum nigricans pube brunnea seu fulva adpressa adspersum; sinus laterales nigri, e dorso descendentes, qui inter lobos laterales albidos intrant, inferius in puncta dissoluti, his punctis series 2—3, in abdominis latera descendentes, formantibus; an ita semper?

Mas in plantis ad prædium Olivedahl prope Gothob. mense Majo, ♀ in infimo monte eodem loco mense Junio capta. In Scan. et Blek., *Sundevall;* in Upl., *Thorell.*

18. **A. floricola** (Koch): *Femina* cinereo, fusco albidoque variegata, thoracis linea dorsali media angusta cinereo-albida, plerumque inter oculos posticos lætius designata; orbitis oculorum fulvo-pubescentibus; clypeo pube albida densius obducto; palpis pallide testaceis crebre albo-pilosis, immaculatis; abdomine nigro, albido, rufo-fusco cinereoque variegato, dorso in disco nigricante, linea media longitudinali utrinque pectinata, vel serie ex arcubus transversalibus, brevibus, rufescentibus signato, horum uno vel duobus anterioribus in suis apicibus in punctum minus albidum, unoque, in medio dorsi sito, in maculam albissimam majorem, æque latam ac femora vel tibiæ posticæ transformatis; pedibus testaceis fusco-annulatis.

Mas: colore, maxime dominante, nigro; thoracis linea media, in centro areæ ocularis inchoata, in declivitate basali finita, fere tota evidenter designata, tamen sæpe

ut in ♀ pone oculos posticos per fuscedinem desecta; lateribus plani partis cephalicæ linea altera flexuosa, et fronte supra seriem oculorum 4 anticorum linea tertia transversa, clypeoque in summo margine arcu tenui, tum arcu altero sub oculis anticis recurvo, et denique summo margine laterali thoracis linea tenui notatis, omnibus his signaturis colore albidis; interstitiis oculorum 4 anticorum rufo-fulvis; abdomine in dorso uberius nigro, restantibus maculis 2 mediis majoribus punctisque 1—2 minoribus, anterius sitis, his lineolam brevem, origini lineæ pectinatæ respondentem, includentibus; pedibus gracilibus, etiam anticis, nigris, annulis brunneis, albidopubescentibus cinctis; mandibulis duplo longioribus quam efficit earum latitudo basalis, nigris, transversim evidentius rugosis, supra apicem ample excavatis.

Euophrys floricola KOCH XIV, p. 39, T. 478, f. 1301. — *Ar. pubescens* FABR. Ent. S. p. 423, 59 (?). — *Attus pubescens* SUND. A:o 1832, p. 206, secundum typum ad me missum. — *A. saxicola (Koch)* WESTR. Enum. Ar. p. 55.

Femina a ♀ *A. pubescentis* et *terebrati* distinguitur indumento rufo-ferrugineo, quod et in thoracis et abdominis superficiei maxima parte dispersum est; oculi laterales antici non ut in illis marginibus superioribus altius quam intermedii locati; interstitia oculorum 4 anticorum evidenter rufo-fulvo-pubescentia; palporum color lætius pallido-testaceus unicolor, nec fusco-variegatus; aculei in metatarsis anticis breviores, ita ut illi neutiquam diametrum tibiarum superare videantur; aculeus primus in metatarsis in illis speciebus non solum basin aculei secundi sed usque apicem ipsius articuli attingit. — Thorax longit. 2½ mm., linea media griseo-albida, quæ ut in *A. pubescente* angusta est, vix latior quam diameter oculorum posticorum vel quam metatarsorum posticorum; lineæ apex anticus acuminatus, distinctior quam lineæ pars, pone oculos continuata; ille apex a macula semilunata vel triangulari nigra occupatur, quam plerumque totam percurrit, nec ut in *A. pubescente* ut pun-

ctum tantum in antica parte maculæ situm se repræsentat; tota superficies, præter picturam allatam, pube crebra cinerea obducta, ita ut nullus color niger, nisi lituræ quædam obsoletiores in lateribus proveniant. Oculi intermedii laterales exacte in medio inter anticos laterales et oculos posticos siti. Latera thoracis plani dorsalis vestigio lineæ flexuosæ griseæ, in ♂ evidentioris picta; pars postica hujus lineæ pone oculos posticos quasi introrsum arcuata; margo summus partis thoracicæ etiam paullo albidior. Clypeus et palpi pube longiore albida induti. Mandibulæ breves rufo-piceæ vel fere nigræ, transversim obsolete rugulosæ. Abdomen ad latera cinereo-albidum, versus dorsum colore ferrugineo-rufescente tinctum, striolis obliquis nigricantibus punctorum, e dorso exeuntibus maculatum; limbus dorsalis niger, rubedine hic illic mixtus, præsertim ad ejus latera; ipsa basis cinereo-albescens, superius linea vel arcu transverso nigricante, continuo aut medio abrupto; pone hunc arcum insequitur punctum utrinque, aut arcus lineolave continua, transversa, minor, cinereo-albida vel rubicundo-albida; tum insequitur par punctorum minorum albidorum, dein arcus rubicundus, mox ante medium dorsi locatus; punctum vel macula major, utrinque in medio dorsi sita, interdum reniformis, æque lata atque apex femorum vel saltem ac tibiæ posticæ; pone hanc insequuntur arcus 2 minores, unus post alterum situs, rubicundi vel interdum albido tincti; arcus tertius supra anum irregularis adest, hic punctum geminum aut lineolam, utrinque positam, albidam connectit. In ipso medio dorsi, præsertim anterius, observatur linea longitudinalis tenuis rubicunda, quæ picturam allatam percurrit. Venter cinereus vel luteo-cinereus, utrinque linea fusca notatus. Pedes et palpi pallido-testacei, illi fusco-annulati, hi unicolores, nisi in basi et apice fuscescentes, dense albido-pubescentes; femora et tibiæ anticorum pedum satis robusta; aculeis in basi metatarsorum anticorum diametrum tibiarum non evidenter attingit, suo apice non ultra $^3/_4$ metatarsorum, et aculeus apicalis suo apice non medium articuli tarsalis attingit.

Mas: figuræ, a Dom. *Koch* pro *Euophryde rupicola*, 1286 in Tab. 471 datæ, valde similis, sed differt pedibus uberius nigro-maculatis et palporum lamina nigra nec albida, cet. — Thorax in plano dorsali et in lateribus pube rufo-brunnea parcissima adspersus, in lateribus pube ejusmodi et alia albida parce variegatus. Interstitia oculorum rufo-fulvo-pubescentia; arcus albidus infra oculos duos intermedios anticos aut æqualis, aut in margine interno in sinum inter oculos angulum emittit, unde ille quasi duos arcus minores, apicibus internis confluentes (⏝⏝) assimilat. Mandibulæ nigræ, longiusculæ, evidentius transversim rugulosæ, apicem versus longitudinaliter excavatæ. Palpi nigri, articulis 2 vel 3 primis superne pube nivea, rudiore dense obtectis, (patellari et tibiali in latere externo ad partem fulvo-fusco-pubescentibus). Abdominis latera albido- et parum fulvo-pubescentia, striolis obliquis nigris obsolete variegata; venter luteo-cinereus nigro-bilineatus. E linea dorsali abdominis, quam vocavi pectinatam, restat tantum apex anticus; hic albidus, et in cujus lateribus adsunt puncta duo albida minora; tum insequitur par punctorum majorum, in medio dorsi sitorum, colore albissimorum. Femora et reliqui articuli pedum maxima parte nigra sunt, patellis et articulis insequentibus annulis 1—2 ferrugineis, ad partem pube albida tectis, quare hi annuli, obiter inspecti, etiam albidi dici queant. Pedes graciles, tibiis anticis vix tam crassis atque efficit longitudo diametri oculorum intermediorum anticorum; triplo longioribus quam crassioribus, una cum patellis conjunctim multo longioribus quam femora antica et longitudini thoracis vix cedentibus, nonne paullo superantibus?

Femina in Scan. et Blek. a *Sundevall*, in Lapp. a *Boheman* et *N. J. Andersson* inventa. Mas descriptus in Westrog. mense Augusto a Pharmacopola *H. J. Ekeberg* captus. Uterque sexus ad Holmiam a *Thorell* inventus.

19. **A. Caricis:** *Mas* thorace, longit. 2 mm., abdomineque nigris, pube adpressa fusco-fulvescente seu ferruginea,

et præterea, præsertim in thoracis lateribus, pube rariore griseo-albida parce vestitis; abdomine in dorso serie media longitudinali ex angulis nonnullis transversis e pube magis condensata fusco-ferruginea notato; thoracis plano dorsali inter oculos posticos vestigio puncti griseo-albidi; clypeo unicolore; orbitis oculorum parce fulvescentibus; mandibulis piceis transverse rude rugosis, supra apicem impressis; palpis nigricantibus, parte patellari et tibiali ut et lamina ordinaria superne rufo-testaceis; pedibus anticis gracilibus, tibiis evidenter triplo longioribus quam latioribus, una cum patellis evidenter multo longioribus quam femora antica; patellis iisdem longioribus quam efficit spatium, quod ab oculis 2 mediis anticis occupatur; pedibus in exemplis junioribus pallidius, in senioribus saturatius fusco-testaceis, fusco-annulatis.

Femina clypeo pube fulvescente et griseo-albida (non lætius albida) sat dense vestito, mandibulis parum rugosis, æqualiter convexis; pedibus brunneo-testaceis, obsolete fusco-annulatis; palpis ejusdem coloris, neque dilute testaceis neque abundanter longeque albido-pilosis; abdominis pictura ut in ♂; interdum obsoleta; pedibus brevioribus, patellis anticis vix ultra duplo longioribus quam latioribus.

Mas a ♂ *A. floricolæ* dignoscitur clypeo unicolore, non ulla pictura albida ornato; orbitis oculorum fusco-fulvescentibus, non albidis; palpis fuscis medio rufo-testaceis, superne non ulla pubescentia densa albida vestitis; linea tenuis albida, supra ipsum marginem lateralem thoracis, e pilis vel squamulis adpressis formata, non tam læte albida et distincte expressa, sive e pubescentia griseo-albida laterali non evidenter separata; pictura abdominis longe alia, cet. Ab *A. crucigero* distinguitur clypeo supra os non albido-marginato, orbitis oculorum non tam pulchre et abundanter rufo-fulvescentibus sive cinnabarinis. Similiter atque *A. floricola* evidentissime dignosci potest pedibus anticis multo gracilioribus et longioribus, tibiis evidenter triplo, nec

duplo tantum longioribus quam crassioribus, et una cum patellis quam femora antica (parum crassiora quam secunda) multo longioribus, et longitudinem thoracis evidenter attingentibus, nonne superantibus?. -- Thoracis dorsum vestigio lineæ mediæ longitudinalis pallidioris, at præsertim restare videtur punctum tantum griseo-albidum, inter oculos posticos locatum; thorax de cetero, præsertim inferius ad latera, pube grisea contaminatus. Abdomen præsertim circa basin et in lateribus pube fusco-fulvescente, pube grisea mixta vestitum; in dorso series ex arcubus transversis fusco-fulvescentibus, parum evidentibus observatur, quæ pictura non dissimilis est eidem in *A. lætabundo Koch* XIV, p. 21, T. 471, f. 1289, et *A. petrensi* p. 49, T. 475, f. 1307. Palporum membrum genitale in specimine uno e basi setam arcuatam emittit, in specimine altero illa non observari potest, forsitan membro arcte adpressa. A ♂ *A. fasciati* differt thorace non duplo longiore quam latiore, mandibulis rude rugulosis supra apicem impressis, evidenter longioribus quam efficit spatium, quod ab oculis 2 intermediis anticis occupatur, tibiis anticis gracilibus non duplo tantum, sed triplo longioribus quam crassioribus, aculeis in tibiis et metatarsis posticis brevioribus, minus evidentibus; metatarsis anticis evidentissime longioribus quam tarsi, quare etiam aculeus primus in illis non radicem aculei succedentis, saltem non apicem ipsius articuli attingit; in *A. fasciato* autem ille aculeus fere ipsum apicem articuli superat, saltem attingit.

Femina quoad colorem similis mari, at pedes pallidiores sunt, unde aculei in tibiis et metatarsis posticis facilius observandi; illa a ♀ *A. floricolæ* et *crucigeræ* facile dignosci potest pictura alia. Thorax et abdomen pilis erectis multo brevioribus saltem quam in *A. crucigero vestita.*

In locis paludosis, intra carices cet., in folliculis sericeis, ad Holmiam a *Thorell* captus.

20. **A. falcatus** (Clerck): *Mas* clypeo, genis thoracisque plano dorsali fulvis; hoc pone oculos posticos lineolis duabus oppositis, vel arcu angulove transverso nigro

notato; thoracis lateribus inferne nigris, in ipso margine summo concoloribus, versus dorsum vitta albida, pone genas fulvas inchoata, posterius mucronem deorsum ad marginem supra pedes posticos emittente, ornatis; abdominis dorso nigro, vitta media lata fulva vel ad partem griseo-albida, lateribus et basi vitta communi albida cinctis, cinctura ad latera plerumque intus sinuata, interdum maculatim interrupta, huic inferius prope ventrem adjacente vitta nigricante; ipso ventre griseo-fulvescente; orbitis oculorum mediorum seriei anticæ superne albidis, inferne fulvis.

Femina thoracis vitta laterali albida obsoleta; clypeo albido; genis thoracisque plano dorsali aut solis aut una cum totis lateribus pube fulva et griseo-albida obsitis; abdominis dorso plerumque toto fulvo, interdum hoc colore pube grisea mixto, limbo dorsali anguste nigricante, nigrore sæpe in lineas 2—3 oblique positas digesta, dorso anterius sæpe linea media fusca signato, cinctura laterali albida plerumque minus læta; ventre plerumque utrinque vitta nigra obsoletiore, sæpe hic cum lateribus rufo-alboque pubescentibus.

Ar. falcatus CLERCK p. 125, pl. 5, t. 19. — *Ar. flammatus* ID. p. 124, pl. 5, t. 18. — *Attus falcatus* SUND. A:o 1832, p. 213. — *Att. limbatus* HAHN Mon. Ar. 4, 1, f. C. — *Salticus abietis* ID. die Ar. I, p. 61, T. 16, f. 46. — *S. Blancardii* ID. p. 64, T. 16, f. 48. — *Attus coronatus* WALCK. Apt. I, p. 412, N:o 14. – *Euophrys falcata* KOCH XIV, p. 24, T. 472, f. 1290—95.

Thorax long. $2^3/_4$—3 mm. Mandibulæ in ♀ pallidius, in ♂ saturatius rufo-piceæ. Latera thoracis in ♀ uberius pebescentia, posterius sæpe glabra, nigra; in exemplis, in quibus latera tota usque ad declivitatem posticam rufo- et griseo-pubescentia sunt, interdum observantur arcus nonnulli nigricantes quasi deglabrati, qui cum arcubus, e pube rufo-griseis formatis, alternant. Juniores pictura valde variant. Præsertim in his ornantur abdominis dorsum, loco vittæ mediæ fulvæ vel griseæ, serie e triangulis albidis, ut in figura Kochii 1291; horum triangulorum præsertim unus major pone medium sæpe in ♀ adulta adest, saltem quoad

partem lateralem, quæ punctum vel lineolam albidam utrinque relinquit, ut in figura 1275; dorsum interdum fasciis obliquis griseo-albidis et nigris alternantibus notatum, fasciis nigris sæpe in medio dorsi confluentibus, angulos vel arcus transversos formantibus; fasciis griseo-albidis interdum longitrorsum medio brunneis, ut in fig. 1291; dorsum in ♀ adulta interdum totum fulvum, ut in fig. 1294, interdum pube grisea plus minus intermixta, ut in fig. 1295. Pedes rufo-pallidi, femoribus extus late nigricantibus, tibiis anticis utrinque infuscatis; pedum posteriorum tibiæ basi et apice, metatarsique apice annulo fusco; tibiæ anticæ subtus utrinque aculeis 3, diametro articuli multo brevioribus; metatarsi aculeis 2, primo suo apice infra articuli apicem evidenter protenso; tibiæ et metatarsi posteriores utrinque aculeis 3—4 distinctis. Summus margo lateralis thoracis haud ut in permultis aliis speciebus linea albida seorsum cinctus. Clypeus feminæ albidus, haud rufo-fulvus. Palpi toti maris superne rufo-testacei, membro genitali tantum nigricante. Mandibulæ rufo-piceæ, transverse rugulosæ. Coxæ subtus pallide testaceæ.

Habitat in arbustis et plantis ad Gbg. Ad Qvickjock Lapponiæ a *Boheman* et *N. J. Andersson*, in Upl. a *Clerck* et *Thorell*, in scan., Blek. et Gottl. a *Sundevall*, in Ostrog. a *v. Post* captus.

21. **A. tigrinus** (Koch): *Femina* thorace fusco-nigricante, plano dorsali orbitisque oculorum anticorum dense ochraceo-pubescentibus, margine summo lineolaque punctove in medio, versus declivitatem posticam sito, albido-pubescentibus; palpis flavescenti-pallidis, basi summa nigris, albido-pubescentibus; abdomine ochraceo-brunneo et cinereo-albido-variegato, serie media longitudinali, e maculis triangularibus fuscis, arcubusque cinereo-luteis alternantibus, horum uno, posterius sito, plerumque majore, in lunulam utrinque ad latus producto, sæpe cum arcu, propius anum sito, circulatim subconnexo simulque cum hoc maculam subrotundam nigram includente;

pedibus pallidis, femoribus, tibiis metatarsisque annulis duobus nigris notatis.

Mas: palporum articulo ultimo cum lamina nigris; femoribus omnibus reliquisque articulis pedum 4 anteriorum fere totis ejusdem coloris, attamen tarsis et ad partem metatarsis, præsertim secundis, pallidis; pedum 4 posteriorum patellis in apice, tibiisque in medio et apice angustius, metatarsis in medio late, tarsisque totis pallidis; orbitis oculorum 4 anticorum anguste ochraceo-pubescentibus; maxillis in angulo externo apicali paullo productis vel in tuberculum minutum formatis. Palporum parte tibiali cum antecedentibus ut in ♀ flavo-albidis, illa in latere externo apicis stilo subtili armata.

Var. b: palporum parte tibiali infuscata, abdominisque pictura indistincta, dorso e pube ochraceo-brunnea uberius induto, remanente ambitu basali et laterali albido-pubescentibus. Specimen in spiritu vini asservatum et dein siccatum.

Euophrys tigrina KOCH XIV, p. 6, T. 449, f. 1275—77. — *Salticus tigrinus* HAHN die Ar. I, p. 62, T. XVI, f. 47??; *Salt. agilis* ib. p. 72, T. 18, f. 54, et *S. gracilis* f. 55 verisimiliter huc pertinent. — *A. tigrinus* WALCK. Apt. I, p. 419?

Femina: thorax longit. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ mm., $\frac{1}{3}$ humilior quam latior, nigricans, margine summo albido-pubescente; planum dorsale pube lutescente vel subochracea, subsericea, juxta oculos anticos albidescente vestitum, postice lineola albida longitudinali notatum; oculi seriei 2:dæ, sub lente acuta contemplati, paullo propius posticos quam laterales anticos locati. Palpi pallide flavescentes, summa basi plerumque nigricantes, toti albido-pilosi, pilis vix nisi singulo solitario supra apicem partis patellaris et tibialis, erecto, longiore. Abdominis dorsum signatur serie ex arcubus luteo-griseis, qui cum maculis triangularibus vel angulis fuscis alternant; juxta arcum unum, pone medium situm, locatur lunula transversa luteo-grisea, major, quæ sæpe cum lunula altera minore, anum versus sita, fere circulatim confluit, et simul cum hac maculam subrotundam fuscam circumdat;

regio inter arcum majorem et basin abdominis signaturis nonnullis fuscis, quarum una basin versus brevior magis longitudinaliter quam transversaliter posita est; latera de cetero æqualiter nigro- et luteo-griseo-marmorata. Pedes pallidi, femora basi et apice, patellæ in medio, tibiæ basi et apicem versus, metatarsique basi annulo nigro notata; præsertim metatarsi posteriores præterea annulo apicali cincti; annulus basalis femorum anteriorum interdum deficit; ille annulus in posterioribus non nisi e macula, subtus locata constat, et quæ instar annuli continui translucet, similiter ac maculæ tibiarum omnium, quæ sub articulo vix coeunt; interdum annuli in his etiam superne aperti, ut in patellis, at annulus basalis in tibiis 4 posterioribus superne fere semper continuus et saturate expressus. Pedes anteriores paullo robustiores; tibiæ anticæ subtus utrinque aculeis gracilibus 3, metatarsique 2 armata, horum duorum basalis apice basin articuli tarsalis evidenter excedens et similiter atque aculei in tibiis diametrum harum attingens vel subæquans. Pectus et venter fusca aut nigricantia. Aculei 2—3, utrinque in tibiis posticis siti, propter pilositatem ordinariam longam ægrius observandi.

Mas. Clypeus parum pubescens, in ipso margine pilis griseis longioribus vestitus. Mandibulæ testaceo-fuscæ. Tibiæ anticæ mediocriter crassæ, subtus non insigniter pilosæ. Palporum pars tibialis albida, similiter ac partes præeuntes, interdum infuscata. Patellæ et tibiæ anticæ conjunctim longit. 1 ½ mm. Abdominis dorsum notatur pone medium arcubus transversis 2 nigris et griseo-albidis alternantibus, anticeque arcu nigro, hoc apice utrinque unco, antrorsum verso aucto, ut in figura N:o 55 (*Salt. gracilis*), supra allata. Abdominis dorsum variat pube ochraceo-brunnea uberius obtectum, nullis signaturis notatum; extremitas basalis et latera abdominis albida. Postice in thoracis plano dorsali observatur vestigium lineolæ albidæ.

Prope Gothob. sub lapidibus, in sæpibus lapideis captus; ova, in indusio lanato inclusa, ad 16 numerata. Mas

ad Upsaliam a *Thorell*, *var. b.* in Lapponia a *N. J. Andersson* capta; in Ostrog., *v. Post.*

22. **A. cinereus**: *Mas* thorace abdomineque pube cinerea vel cinereo-albida dense obductis, clypeo, mandibulis pedibusque testaceis, femoribus anticis in latere antico toto, succedentibus subtus in apice et inter basin et medium macula nigricantibus, reliquis articulis obsolete nigro-annulatis; palpis colore pedum, parte femorali sub apice, laminaque ordinaria cum bulbo genitali nigris, superne, præter maximam partem exteriorem laminæ, cinereo-albido-pubescentibus; orbitis oculorum cinereis; (abdominis corrugati pictura nulla); pedibus gracilibus, tibiis anticis linearibus, triplo longioribus quam crassioribus; thoracis longit. fere 2 mm.

Thoracis cutis ut in *A. hastato* pube cinerea omnino tecta (dorso umbra longitudinali picto); margo lateralis etiam non linea albidiore cinctus. — Orbitæ oculorum non alia pube quam in thorace cinctæ, scilicet cinerea vel cinereo-lutescente; clypeus ferrugineo-testaceus, subdenudatus, non ullis signaturis ornatus; mandibulæ tenues, æquales, saltem non longiores quam efficit. spatium, quod ab oculis 2 intermediis anticis occupatur. Thorax æque altus atque efficit $^3/_4$ latitudinis dorsalis. Abdomen, in specimine lustrato corrugatum, non ullam picturam distinctam repræsentat; totum, etiam subtus, pube cinerea vel cinereo-albidescente dense obductum. Pictura pedum satis characteristica; femora neque antica neque insequentia superne nigricant; antica in toto fere latere antico nigra, insequentia subtus sub apice et inter basin et medium macula nigra; tibiæ præsertim anticæ subtus stria nigra; (tibiæ), metatarsi et tarsi apice ejusdem coloris; tibiæ et metatarsi postici utrinque aculeis 2—3 evidenter armati; tibiæ anticæ utrinque aculeis 2 gracilibus, æque longis ac diameter tibiarum; metatarsi evidenter longiores quam tarsi, utrinque etiam aculeis 2, primo suo apice non apicem ipsius articuli attingente. Thorax, ab antice et simul exacte horizontaliter inspectus, oculos

laterales anticos marginibus superioribus neutiquam altius quam oculi intermedii retractos repræsentat. Palporum pars tibialis, excepto puncto e pube albida, setulis nonnullis fusco-fulvescentibus vestita.

Ad Halmstad Hallandiæ a *Thorell* inventus.

23. **A. cupreus** (WALCK.): *Femina* nigra, fusco-æneo-squamulosa; abdomine linea, basin et latera cingente, albida, plerumque in apice laterali in punctum abrupta, dorsoque ante et pone medium punctis vel lineolis duabus, transversim positis, ejusdem coloris notatis; ventre nudiusculo, (an semper?); pedibus pallide flavescentibus, plerumque nigro-lineatis; palpis totis læte flavis, fere citrinis.

Mas pedibus plerumque propter lineas nigras magis dilatatas ad minimam partem flavescentibus, tarsis tamen pallidis; palporum nigrorum parte femorali subtus in dentem robustum vel angulum magnum acutum dilatata, tibiali subtus calcari breviore, ipsoque membro genitali in apice seta longa robusta arcuata instructis; maxillis in apicis latere externo tuberculo minuto.

Var. b. similis *varietati a,* at abdominis puncta vel lineolæ, ante medium sita, obsoleta sunt.

Var. c. pedum palporumque color, maxime dominans, niger, articulis omnibus superne linea tenui flava notatis; abdominis pictura vel distincta vel obsoleta.

Ar. cuprea WALCK. Faun. Par. II, p. 245. — *Attus atrovirens* SUND. A:o 1832, p. 210. — *Attus cupreus* WALCK. Apt. I, p. 409. — *Heliophanus cupreus* KOCH XIV, p. 56, T. 476, f. 1313—15 (*var. a* nostra). — *H. metallicus* ib. p. 60, T. 476, f. 1316 (simillimus *var. c.* nostræ; an huc referendus?).

Thorax longit. 2 mm. Distantia inter os et oculos intermedios anticos exigua, in exemplis siccatis ¼ diametri unius oculi vix superans. Thorax pictura aut caret, aut linea transversa, mox pone oculos posticos, duabusque alteris lateralibus, obliquis, in declivitate postica locatis, colore albidis notatus est. Venter niger, interdum prope anum

punctis 2 albidis, transversim positis signatus. In exemplis vivis evidentius observari potest, pedes anteriores in latere antico, posteriores in latere postico linea nigra pictos esse; in siccatis hæc linea magis translucet; in *var. a.* et *b.* tarsi 6 anteriores concolores esse solent, in *var. c.* autem nigro-lineati. Tibiæ anteriores utrinque aculeis duobus, his in latere postico melius, at in latere antico, propter lineam nigram præumbratis, ægrius observandis. Aculei sub metatarsis, in *var. a.* et *b.* unicoloribus, distinctiores sunt. Ab *A. flavipede* differt: pubescentia abdominis metallico-splendente, densissima, nec opaca et rariore: ventre nudiusculo, nec cinereo-albido-pubescente: pedibus omnibus evidenter nigro-pictis, cet.

In arbustis et plantis ad Gothob. frequens; 2 Julii saccus ovorum, a matre custoditus, inventus, ovis 28 repletus, his ut apud omnes *Attos* magnis, diametro $^3/_4$ mm.

In Scania et Gottl., *Sundevall;* in Upl., *Thorell;* in Ostrog., *v. Post.*

24. **A. flavipes** (KOCH): *Femina* nigra, abdomine pube luteo-albida vel cinerea, opaca, sat dense vestito, cute tamen evidenter inter pubem translucente, nec ubique ab hac tecta, lateribus linea e pube densiore, albidiore cinctis; ventre sat crebre albido-squamuloso; pedibus palpisque flavescentibus, femoribus posticis evidentius, tibiis obsoletius in latere postico nigricantibus, quo colore coxæ ejusdem ordinis et sæpe tertii ordinis postice in apice, ut et coxæ posticæ superne pictæ esse solent.

Heliophanes flavipes KOCH XIV, p. 64, T. 477, f. 1321.

Magnitudine *A. cuprei.* Thorax ut in illo sub oculo armato concinne coriaceus; indumentum, quo thorax superius et juxta marginem in illa specie investitur, ut mihi videtur tenuius et magis densum, at in *A. flavipede* minus crebrum, albidius et quasi e squamulis constans, cujusmodi indumento venter evidenter indutus est, nec ut in *A. cupreo* nudus; indumentum in ventre secundum Dom. *Koch* in lineas tres congestum, quarum linearum vestigium versus anum in

nostro specimine adesse videtur, anterius autem indumentum magis æqualiter dispersum est; abdominis indumentum dorsale opacum, nec metallice nitens. Pedum pictura nigra, ut in diagnosi allatum est, in paucis tantum locis distributa. De cetero similis *A. cupreo.*

Ad Gothob. minus frequens quam *A. cupreus;* in Upl., *T. Thorell.*

SECTIO II.

Abdomen, exceptis pilis paucis rarioribus, erectis, nulla pube alia densa, adpressa, evidenter obductum; pictura, sit unicolor aut varia, unice e colore ipsius cutis pendet. Oculi laterales antici marginibus superioribus haud altius quam medii antici retracti. Species cognitæ minores, thorace longit. vix ultra $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ *mm.*

25. **A. lætabundus** (Koch?): *Femina* junior thorace sat humili, in siccato fere ubique nigricante, etiam in clypeo et circa orbitas oculorum anticorum; plano dorsali pube forsitan detrito, remanentibus pilis nonnullis luteis adpressis; palpis pallidis basi nigricantibus; abdomine nigro, dorso serie ex arcubus transversalibus pallido-luteis, posterioribus in apicibus per paria connexis, angulos transversos nigros includentibus, macula simplici vel gemina supra anum pallido-lutea; ventre pallido fuscomaculato; pedibus pallidis, coxis et reliquis articulis nigro-maculatis, femoribus anticis, basi excepta, patellis et tibiis totis ejusdem ordinis nigricantibus.

Euophrys lætabunda Koch XIV, p. 21, T. 471, f. 1288 89?

Thorax longit. $1\frac{1}{2}$ mm., ut in *A. heterophthalmo* antrorsum sensim paullo angustatus, vel fronte evidenter angustiore quam latitudo media thoracis, dorso a fine plani antici in directionem sensim arcuatam decliviter ad basin descendente; e linea pallida arcuata postica, circa planum dorsale (in f. 1288 designata) vestigium obsoletissimum adest; summus margo lateralis concolor; similiter atque orbitæ oculorum clypeus et mandibulæ nigricant, his tamen introrsum et extus pallidis. Oculorum series antica superne recta,

non evidenter recûrva. Abdomen elongato-ovatum, nullo alio indumento quam pilis erectis paucioribus, nigris, subæqualiter longis atque in plano dorsali thoracis vestitum; dorsum ornatur serie longitudinali ex arcubus 6—7, apice arcus antici cum linea laterali, e basi exeunte, connexo; apices arcuum 4 posteriorum in duo paria confluentes, quoque pari angulum transversum, an interdum maculam subtriangularem includente. Venter forsitan, ut indicat Dom. *Koch*, in adultis magis infuscatus. Coxæ superne macula nigra; femora antica extrorsum et postice, ut et linea supera colore nigra, quæ signaturæ forsitan in adultis in nigrorem cohærentem confluunt; femora 6 posteriora in apice angustius nigricant, an ibi nigro-trimaculata vel lineata?; tibiæ metatarsi (et tarsi?) basi annulo nigro; patellæ et tibiæ anticæ totæ nigræ; tibiæ et metatarsi posteriores non evidenter aculeata (certe etiam in adultis?). Pedes antici sat robusti, tibiis et metatarsis aculeis 2—3, utrinque positis armatis.

In Westrog. a *Thorell* inventus.

26. **A. frontalis** (Walck.): *Femina* sordide lutea, parce pubescens, thoracis margine summo, oculorum ambitu, abdominis serie media longitudinali e signaturis angulatis, maculisque lateralibus, inordinate sparsis, nigricantibus; abdominis pictura haud e pube sed e pigmento, sub epidermide sito pendente; femoribus anticis subtus, tibiis metatarsisque apicibus obsolete fuscis; oculis posticis, a latere inspectis, non procul a medio thoracis sitis, et ab oculis anticis multo longius quam ab angulo dorsi declivitatis posticæ locatis, hac abrupte declivi; tibiis et metatarsis posterioribus non evidenter aculeatis.

Mas thorace interdum toto abdomineque fuscescentibus vel sæpe nigricantibus, hujus dorso serie ex angulis pallidis notato; orbitis oculorum 4 anticorum pube læte rufo-fulva vel miniata circumdatis; palporum parte patellari et tibiali, hac supra bulbum extensa, linea e pube albissima longitudinali supra ornatis; pedibus anticis ni-

gris, tarsis pallidis vel albidis, pube albida indutis; plano dorsali pone oculos posticos magis extenso, vel angulo declivitatis posticæ haud prope ab oculis iisdem sito; tibiis et metatarsis posterioribus aculeis nonnullis distinctis instructis.

Ar. frontalis WALCK. Faun. par. II, p. 246, 128, et *Attus idem* WALCK. Apt. I, p. 415, 18. — *Salticus maculatus* WIDER Mus. Senck. I, p. 278, T. 18, f. 10. — *Attus frontalis* KOCH XIV, p. 44, 474, f. 1304—1305.

Femina subadulta. Quoad colorem thoracis abdominisque *A. striolato* non dissimilis; pictura nigra abdominalis aliter formata, et oculi postici aliter sunt locati. Thorax longit 1 ½, pedes antici 3 mm.; ille posterius sat altus vel atque efficit ¾ ejus latitudinis maximæ, versus frontem sensim declivis; in fundo ut in lateribus lutescens; ambitus oculorum vel, si mavis, tota superficies, ubi oculi omnes 8 insistunt, nigricans. Planum dorsale pilis erectis crebrioribus fuscis et pube adpressa rariore albida vestitum. Clypeus subnudus vel non nisi pilis paucis nigricantibus vestitus. Orbitæ oculorum 4 anticorum anguste ochraceo- vel orichalceo-pubescentes. Mandibulæ breves et palpi sordide lutescenti-fusca vel in mortuis nigricantia. Oculi postici multo longius ab anticis lateralibus quam ab angulo declivitatis posticæ siti, et simul vix brevius ab angulo frontali quam a summa basi distare videntur; mox pone illos oculos dorsum cito et abrupte descendit (an etiam in ♀ plene adulta?). Palporum pars tarsalis ut in masculis junioribus paullo incrassata, præsertim introrsum, extus, sensim attenuata. Abdomen in fundo sordide cereo-luteum, in medio serie ex arcubus vel lineolis obliquis, oppositis, intus in angulum confluentibus, ad anum deinceps minoribus, et maculis ad latera inordinatis griseo-nigricantibus notatum; angulorum apices sæpe antrorsum curvati; hæc pictura ut in *A. striolato* e pigmento sub epidermide, nec simul ex indumento, cutem obtegente orta; latera inferius versus ventrem diffuse griseo-nigricantia, cutis colore luteo instar punctorum sparsorum translucente variegata; venter nigricans, ni-

grore utrinqe serie punctorum aut linea continua lutescente limitata, et in medio lineis duabus approximatis parallelis signata. Pedes proportione 4, 3, 1, 2, antici paullo robustiores; tibiæ anteriores subtus utrinque aculeis 3, et metatarsi 2 armata, tibiarum aculeis longis vel diametrum articuli evidenter superantibus; apex aculei basalis in metatarsis basin articuli tarsalis evidenter excedit, ut in *A. striolato;* pedes posteriores aculeos haud ullos evidentes repræsentant; femora antica in lateribus longitrorsum nigricant, de cetero ut reliqua haud ullo modo picta; tibiæ metatarsique apicibus annulo obsoleto fusco, in siccatis fere evanescente cincta.

Mas secundum Dom. *Koch* colore plus minus fuscescente variare dicitur. Specimen unicum, a me captum, thorace toto nigricante. Abdomen etiam maxima parte fuscescens, restante in dorso serie ex angulis lutescentibus, qui ut in ♀ cum angulis vel maculis triangularibus nigris alternant; latera striolis crebris lutescentibus picta. Oculi 4 antici pube densa rufo-fulva, submetallico-nitente circumcincti. Mandibulæ nigræ, apicibus rufo-brunneis. Palporum pars femoralis nigra, pars patellaris et tibialis superne linea longitudinali e pube pure albida ornatæ; palpi in statu quieto, vel ad os geniculatim retracti, eam lineam, instar arcus utrinque, quasi sub oculos siti, repræsentant; lamina ordinaria testacea. Pedes posteriores toti luteo-pallidi sunt dicendi, secundi femoribus et tibiis subtus longitrorsum nigri, antici toti, exceptis tarsis, nigri; hi articuli pallidissimi evidentius, secundi obsoletius albido-pubescentes; tibiæ cum patellis pedum anticorum parum incrassatæ, vel vix crassiores quam tertii paris, una cum metatarsis subtus longius nigro-pilosæ, unde aculei præsertim in tibiis ægrius sunt observandi. Tibiæ et metatarsi posteriores satis evidenter aculeati. Mas, nuper exclusus, abdominis dorso ut in figura N:o 1304 (*Kochii*) uberius lutescente, serie ex angulis, vel maculis aut triangularibus aut obcordatis, nigris notato. Thorax ut in ♀ luteo-brunneus, summo margine laterali et ambitu oculorum nigricantibus.

In Slottskogen prope Gbg. sub lapidibus, in locis nemorosis, sat frequenter inventus. In Upl. a *Thorell* captus. Species in saltitando tarda. Mas senior semel in trunco arboris diligentius saltitans, ad Prædium Lerje prope Gothob. captus.

27. **A. heterophthalmus** (WIDER?) *Femina* thorace abdomineque nudiusculis, nitidis, illo, excepto plano dorsali nigro, mandibulisque saturatius rufo-castaneis; pedibus 6 posterioribus totis, patellis, metatarsis et tarsis anticis palpisque rufo-testaceis, immaculatis; femoribus tibiisque anticis nigris, robustis, illis supra fortiter arcuatis; abdomine nigro-piceo, unicolore (an semper?); tibiis et metatarsis posterioribus non aculeatis.

Salticus heterophth. WIDER Mus. Senck. p. 279, t. 18, f. 11 (?). — *Attus idem* KOCH XIV, p. 50, T. 475, f. 1308. — *Euophrys muralis* KOCH Uebers. d. Ar. Syst. I, p. 84.

Thorax longit. $1\frac{1}{2}$ mm., nonnihil robustior quam in *A. frontali*, superne inspectus a medio, ubi oculi postici siti sunt, antrorsum haud recte procurrens, sed sensim nonnihil angustatus, ut in *A. lætabundo*, vel ex. gr. in *A. brevipede*. Series oculorum 4 anticorum ut in reliquis hujus Sectionis recta, sive margine superiore oculorum lateralium haud altius quam margo intermediorum retracto; oculi seriei intermediæ ab oculis posticis non evidenter longius quam ab oculis lateralibus seriei anticæ distant; oculi seriei posticæ ut in *A. frontali* ♀ in medio thoracis siti, et planum dorsale pone eos perparum continuatum, sed hic cito cum declivitate postica decliviter descendens; thoracis margo summus infuscatus, linea obsoletiore e squamulis albidis ornatus. Clypeus pube grisea parcissime vestitus; superficies thoracis de cetero, ut abdominis, haud ulla pube evidenti colorata, sed pilis nonnullis tantum nigris verticalibus induta. Abdominis dorsum secundum Dom. *Koch* seriebus duabus parallelis e foveolis tribus notatum. Aculei sub tibiis anticis longiusculi, vel diametrum articuli attingentes, numero 2—3; aculei sub metatarsis ejusdem ordinis 2, primo in sua

extensione saltem apicem articuli attingente, immo superante; tibiæ et metatarsi postici aculeis haud ullis. Orbitæ oculorum omnium nigræ, vel toto plano dorsali diffusius nigricante. Secundum Dom. *Koch* maris femora antica supra et subtus tantum nigra, tibiæque anticæ totæ nigræ, æque crassæ ac femora antica esse dicuntur; at in femina, a me lustrata, tibiæ anticæ evidenter angustiores quam femora videntur, quod sæpe in aliis feminis videbis.

Ad Ulricæhamn Westrogothiæ a *Thorell* captus.

28. **A. striolatus** (Koch): *Femina* lutescens, pubescentia rariore vestita, thoracis margine, oculorum orbitis et abdominis lineolis creberrimis, harum nonnullis subseriatis, nigricantibus; pedibus omnibus immaculatis; oculis posticis ante medium thoracis locatis, vel ab oculis anticis haud longius quam ab angulo declivitatis posticæ dorsi sitis; tibiis et metatarsis posterioribus aculeis nonnullis satis distinctis armatis.

Koch XIV, p. 47, T. 474, f. 1306, (?).

Thorax longit. $1 \frac{1}{2}$ mm., altitudine $= \frac{2}{3}$ latitudinis; pube adpressa pallida pilisque erectis fuscis parce tantum vestitus; nigredo circa oculos confluit, unde margo, oculos excipiens, continuate nigricans videtur; margo summus lateralis etiam niger; margo supra os, mandibulæ et palpi testaceo-lutescentia; oculi laterales antici marginibus superioribus haud altius quam intermediorum margo retracti, omnino ut in proxime præcedentibus. Abdomen luteum, in specimine lustrato nonnihil pallidius quam thorax, pube pallida parce vestitum, basi fasciculo e pilis fuscescentibus indutum. Superficies abdominis notatur: lineolis longitudinalibus vel paullo obliquis, creberrimis, nigris, lateralibus minoribus, dorsalibus majoribus, fere series tres efficientibus, scilicet unam mediam, et in utroque latere alteram; series media e lineolis magis inæqualibus constat, nonnullis scilicet medio constrictis (an in exemplis variantibus ut signaturas triangulares et lineolas transversas se repræsentantibus, ut in figura, a Dom. *Koch* data?). Venter et

pectus lutescunt, immaculata. Pedes etiam parce pubescentes vel pilosuli, unde aculei in tibiis anticis, utrinque tres, et in metatarsis duo facillime detegi possunt; aculei in metatarsis longiusculi; basalis suo apice longe ultra apicem ipsius articuli extensus; apicalis fere $^3/_4$ articuli tarsalis attingens; tibiæ posticæ aculeis utrinque duobus, quorum 1 ante, 1 pone medium, prætereaque nonnullis sub apice sitis; metatarsi etiam aculeis quibusdam lateralibus et pluribus apicalibus armati. Pedum proportio videtur esse 4, 3, 1, 2.

Mense Julio sub lapide in Ahlelund, prope Gothob., captus. Juxta araneolam ova 11, in indusio lanato convoluta, inveni.

Obs. Non dubito, quin araneola, a Dom. *Koch* descripta, ad nostram sit referenda, etsi Dom. *Koch* tibias posteriores sursum flexas esse descripsit (!). Hæcce forma tibiarum post extentionem pedum in particula suberis vel in alio, uti solent Entomologi, in specimine siccato forsitan remansa fuit; quæ deformitas apud exempla nuper exclusa et proinde molliora facile existere potest. Si autem res ita se non habeat, rogare vellem ut nomen *striolatus* in *nigro-striatus* mutnes.

SECTIO III.

Species dubiæ.

29. **A. niger** (SUND.): totus nigro-piceus.

SUND. A:o 1832, p. 204. — *Ar. nigra* WALCK. F. par. II, p. 247? — *Attus niger* WALCK. Tabl. d. Ar. p. 27 et Apt. I, p. 412?

Descr. maris secundum Dom. SUNDEVALL: "Magnitudine et structura sat affinis *A. scenico*, vel adhuc debilior: *Drasso nocturno* (*subterraneo* vel *petrensi Koch*) sat similis. Thorax latitudine duplo longior, dorso convexus, lateribus vix perpendicularibus, utrinque paullo angustatus. Mandibulæ breves, ungue parvo, ut in plerisque speciebus hujus generis. Pedes robusti, crassitie subæquales, longitudine 4, 1, 2, 3: postici quarta parte superant reliquos, subæquales, thoraceque duplo longiores sunt. — Color totius corporis niger, præter maculas pulmonales albidas et ventrem cinereum. Frons pube sparsa griseo-flavescente. Pedum articulationes et apices dilutius picei.

Duos tantum mares in Gottl., mense Junio 1824 inveni."

30. **A. lapponicus** (SUND.): *Mas* ater: thorace altissimo; abdominis linea longitudinali albida; pedibus anticis nigris, reliquis obsolete griseo-annulatis (*Sundevall*).

SUND. Kongl. Vet. Ac. Handl. A:o 1832, p. 212.

Descr. Dom. Sundevallii: "Unicum marem vidi, in ripa arenosa ad Juckasjärvi Lapponiæ, d. 3 Julii 1821 a Prof. Zetterstedt inventum. Sat similis præcedenti (*A. V-insignito*), sed paullo major et robustior. Thorax latitudine evidenter altior, fronte minus porrecta. Pedes longitudine 3, 1, 4, 2; femore antico et postico æqualibus, longitudine thoracis; tibia antica solito longior: simul cum patella femur excedit. Color nigerrimus (an detritus?); lineolæ frontis nullæ; margo thoracis pilis paucis albis. Abdomen subtus et linea longitudinali cinereum. Palpi et pedes antici nigri, reliqui 6 pilis cinereis variegati, annulis tenuibus et femorum basi subdiaphano-griseis. — ♀ ignota."



ADDENDA.

Pag. 45. **E. bicornis.** Ad synonyma adde: *E. angulata*, pulluli, Sund. A:o 1832, p. 235.

Pag. 78. **M. Menardi.** Specimen femineum adultum, quod loco tenebricoso in Curia Portorii Gothoburgensi a Dom. *Joh. Petersson* d. 13 Junii 1860 inventum est, omnino simile figuræ 686, *M. fuscæ* Koch, inter synonyma citatæ. Ad maximas araneas numeranda est. Thorax longit. 6, femora antica 9, patellæ et tibiæ conjunctim 11, metatarsi 8, tarsi paullo ultra 3 mm.; femora postica 7 1/2, patellæ et tibiæ conj. 8 mm.; tibiæ anticæ superne 8 mm., sive 4:plo longiores quam patellæ. Thoracis, palporum et præsertim pedum color læte ferrugineo-rufescens; partes oris et pectus piceo-nigra; palpi non evidenter fusco-annulati, nisi pars tibialis subtus prope basin macula fusca; eorum pars ultima picea, maxima parte linearis, ipsissimo apice tantum acuminata, nec ut in specimine descripto (quod forsan potius ac mas quam femina junior considerandum est) maxima parte exteriore sensim attenuata; tota illa pars gracilis sive non latior quam metatarsi antici in medio (ejus forma a Dom. Koch subulata (nadelförmig) describitur, quod sine dubio e lustratione speciminis junioris ortum est). Pedes omnino ut in juniore aculeati. Epigyne instar tuberculi brevis ex apertura genitali eminet, adjacente utrinque fovea sive arcu elevato, hoc punctum includente. Thorax vitta media et marginali fuscis, post mortem araneæ languidioribus notatus.

Pag. 91, lin. 14, post *marginata* adde:, *pallescens*

Pag. 109. **L. thoracica.** Ad loca natalia adde: Upl., *Thorell.*

„ „ **L. bucculenta.** Ad synonyma adde: *L. cellulana* ♂ SUND. A:o 1831, p. 108, et *Theridion albomaculatum var. b.* IDEM ib. p. 118 (secundum exempla corrugata, in ejus collectione asservata).

Pag. 119. **L. alticeps**, ♂ junior. Quum contigit mihi invenire specimen femineum, etiam genitali perfecte explicatum, non nisi ut certo adsumendum est, hanc araneam a *L. alticipite* distingui debere, et cujus descriptionem ulteriorem hic infra exponam, sub nomine:

15 bis. **L. affinis**: *Femina* clypeo impresso dimidio tantum altiore quam efficit longitudo frontis; centro frontali haud magis elevato quam locus, ubi oculi 4 intermedii impositi sunt.

Mas facile distinguitur a ♂ *L. alticipitis* notis, quæ in hujus descriptione allatæ sunt. Series oculorum 4 anticorum recta, nec ut in illo valde deorsum curvata, apud quem oculi medii in fronte conice elevata alte retracti sunt.

Femina. Mandibulæ propter altitudinem facialem breviorem adhuc evidentius longiores quam hoc spatium. Centrum areæ, quæ ab oculis 4 intermediis occupatur, (sive frontis) in *L. alticipite* evidenter elevatius quam locus, ubi illi oculi siti sunt, sed in *L. affini* id centrum non altius est. Clypeus non duplo sed dimidio tantum longior quam frons. Oculorum series antica ut in ♀ *L. alticipitis* recta. Apertura genitalis ut in illa parva; epigyne sive vagina sexualis instar tuberculi brevis ultra aperturam prominens. Abdomen albo-guttatum, an interdum ut in ♂ dorso serie utrinque e lineolis griseo-nigricantibus notato?

Mas ut in *L. alticipite* in latere externo bulbi genitalis lamina multicalcarata armatus. Aculeus sive seta crassa, in palporum partis patellaris apice paullo producto radicata, in utraque specie circiter æque longa est atque illa pars et pars tibialis, simul sumtæ; in *L. affini* apice truncata, in *L. alticipite* acuta et sub oculo

acutissime armato extus paullo dilatata, hic utrinque quasi serrulata.

Ad radices graminum prope Gbg. inventa.

Pag. 132. **L. nigrina.** Exempla, 22 Oct. 1860 in parietibus et in lapidibus, sole radiatis, in locis argillaceis ad Göta Elf prope Gbg. capta, minora, thorace nigro, longit. $^2/_3$ mm.

Pag. 164. **Th. simile.** Specimen femineum in insula Mjörn Bahusiæ a Studioso *Ljungman* captum, in spir. vini asservatum. Abdomen in ventre linea rufo-brunnea cinctum, hac antice biramosa, ramulo exteriore versus dorsum antrorsum directo, interiore supra saccos pulmonales extenso. Præsertim sub tibiis posticis punctum medium fuscum instar vestigii annuli adest; annulus fuscus apicalis in illis distinctissimus est; puncta albida in abdominis lateribus in duobus tribusve locis densius congesta, quasi striolas obliquas 2—3 formantia.

Pag. 174. **Th. serratipes.** Ad synonyma adde: *Th. dispar* ♀ Sund. A:o 1831, p. 120. In pag. 175, ad loca natalia adde: Scania, *Sundevall* et *Boheman*. Apertura genitalis in ♀ adulta antice circumdatur arcubus 2 elevatis juxta-positis, numerum 3, transverse positum figurantibus (ω), spatio, ab hac signatura occupato, sat evidenter latiore quam tibiæ posticæ, sinu communi antico carinula repleto.

Pag. 199. **E. dentipalpis.** Verba in linea 7 ab infra: "rarius interiore majore" delenda sunt. Araneola magnitudine hujus occurrit, quam propriam speciem esse puto, et cujus ♂ facile cum individuis minoribus *E. longipalpis* quoad structuram apicis palporum partis tibialis confundi potest, sed pars patellaris et tibialis breviores sunt; femina a ♀ *E. dentipalpis* ægerrime distingui potest, nisi forsitan forma valvulæ, quæ aperturam genitalem supertegit. Amborum sexuum exempla copiosissima, a me lustrata, genitali perfecte explicata erant. Hujus araneolæ descriptionem hic ita exponam:

2 bis. **E. vagabunda:** *Mas* palporum parte patellari (ut in *E. dentipalpi*) longit. $^1/_2$ tibiarum anticarum (rarius ad summum $^2/_3$, nec $^3/_4$—$^5/_6$ harum) attingente, parte tibiali apice compresso-dilatato in lobum anticum et posticum producto, lobo antico apice paullo oblique obtuso, haud regulariter cuneatim acuminato, recte porrecto, nec evidenter cum sua arcuatione apicali quasi ad latus exterius directo, solitario, nec basi introrsum cum lobo altero sive spina concreto.

Femina thorace (ut in *E. dentipalpi*) pone occiput evidenter impresso; apertura genitali transverse lata (a postice melius observanda), antice valvula obtecta, hac fere duplo latiore quam efficit diameter maxima unius sacci pulmonalis, margine postico medio introrsum sinuato, hac emarginatura vix processu ullo sive plicula elevata repleta.

Mas. Inter individua permulta non nisi unicum inveni, cujus pars patellaris palporum paullo longius quam $^1/_2$ tibiæ anticæ erat, in plerisque sæpe vix ad $^1/_2$ hujus articuli attingit, similiter ac in ♂ *E. dentipalpis.* Lobus anticus partis tibialis non ut in *E. longipalpi* regulariter cuneatus, sed oblique aliquantum obtusus, quod rogo ut bene observes, apice certo lumine inspiciendo, et quæ nota in omnibus exemplis, quæ lustravi, constans esse videtur. In *E. dentipalpi* ille lobus latior est, non multo angustior quam lamina ordinaria, extus in directionem obliquam ad latus externum tam obtuse et late rotundatus, ut quasi ad hoc latus flexus esse videatur; prope basin hujus lobi introrsum adjacet spina angustior, paullulum flexa, extus nigro-picea; quæ spina apud *E. vagabunda* et *longipalpi* omnino deest. Thorax in omnibus exemplis saturate niger; num umquam ut in *E. longipalpi* obscure fuscus? In exemplis lustratis palporum pars tibialis in medio lateris, ad os vergentis, non ut in *E. dentipalpi* denticulo ullo evidenti armata erat.

Femina. Thorax ut in *E. dentipalpi* pone occiput evidentius quam in *E. longipalpi* impressus. Quum non nisi aliquot exempla feminina *E. longipalpis* et *dentipalpis* lustraverim, structuram valvulæ genitalis non certo describere possum. Ut mihi videtur, illa in iis non ultra dimidio latior est quam diameter maxima saccorum pulmonalium; valvula in margine postico in exemplis siccatis *E. longipalpis* medio paullo producta nec emarginata, in *E. dentipalpi* in medio paullo emarginata, emarginatura puncto elevato repleta. Rogo tem ut hanc differentiam, in exemplis siccatis tantum a me observatam, examinationi ulteriori subjicias. Præter differentiam talem ægerrime ab *E. dentipalpi* distingui potest, cui ut ovum ovo simillima est.

Die 22 Oct. 1860 in columellis lapideis, sole radiatis, ad fluvium Göta Elf, ubi solum argillaceum erat, ambo sexus, copiosissime associati, lecti; eodem et insequentibus diebus etiam in parietibus adjacentibus, una cum diversis aliis *Erigonarum* inventa, quæ omnes, frigoris statim postea ingressi non patientes, cito se subducebant.

Pag. 220. **E. coaica.** *Femina* (una cum masculis) 22 Oct. 1850 in parietibus et lapidibus, sole radiatis, juxta Fluvium Göta Elf capta. Thorax, qui in ♂ sub oculo optime armato supra subtiliter coriaceus videtur, omnino glaber, nitidissimis, etiam in pectore. Pars cephalica ad latera sed non pone occiput impressa, clypeo paullo longiore quam frons; oculis mediis anticis a lateralibus paullo longius quam inter se distant, et quam hi paullo altius locatis; mandibulis angustioribus, saltem non crassioribus quam femora antica, glabris, lævibus. Patellæ supra apicem, tibiæque pone basin seta gracili, quam diameter articuli vix longioribus; tibiæ pone medium ut in ♂ pilis nonnullis, quorum uno longiore. Ab *E. longipalpi* (1), *dentipalpi* (2) et *vagabunda* (2 bis) differt mandibulis angustioribus, thoracis margine non replicato, regione pone occiput non impresso cet. Ab

E. parallela (24) differt thorace non ullis punctis impressis. Ab *E. monocerote* dignoscitur oculorum area evidenter duplo latiore quam longiore. Ab *E. subæquali* (29) differt superficie thoracis ne ad minimum coriacea, thorace pure nigro, nec obscure lurido-fusco. Color pedum lurido-testaceus et thoracis superficies polita forsan speciem a subsimilibus reliquis distinguunt.

Pag. 262. **E. dentata.** Mandibulæ et thorax variant colore satis nigricante. Uterque sexus 31 Oct. 1860 sub lapidibus ad fluvium Göta Elf inventus.

Pag. 506. **L. fabrilis.** Synonymon *L. Fabrilis* KOCH XIV, p. 168 (ff. 1389—1392) secundum descriptionem sine dubio huc potius quam ad *L. inquilinam* N:o 17 referendum est, saltem quod attinet ad f. 1390 ♀. Fig. 1389 mari *L. fabrilis* minus quam *L. inquilinæ* similis est; fig. 1391 ♀ junior esse videtur, sed f. 1392 forsitan ad *L. inquilinam*, ut varietas, mihi non obvia, referri debet.

Pag. 545. **A. histrionicus.** *Salt. scenicus* HAHN fig. 43 ♂ l. c. ad *A. scenicum* (2) referendus est, nisi figura varietatem nostræ araneæ, qualem haud umquam vidi, repræsentet.

CONSPECTUS

FAMILIARUM et GENERUM ARANEARUM, in hoc opere descriptarum, adjuncto numero specierum cujusque generis.

	Transport	9.	149.
Genus VII.	Hahnia KOCH, p. 315	3.	
VIII.	Apostenus nov. gen. p. 322	1.	
IX.	Zora KOCH, p. 324	1.	
X.	Phrurolithus KOCH, p. 326	2.	
XI.	Micaria nov. gen. p. 330	4.	
XII.	Drassus WALCK., p. 337	7.	
XIII.	Pythonissa KOCH, p. 350	4.	
XIV.	Melanophora KOCH, p. 354	5.	
XV.	Drassodes nov. gen. p. 360	4.	
XVI.	Argyroneta WALCK., p. 367	1.	
XVII.	Anyphæna SUND., p. 370	1.	
XVIII.	Amaurobius KOCH, p. 373	2.	
XIX.	Cheiracanthium IDEM, p. 377	2.	
XX.	Dictyna WALCK., p. 382	5.	
XXI.	Clubiona IDEM, p. 388	10.	
XXII.	Sparassus IDEM, p. 405	2.	63.

FAM. IV. THOMISIDAE SUND. (*Laterigradae* LATR.).

Genus I.	Thomisus WALCK., p. 410	18.	
II.	Philodromus IDEM, p. 445	12.	30.

FAM. V. LYCOSIDAE SUND. (*Citigradae* LATR.).

Genus I.	Lycosa WALCK., p. 467	32.	
II.	Dolomedes IDEM, p. 534	1.	
III.	Ocyale SAVIGNY, p. 536	1.	
IV.	Sphasus WALCK., p. 538	1.	35.

FAM. VI. ATTIDAE SUND. (*Saltigradae* LATR.).

Genus I.	Salticus LATR., p. 542	1.	
II.	Attus WALCK., p. 543	30.	31.
	Summa Specierum		308.

INDEX ALPHABETICUS.

Synonyma litteris obliquis impressa sunt.

CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	
12	2	ab infra, lege collocatæ
17	14	l. DICTYNA
„	17	l. PHRUROLITHUS
19	15	l. dispositi
21	5	ab infra, l. semiellipticum repræsentaret
23	18	l. num (pro nonne)
„	21	l. nigro-trivittato
„	22	l. utrinque
29	6	l. productum
„	18	l. *diademata*
30	12	l. dispositi
41	2, 3, 6	pone; (pro .)
52	20	l. e maculis
59	19	l. apicem (pro basin)
66	6	l. an hoc
71	1	ab infra, l. porrecto
82	16	l. vitellinus
„	18	l. lapidibus
88	8	ab infra, l. tenues, quam
98	13	ab infra, l. assimilans
100	5	l. et
105	9	l. 240
114	14	ab infra, l. excipiamus
119	14	ab infra, l. subjicienda
127	14	ab infra, l. fusco-
133	5	ab infra, l. extricari
139	17	l. annulo (pro aculeo)
146	13	l. genitalem
148	2	ab infra, l. hactenus a
149	15	l. ille
152	20	l. indesinenter
152	7	ab infra, l. incrassatis
153	6	l. *cellulanum*

Pag.	Lin.	
154	6	ab infra, l. longiore
169	7	ab infra, l. nigro-
199	9	ab infra, l. desinente
202	8	ab infra, l. ultra
208	8	l. deorsum
„	10	l. evidentius
224	15	ab infra, l. simul
235	7	ab infra, l. flexam
237	18	ab infra, l. declivi
245	9	l. formantibus
257	18	ab infra, l. fere rectum
259	14	l. investigatori
262	7	ab infra, l. ornato
263	13	ab infra, l. distincta
275	9	l. repræsentat
276	11	l. posticæ
284	8	l. tessellata
288	4	ab infra, l. æqualiter
300	11	l. scopulæ
„	15	l. scopulas
301	19	l. scopulæ
„	20	l. conspicuæ
322	11	ab infra, l. fuscus
335	5	ab infra, l. trunco arboris in
336	2	l. vestito
347	5	ab infra, l. inter hos et
357	19	l. etiam (pro autem)
401	5	l. luteo
493	2	l. albidæ
495	5	ab infra, l. *lignariam*
538	15	l. utroque
552	3	l. utrinque
559	7	ab infra, l. laterales
598	11	l. autem (pro tem)
607	24	ad dextram, l. *melanogaster*
608	4	ad sinistram, l. *apoclisa*

